


JOANNIS CIAMPINI
ROMANI

Magiſtri Brevium Gratiæ, Literarum Apoſtolicarum Majoris Abbreviatoris, ac in utraque Signatura Referendarii,

OPERA

IN TRES TOMOS DISTRIBUTA.

Editio Noviſſima,

CÆTERIS CORRECTIOR, ET AUCTIOR.

TOMUS SECUNDUS.



Arnoldo van Westerhout Sculp. *Gio: Batta. lenardi delin.*

JOANNIS CIAMPINI
ROMANI
VETERA MONIMENTA,

IN QUIBUS PRÆCIPUE MUSIVA OPERA,

Sacrarum, Profanarumque Ædium Structura,


Ac nonnulli antiqui Ritus Dissertationibus, Iconibusque illustrantur.

SECUNDA PARS

A SEXTO CHRISTI SÆCULO AD DECIMUM.

ACCESSERUNT NOTÆ,

In quibus nonnulla post Auctoris obitum immutata indicantur.



ROMÆ MDCCXLVII.

Sumptibus CAROLI GIANNINI Librorum SUMMI PONTIFICIS Provisoris in Platea Capranicensi.

Ex Typographia Komarek.)(*Superiorum facultate, & Privilegio.*

Eminentissimo ac Reverendissimo
Principi

CAROLO VICTORIO
AMEDEO,

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI


DELLE LANZE

Archiepiscopo Nicosiensi, Abbati Commendatario S. Justi apud Segusium,

ET SACRÆ MAJESTATIS

CAROLI EMMANUELIS
SARDINIÆ REGIS &c.

MAGNO ELEEMOSYNARIO.



XCELSÆ, & admirandæ Virtutes, quæ Te acervatim exornant, PRINCEPS AMPLISSIME, suavi quadam violentiâ Scriptorum ingenia, & calamos impellunt, vel potiùs rapiunt in laudes tuas. Ipsemet hujusce Operis Auctor,

ctor, si nunc existeret, tanquam optimus magnorum Principum æstimator, omnia quæcunque scripsit Volumina, offerre Tibi, & nuncupare non dubitaret. Quod illi dura necessitas vetat, mihi illius labores in lucem publicam revocanti, propitium sydus indulget: quarè honorificæ sortis vicem libenter occupo, & consecrando AMPLITUDINI TUÆ Volumen istud, Auctoris mentem mihi videor adimplere.

Sed utinam talis essem, ut ad hoc munus, officiumque sufficerem, & coram tanti nominis VIRO eâ, quâ oporteret facundiâ consistere, & loqui possem. Quippe conturbat me Magnitudo Tua, confundit Nobilitas Tua, deterret Sapientia Tua; & quasi homo prodigio aliquo attonitus, aut Solis adversâ luce obumbratus, quid dicam non invenio,

nio, quid videam nefcio. At quoniam ubique, & palam afferitur, tam fingularem inesse Tibi clementiam, & comitatem, ut omnes ad Te alloquendum vel invitare videaris, vel trahere; accedo intrepidus, & hoc profundiffimi obfequii mei argumentum Sublimitati Tuæ auducter exhibeo.

Non tamen æquè audax, & imperterritus laudum tuarum Pelagum ingredi, & velificare contendam, nempe undarum impetu, & copiâ ftatim obruerer. Quin fi tuas laudes utcunque narrare vellem, quas quibus anteferrem ignorans, hærerem anceps, & nullo modo Te interim celebrarem. Præterea inani ftudio repeterem, quæ tot, tantique Scriptores de Te promulgarunt, & quæ univerfæ Italiæ, atque Europæ notiffima funt. Num Civitas fu-

pra

pra montem poſita abſcondi poteſt, aut in Cœli apice clariſſima diei lampas diſſimulari? In ſublimi conſtitutæ Virtutes Tuæ, cum omnes oculos jampridem in ſe converterint, neminem latent: quapropter nil mirum eſt, ſi ab invicto, & ſtrenuiſſimo REGE ad Infulas, & Dignitates perductus, & a Sapientiſſimo, Optimoque PONTIFICE Purpuratorum Patrum Senatui adſcriptus, debita illarum præmia retuleris, præſertim genuinæ Pietatis, & laborum pro Eccleſia Dei aſſumptorum, ut veri Antiſtitis exemplar, & ſpeculum in Te præberes.

Singularis etiam benevolentiæ, quâ Te duo magni Principes proſequuntur, maniſeſtiſſima indicia ſunt tituli, atque honores, quibus Ambo Te invicem decorarunt; id quod perſpicuè oſtendèrunt, cùm Alter Magni

gni Eleemosynarii munus integritati, ac liberalitati tuæ demandare voluit; Alter verò Sacrâ Purpurâ vix indutum, ex Ordine Cardinalium Diaconorum ad illum Presbyterorum, contemptâ decennii lege, benignè transtulit: unde etiam evidentissimum est, Te honores & Dignitates non quærere, sed ab honoribus & Dignitatibus quæri; ideòque a Dignitatibus lucem non tam accipere, quàm Dignitatibus lucem addere, & dignitatem.

Denique (ut longè plura, quàm verbis liceat percurrere, silentio prætermittam) insigne de meritis tuis testimonium præstitit plausus universalis & maximus, quo Te Urbs Orbis Regina (& in ea Literatorum Respublica, Mecænatis, Fautoris, & Patroni sui amantissima) ad nos venientem excepit;


cepit; Urbs illa ſcilicet, in qua omnia omnium gentium trutinà ſeveriſſimè examinantur, & expenduntur; & cujus judicium Populis etiam exteris, ac remotis non modò verum & integrum, quin immò & venerabile reputatur.

Supereſt, EMINENTISSIME PRINCEPS, ut pro humanitate, & magnificentia tua calami mei audaciam excuſatam velis. Scio quæ de Te concipio, infinitùm ſubſidere infrà faſtigia Famæ, & Doctrinæ Tuæ: ac proinde nè credas oro, ut voluerim temerè ea recenſere, quorum nec magnitudinem æſtimare poſſum. Teſtor meum erga Te animum, & obſequium: cum nequeam aut reticere quæ de Te ſentio, aut non ſentire ea, quæ unuſquiſque ſentit, pauca delibando, veritati indulgere potiùs, quàm temperare auda-

ciæ meæ viſum eſt. Soſpitet Te Deus Optimus Maximus, CARDINALIS AMPLISSIME, ATQUE EMINENTISSIME, tuamque ſemper fortunam augeat, & gloriam.

EMINENTIÆ TUÆ REVERENDISSIMÆ

Humillimus, Addictiſſimus, & Obſequentiſſimus Servus
Carolus Giannini.



PRÆFATIO AUCTORIS.



EN, Amice Lector, qui primitias ingenii mei in prima Veterum Monimentorum Parte, multiplici benignitatis argumento humaniter excepisti, qualiscunque ista sit, post septem annorum spatium, eorundem Pars altera, non laudis ambitione, non famæ cupiditate, tibi oblata. Primitias quidem noveram, non tantùm Deo, ut munifico omnium Largitori, verùm etiam hominibus, rei fortasse novitate gratiores esse. Sed cum lectioni vacarem, animi relaxandi causâ, continua curarum, & officiorum occupatione detenti, & genio erga erudita dogmata indulgendi, fortuitò factum est, ut hæ lucubrationes meæ in volumen abierint. Quamvis inopinatò, sensim opus incrementa reciperet, nihilominùs obstrepentibus per totam Europam Bellorum tumultibus, literarum commercium prohibentibus, & deficientibus ætati meæ jam ingravescenti viribus, Editionis eventum jam desperabam: Literæ enim mutæ fiunt ubi obstrepunt arma, satiùsque est abscondere mentis partus, quàm in lucem proferre: Censorius enim gladius apparenti prætextu, quod importunum est transfigere non desisteret. Cùm experientia interim demonstraverit, iisdem in Castris, atque Regionibus, laudabiliter præclaris insigniri facinoribus & Studiosos, & Milites, ac contubernales esse, ut confirmant novi Codices in dies editi in præcipuis Europæ Provinciis, nunc arma tractantibus, omnigenarum virtutum cognitionibus referti; & comprobant Literatorum Ephemerides, Literariæ Reipublicæ mirum in modum proficuæ, in quibus cum brevitate quidem, at cum omni sedulitate, & Operum argumenta, & Operantium encomia promulgantur: quapropter Auctoribus ipsis in virtutis hyppodromo ad ulteriùs

riùs progrediendum, nec laboribus parcendum, nec sudoribus abstinendum, veluti calcaria inserviunt. Hæc in me ipso, inter eruditos (fateor) minimè enumerando, sæpiùs sensi, perlegens in Ephemeridibus quid de pluribus aliis meis judicabant Opellis, Typis hoc medio tempore demandatis, exteræ Nationes; quin cùm frequentissimè pervenirent ex iisdem Epistolæ, quà commendationibus, quà suasionibus, quà precibus postulantes secundam Monimentorum Partem: ulteriùsque adderentur Amicorum in hac Romana Curia degentium consilia, & hortationes ad hoc idem, nè Conviventes, & Posteri à temporis ingluvie tot eruditionum profectu defraudarentur; animosior factus, me ipsum aliquantulùm excitavi. Interim Regnans Summus Pontifex Innocentius XII. quem bonorum omnium Dator Altissimus pro felici Ecclesiæ suæ gubernio, Populique fidelis sibi commissi prospero statu, diù incolumem servet, elapso anno me Abbreviatoris de Curia munere dignatus est decorare. Quarè clementissima tanti Principis laborum meorum ultra meritum approbatio, suaviter me disposuit ad ultimam manum Operi admovendam, & fortiter progrediendo metam attigi. Serena igitur mente, & corde candido accipe hunc tenuem ingenii mei partum, & offerentis voluntatis, non oblationis pretium animadverte; quam nihilominùs gratam fore non dubito, illis præsertim, quibus loca Musivis ornata invisere non datur, vel si datur, fortè non omnia licebit invisere; vel si omnia loca, non tamen omnia Musiva, cùm jam duo destructa sint, ut in prima retuli Parte, nempe alterum S. Agathæ Majoris Ravennæ, alterum S. Andreæ in Barbara hìc Romæ, illud à Terræmotu, istud ab hominibus post tresdecim circiter sæcula dirutum. Posteris autem jucundum erit multa, variaque scitu digna longâ annorum serie peritura, nos eis transmisisse ita collecta, & nullo ferè negotio dignoscenda, quæ sparsim aliquandò multo cum labore quæruntur, & quæsita reperiri nequeunt, repertaque non intelliguntur. Hinc fit, quod de conspicuis hisce eruditæ Antiquitatis Monimentis semper aliquid enarrabitur, nec unquam vetustas, aut posteritas obmutescet. Arridebit itaque Lector, nisi fallor, & errores si qui fortè irrepserint in præsenti, sicuti in aliis jam editis meis operibus irrepsisse summo animi angore comperi, haud meæ, sed negligentiæ Censoris Typographiæ imputabit, cùm multiplices, ut innui, munerum meorum curæ diutiùs in correctionibus prohibuerint immorari.

His

His præmiſſis, ſubjiciam neceſſe eſt, me in hoc Tractatu, ac peculiariter in præſenti Volumine, Iconoclaſtarum, recentiorumque Heterodoxorum inſcitiam, & pervicaciam retundere voluiſſe. Legitimus enim obſolevit apud ipſos Sacrarum Imaginum cultus hac potiori ratione, quia quamplures, quas primitiva expreſſit Eccleſia, vel temporis voracitate, vel bellorum turbinibus conſumptæ evanuerunt, ut Novatores irrident Catholicos, Iconibus debitam exhibentes venerationem. Cùm autem plurimis in locis adhuc ſacra extent Muſiva, quorum nomen picturæ æternæ reſpondet eventui; & in illis tùm Sacræ Imagines, tùm Sacri Ritus, tùm alia multa Eccleſiaſtica repræſententur, locorum tamen diſtantiâ, & Prædicantium verſutiâ, Populis in errorum tenebris, & umbra æternæ mortis verſantibus incognita, ſatiùs duxi ea colligere, ac Typis demandare. Hæc autem non ſunt recentiorum Catholicorum, ut ab eiſdem Heterodoxis aſſeritur, inventa; ſed priſcorum Fidelium ſedula cura, quâ ignaram Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Plebem picturis inſtruere ſatagebant, ut illa mordicùs, tenaciùſque in mente retinere poſſet, quæ tùm oculis, tùm auribus ab Evangelii Præconibus perciperet. Si autem in Prima Veterum Monimentorum parte Muſiva multa à Chriſti Nativitate ad V. Sæculum conſtructa expoſui & explicavi; in hac Secunda propono alia Muſiva, ſervato temporis ordine, quinque ſæculis ſequentibus, nempe a ſexto uſque ad decimum incluſivè, formata. Quod ſi Divinæ placuerit Majeſtati, quæ bonorum operum eſt auctrix, meam prorogare cum bona valetudine vitam; Muſiva cætera ſæculorum ſubſequentium, uſque ad totum decimum quintum deſcribam. Huic deinde annectere cogito aliud Opus, videlicet: *De Sacris Antiquioribus Muſivis adhuc extantibus, quorum conſtructionis tempus non innoteſcit*. Præterea huic addere deſigno Diſſertationem *De Sacrarum Imaginum uſu, illarumque veneratione*, quà rationibus, quà exemplis demonſtrandâ. Alienatos fratres, utpotè circa recta principia diſcordantes, rationibus adſtringere fruſtrà ſperatur; commodiùs, & tutiùs eſt, examinatis eventibus, factiſque ante oculos ſubjectis, inexpugnabiles convincere, & expugnare. Vale.

INDEX

INDEX CAPITUM,

Quæ in hac ſecunda Parte continentur.

Cap.

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. M. de Rubeis Archiepiscopus Tarsi Vicesgerens.

REIMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Sacri Palatii Apostolici Magister.

JOAN-



IOANNIS CIAMPINI
ROMANI
IN VTRAQVE SIGNATVRA REFERENDARII,
AC
ABBREVIATORIS DE CVRIA
VETERA MONIMENTA

In quibus Musiua præcipuè Opera; sacrarum, profanarumque AEdium Structura, ac non nulli antiqui Ritus, dissertationibus, Iconibusque illustrantur.

PARS II.

CAPVT I.

De Musiuo Opere, quod olìm in Tholo Ecclesiæ S. Constantiæ Via Numentana extabat.



CVM nostrum sit institutum, Vetusta Musiua Opera tàm Sacra, quàm etiam profana, è temporis faucibus, quantùm in nobis est, eruere, illaque seræ Posteritati sacrare, ac in nostro opere de Sacr. Ædificijs à Magno Constantino constructis, cap. 10. de Ecclesia S. Constantiæ, eiusque disseruimus Musiuis Operibus, quæ in præsentiarum ibidem occurrunt, modò ad nostras peruenit manus Exemplar fragmenti Operis Musiui, quod olim in Tholo eiusdem Ecclesiæ extabat; quodque nobis communicauit Picturarum, aliarumque Antiquitatum diligentissimus seruator, Petrus Sancti Bartholi, qui nobis asseruit, illud à bonæ mem. Camillo Cardinale de Maximis itidem ipsarum anti-

tiquitatum amantissimo scrutatore A accepisse, qui dum apud clar. mem. Philippum IV. Hispaniarum Regem Catholicum, Apostolici Nuncij munus exercebat, huius Musiui Exemplar è celebri Escurial describere fecit. Cumque in se multas contineat figuras, mirum in modum spectabiles, curiosas, ac ipsius S. Constantiæ Templi olim ornamentum, ne illius pereat memoria, hic illud referre duxi, & eius formam in annexa B Tab.I. exhibere.Ibidem varij cernuntur Genij, quos antiqua, & cæca Gentilitas pro suis venerabatur Numinibus; vt plurimùm in cymbis apparent positi, per flumen decurrentes, alij ad piscandum proni, alij verò varios exprimentes actus. Itidem Caryatides, & Telamones expressi sunt, super quorum caput variæ expanduntur frondes ad Canistri formam, è cuius medio assurgit veluti C ramus, ad cuius pedes duo Delphinorum capita concurrunt, quorum cauda in frondes definit semicirculum formantes. Super ijs absque brachijs, sed triplici facie, vt Dea Echates exprimi solet, cernuntur Caryatides, & Telamones super earundem caput itidem expanduntur frondes, etiam ad Canistri formam, quę è medio surgentes tendunt ad Tholi centrum; Caryatides, & Tela- D mones, ac frondes, Tholum in varia diuidunt segmenta, in quibus, aliæ figuræ expressæ sunt; de his infra. In qualibet istarum Caryatidum basi, duæ cernuntur Tigrides, quæ Bacchi symbola sunt, ad cuius falsi Numinis honorem, olim Templum hoc, dicatum erat, vt innuimus in dicto Opere nostro de Sac. Ædificijs, & citato cap. 10.

In primo segmento signato lit. A. duæ extant Mulieres, quarum vna canistrum fructibus plenum super caput defert, altera magnum Piscem præ manibus habet, quæ Autumnale tempus, & ipsum Piscationis Genium designant.

In segmento signato B. ruralis Domus cum tribus cernitur figuris, quarum vna sedet, & cum alijs duabus stantibus, dexteram manum eleuatam, & gestientem, in actu cum ipsis colloquendi præsefert. In hac figura animaduersione digna est Domus, in cuius tecto Camini minimè expressi sunt, quique in antiquis non reperiuntur picturis.


In segmento signato C. veluti thronus cernitur, ad quem per sex ascenditur gradus, cuius in summitate statua, ni fallor, est, Iouem exprimens; Ad Throni pedes visitur, vt puto, Mulier velo capite operto, manicata, & vsque ad talos protensam habens vestem, sinistra librum apertum gerit, quæ Virginem Vestalem repræsentare autumo, de quibus Virginibus, more solito eruditum edidit Tractatum ille Antiquarius incomparabilis Lipsius in suo Syntagmate de Vesta, & Vestalibus. Itidem ad eiusdem Throni pedes tres sunt Viri togati, veluti à Vestali discedentes, quorum vnus brachium dexterum, super alterius humerum tenet; Quid hæ tres figuræ notent, alijs explicationem relinquo, & ad aliud segmentum calamum conuerto.

In huius medio sedet, veluti Mulier, cuius ad dexteram stat Iuuenis, paruam arcu percurrens Lyram; Ad sinistram alius est Iuuenis, qui Agnum

præ


A

TAB. I



pag. 2

præ manibus detentum, ipsi Mulieri A offerre demonstrat. Emblema hoc rusticationem exprimit, in qua hilaratur animus, similesque eduntur actus.

Segmentum E. tres pariter continet figuras, quæ tres Iuuenes viros repræsentant; cum Iuuenes ad rusticandum magis, quàm Senes proni sint. Illi varios exprimunt actus, quos diuinare minimè potui; vnde illorum significationem alij discuti- B ant.

In superioribus, scilicet centri Tholi proximioribus segmentis non nulli cernuntur Quadrati oblongi, pictas tabellas exprimentes, in quarum prima, signata E, expressus est, ni fallor, Venator. In secunda, signata G, itidem alius est Venator; ad cuius pedes canis est, ac in dextera flores, aut quìd aliud tenet. In tabella H expressa est Mulier, quæ vt opinor Atalantam C repræsentat, idque ex veste colligo à vento agitata, & ipsa, quasi in actu currendi disposita, sinistraque quid tenet, quod fortasse pomum, de qua Ouid: in Metamorph. 10. Tabella signata I. Satyrum exponit, quod animal est notum Tab. L. Autumnale tempus præsefert, cum flores, & fructus in manibus teneat. Literea M. mulierem saltantem, quæ prę manibus Crusma habet; quare Emblema hoc D rusticationem designat. Et hæc de pręsenti Musiui Operis fragmento dicta sint satis, alijs amplo relicto loco meliora interpretandi.

CAPVT II.

De duobus antiquis, prophanisque Musiuis, altero Romæ, altero Ticini extantibus.


FLuminis alueus quum effossus est, statim circumiacentium aquarum riuuli in illum confluunt, ac illùc se effundunt, amnemque constituunt, Ipse quoque, quando in lucem primum mei operis Veteri monimentorum Tomum emisi, continuò nonnulli Amici, vt secundum faciliùs volumen texere valerem, varias antiquas memorias mihi tradere, aut illas significare voluerunt. Inter hos annumero, iam multis ab hinc annis necessitudine mihi coniunctum, D. Thomam de Iulijs Vaticani Archiui Præfectum, ac olim bo: m: Flauij Cardinalis Chisij à Bibliotecha, qui antiquissimi Musiui operis exemplar, quod ipse Cardinalis in suo seruabat Cymelio, mihi tradidit, vt notum esset, illiusque perennis vigeret memoria; doleo vsque adhuc amici frustraneum reddidisse desiderium, ac eò magis, quia testandi, quanta esset mea erga ipsum Cardinalem obseruantia, mihi abstulit opportunitatem, Fata aliter disposuerunt, cum eum ad Superos euocauerint, & si obsequentissimum meum erga ipsum obseruantię animum patefacere non valui, spero saltem superstitibus Excellentissimis DD. Principibus Augustino Chisio, eiusque Nato Domino Augusto, in quos ipsius Cardinalis celebris Gaza, vulgò musæum, transiuit, testatum fore, eiusdemque à Deo, bonorum omnium Datore nestoreos, felicesque

que apprecor annos. Laudati igitur A Muſiui operis, quod vermiculatum eſt, ſcilicet ex tenuiſſimis variorum lapidum fruſtulis confectum, exemplum in annexa expono Tabula II. Duæ ibi Fœminæ cum equo Marino repręſentantur, quid autem Pictor per has imagines ſignificare voluerit, difficile admodum redditur, cum in Natalis Comitis Mythologia, fabulam hanc expiſcari minimè valuerim. Quamobrem Pictoris placitum eſſe B puto, & ne ieiunus remaneat Lector, quæ in præſenti obſeruaui Tabula, exponam. Fœmina ſignata lit. A, nec ſedet, nec ſtat, ſiniſtra equo blanditur, ac in mari poſita eſt, dextera proximam amplectitur figuram, quæ ab ignaro vulgo Syrena denominari ſolet; dixi ignaro vulgo: quoniam eruditi viri, eas aliter denominarunt; Nam imagines illæ, quæ fœminæ faciem habent, & deſinunt in piſces, C non Syrenæ, ſed Nereides ſunt, ita eas cæca appingebat Gentilitas. Syrenæ verò ſuperiorem humanam, inferiorem autem volucrum habebant effigiem, quod fusè narrat laudatus Natalis Comes in ſua Mythologia, ac peculiari nummo demonſtrat eruditiſſimus Vir Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, in ſuo Tractatu de nummis, Dialog. 5. D quem recentiores de Nummis ſcribentes ſecuti ſunt illius ſuppreſſo nomine. Quare omnis ingenuus Vir, menti inſitū habere debet, Plinianum illud dictum: Fatere, per quos profeceris; ex hac enim confeſſione, & aſſertis auctoritas, & propriæ famæ laus acquiritur. Quæ in præſentibus figuris, animaduerſione digna comperi, hæc ſunt; equi Marini pedes tribus digitis cum vnguibus efformatos habent, nullaque cartilaginis inter digitum, & digitū apparet forma, vt in ſimilibus aquatilibus animalibus appingi ſolet. Femina, quæ blanditur equo, brachia duobus brachiolis ornata extendit. Altera verò ſiniſtra tenet Virgam, quæ fortaſſe loti ægyptiaci florem denotat, qui ſolis curſum deſignat, ac ipſius floris planta, in aquis naſcitur, plura alia, de hac planta, & figura narrare valerem, ſed diuagari nolo, ac ad explicationem alterius exemplaris in inferiore huius Tabulæ parte appoſiti, me conuerto. In hac igitur parte aliud conſpicitur Muſiuum opus, quod teſſellatum eſt: ac viſitur in pauimento Eccleſiæ S. Michaelis Ticini; nobis illius communicauit exemplar, Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Franciſcus Belliſomus, quod accepiſſe retulit à Domino Rectore Marcellino Eccleſiæ S: Nicolai Monetæ, quibus ob peculiarem animi propenſionem hanc meam ditandi collectionem tali notitia mihi confirmatam, me deuinctum eſſe fateor. Quonam tempore Muſiuum hoc conſtructum fuerit, difficile eſt inueſtigare. Præteriti ſeculi celebris Scriptor Carolus Sigonius in lib. 3. ſuę Hiſt. de Occidentali Imperio, ad annum 314. ex publica narrat fama, Conſtantinum Magnum Imperatorem poſt obtentam de Francis Victoriam Templum illud ædificaſſe. Quamobrem ex hac ſimplici famæ aſſertione, dubium redditur Eccleſiæ conſtructionis tempus; certum tamen eſt, ibi exſtare pauimentum Teſſellatum rudi opere conſtructum, in quo & ſacræ, & profanę cernuntur imagines. In illius medio variæ ſunt

circuli

TAB. II

A



circuli portiones, quę Labyrinthi A medietatem formant, in cuius centro, Thesæi notissima fabula repræsentatur, Minotaurum occidentis, vt ipsa epigraphes patefacit, quę sic. *Theseus intrauit, Monstrumque biforme necauit*, Animaduersione dignum est, Labyrinthũ hunc admodum varijs viarum ambagibus implicatum esse, ac similem integrum in pręsentiarum cerni hac in Vrbe Roma, in Ecclesia S. Marię trans Tyberim, pariter Tes- B sellati operis in pauimento, prope Sacrarij Ianuam, quod à negligente plebe minimè obseruatur. In supramemorati semi Labyrinthi angulis, scilicet exteriori parte, duę cernuntur figurę; in vna est Draco, in alia equus, quę sęculi Barbariem, ignorantiamque ostendunt, Hę figurę ambas illas, quæ ab Astronomis inter stellas numerantur, demonstrant. Ad dexteram intuentium quadratum est C oblongum, quod mare repręsentat, vt in angulo piscis enatans apertè indicat. Ad sinistram aliud est quadratum, in quo duæ sunt imagines, rudi modo elaboratę; quę Gigantem Goliam, à Dauide interfectum ostendunt; Vt apposita indicant, nomina nempe Dauid, Golia: in ipsius Golię, scuti periferia hęc scripta leguntur.

Sum ferus, & fortis cupiens dare Vlnera Mortis D

Ex Dauidis ore hoc carmen emitti cernitur

Sternitur elatus, stat Mitis ad alta leuatus

C A P V T III.

De antiquis Christianorum Sepulchris.


INter Sacras Veteris Ecclesię memorias, de Sepulchrorum formis, tam apud Ethnicos, quàm Hebræos, antiquosque Christi fideles, deque Episcopi Athletarum monumentis, Martyrijs ac Confessionibus, seu Ciborijs, nec non de Basiliculis egimus in cap. 19. Vet. Monim. par. 1. ibi varias eorundem Sepulchrorum retulimus delineationes; cumque postmodum aliorum eorundem Sepulchrorum varia, ac curiosa exempla ad nostras peruenerint manus, à R.P. Cæsare Pronti viro nostri amantissimo, Rauennâ transmissa, vt eorundem perennet memoria, serisque Posteris, alijsque, quibus ad Rauennatem Vrbem accedere non datur, innotescant, hìc apponere duximus, vt in Tabula III. spectanda se præbeant. Itaque prosequens ordinem ritus Nationum, ab eodem incipiendum esse duco, scilicet ab Arca signata K; quæ procul dubio, ab Artifice Ethnico constructa est, cum figuræ ibi cælatæ, Ethnicorum ostendant morem. Hæc eadem arca sita est Rauennæ, in via propè Ecclesiam S. Io: Baptistę: cuius arcę anterior facies clarissimè apparet, cum duo pueri, vnum, siue duo encarpia in vnum vnita sustineant, cuius in medio cernitur pueri effigies pectore tenus, vt ipsa inscriptio, abbreuiatis litteris, patefacit, quæ sic explicatæ sonant: *Caio Didio Concordiano vixit annis sex, mensibus octo, diebus viginti, Caius Didius Celer Nonius, & Iulia Marcellina*


cellina parentes. Dixi Nonius, cùm diuinari Nomen ex vnica litera, difficile reddatur.


In Arcæ latere insculptus est Genius alatus, qui sinistra aquam, paterà effundere videtur super flammas â supposito vase erumpentes. Vas autem super Arcam impositum est. Idem Genius caput dexteram versùs inclinat, quasi mœrore correptus; quamobrem per hoc hieroglyphicum demonstrari opinor, Genium ipsum dolere de acerba morte nati: Plura de huiusmodi Genijs, apud Gregorium Giraldum de Deis Gentium, & apud Gasparem Barthium, in suis animaduersionibus, lib. 52. cap. 12. perlegi possunt: Nosque etiam aliqua de eisdem scripsimus in nostro opere Vet: Moniment. part. 1. cap. 19. Supra relatam inscriptionem refert Grutherus ad pag. 680. sub nu. 4. at erratam. Hæc satis de hac profana Arca: ad alias conuertimus sermonem.

Primo loco, siue in parte superiori Tabulæ sub literis A. B. C. antiquum refero Sepulchrum, quod vnà cum alijs octo adhuc supersunt in Ecclesia S. Appollinaris in Classe, extra muros ipsius Ciuitatis Rauennæ; de ijsdem Sepulchris meminit Hieronymus Rubeus, ad annum 526. narrans, Theodoricum Gothorum Regem, Arcas ad condenda Defunctorum cadauera, plurimas fieri mandasse ex marmore, & ne iniustè distraherentur, Rauennæ distribui iussisse per Danielem illarum Artificem, quod lugentium non modicæ consolationis, & plausus sint. *Quoniam*, dicebat, *animæ tantùm de mundi conuersatione discedunt*, *corpora verò dulces superstites non relinquunt*. Huius tantummodò Sepulchri exemplar, ex illis nouem, cum alijs sequentibus, nobis transmisit laudatus Reu. Pater Cæsar Pronti, cui plurima debemus, cum antiquitatum Rauennatum solertissimus sit indagator; Arca hæc omnes alias tàm figuris, quàm pulchritudine antecellere scripsit. Cernitur enim in eadem Anaglyphico opere insculptus Saluator Iuuenilis effigiei in Cathedra sedens, qui dexteram in actu benedicendi, eleuat, sinistrà librum tenet. Prima, cum tertia figura, ab eodem latere, pannum brachij eleuatum affert, super quem Corona est. Ad sinistrum latus, sup. nu. 4. Vir est, qui Crucem baiulat, sinistra eandem Crucem cum vna claue detinet; dexteram verò panno obductam præmonstrat. Figura sexta itidem pannum brachijs eleuat, super quo etiam Corona apparet. Quid Coronę istæ ostendant, diximus in nostro Veter. Moniment. vol. 1. cum sermo erat de Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani, & alibi. Littera A. ipsius Sepulchri latus, ad sinistram aspicientium est, vtpote C. est latus ad dexteram: In ipsis ambobus lateribus tres Viri, cum libris, & voluminibus insculpti cernuntur; quos iudico Apostolos repræsentare, vtpote num. 12. quorum Antesignanus est S. Petrus supra relatus ad num. 4. in vtroque laterum timpano Crux est, è cuius extremitate duæ exurgunt palmæ, super quibus duæ insident columbæ, quæ Fideles denotant, vt ostendimus in nostra prima parte Vet. Moniment. ac etiam infra demonstrabimus. Et de hoc Sepulchro satis. Ad aliud modo nos conuertamus signatum literis D. E. F. In huius Arcæ explicatione valde immorandum minimè est, cum Imagines


A
B
C
3 2 1
4 5 6


D
E
F
A
ω


G
H
I


K
L
C·DIDIO
V·A·VI·M·
CONCORDIANO
VIII·D·XX·
C·DIDIVS CELER N ET
IVNIA MARCELLINA PARENTE

gines patentes ſint; nam oues deſi- A gnant Fideles, Columbę ſignificant fidelium animas, Cerui prope vas itidem Fideles demonſtrant, qui ſitientes ad fontes aquarum viuentium, ſcilicet gratiarum ſupernaturalium, currunt, vt pluribus auctoritatibus patefacit eruditiſſimus Vir Aringhus in ſua Roma ſubterranea Tom. 2. lib. 6. cap. 33. Alterum emblema, quod in poſteriori huius Arcæ parte cernitur, Chriſti nomen adumbrat, vt lit. A & B Ω ſcilicet principium, & finis, qui ipſe Chriſtus eſt. In tertio ordine duæ exprimuntur Arcæ, quarum prima ſignata eſt literis G. H. in cuius anteriori facie, apparet Magorum Regum adoratio. In latere dextero eſt Lazarus â mortuis reuocatus, & faſcijs inuolutus, de quo Iuuencus Poeta Chriſtianus ſic cecinit.

Nec mora connexis manibus, pedibuſque repente, C
Procedit tumulo, Vultum cum linea texit.
Et totum gracilis, connectit faſcia corpus.

Licèt ab aliquibus affirmari poſſit, imaginem hanc puerum repręſentare: at nihilominus huiuſmodi obiectioni, reſponderi poſſe, cum pręcitato Aringho, exiſtimo, quòd Lazarum iam quatriduanum in ſepulchro D adumbrat, cuius Vultus iam immutatus, deformis, & exſiccatus eſt, vt cadaueribus plerumque contingit, ac fuſiùs probat Aringhus ſupracitatus, dicto lib. 6. cap. 11. In oppoſito latere ſignato lit. H. expreſſus eſt Daniel in lacu Leonum, qui Chriſtum Dominum miſticè indicat, vt laudatus Aringhus lib. 5. cap. 21. exponit. In hac Arca, ſcribit Fabri, ſepultum fuiſſe Iſaacum Patricium Armenum, inclytum Ducem, nec non Italię pro Imperatore Eraclio Exarcum, qui Rauennę deceſſit anno 641. cui Arcę imminet Epitaphium Gręco idiomate, quod latino redditum ſic ſonat.

Hic iacet, qui reibellicę Ducem egit rectè.
Romam incolumem tutatus, & Occidentem.
Tranquillis Principibus, ter ſex annis.
Iſaacius Regum commilito.
Omnis Armeniæ ornamentum Magnum.
Armenius enim erat hic, ex illuſtri genere.
Hoc mortuo glorioſè, contubernalis.
Soſanna prudens, more caſtę Turturis.
Aſſiduè gemit Vitę priuata.
Viro, qui ſortitus eſt laboribus gloriam.
In Oriente ſole, & Occidente.
Exercitium enim duxit, Occidentis & Orientis.

Hęc de pręfata Arca; modò ad aliam ſignatam lit. I. quę extra Eccleſiam S. Nicolai Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini ſe ſpectandam exhibet; In illius cernitur facie Chriſtus ſedens, dextroque pede Leonis; ſiniſtro etiam ſerpentis, caput calcans; iuxta Pſal. 90. verſ. 13. *ſuper aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem.* Chriſti lateribus duæ adſtant figurę, quę â longeuo tempore ita deprauata

prauatę, corrosęque sunt; vt vix di- A gnosci possint. Iuxta Testimonia mihi relata, quasi fœminas fortasse repręsentant: Assero per istas fęminas; ambas Ecclesias, nempe ex Circumcisione, & Gentibus indicari, vt annuimus in Ecclesia S. Sabinę, nostri operis, Vet. Mon. cap. 21. In latere signato M. cęlata perhibetur mulier sedens, cuius dextera serpentem ex vrna detrahit: An vero ipse serpens, ex eadem prosiliens vrna mulieris ma- B num mordeat, distingui minimè potest, cum figurę ibidem expressę à longa annorum serie detritę sint; quamobrem cum dignosci minimè permittant, nec Ego Oedipus sim, à prolixiore illarum explicatione abstineo. Ad vltimàm deuenio arcam, nempe ad signatam lit. L., quę itidem extra Ecclesiam S. Ioannis Baptistę, collocata est, in cuius faciei medio, stat Redemptor noster Christus, qui C sinistra Volumen obuolutum porrigit cuidam viro, qui illud in panno super manibus expanso, recipit; fortasse per has imagines Pictor, siuè Sculptor demonstrare voluit, diuinam illam iussionem Apostolis datam: *Euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ*; iuxta Marc. 16. 15. Notandum est, quod Euangelia primis Ecclesię temporibus, in voluminibus exarabantur. D Hęc sunt, quæ de allatis Arcis, â me non spectatis, sed tantum transmissis explicare satego; An punctum attigerim, tu ipse benigne Lector aduertes.

CAPVT IV.

Expositio duorum Sarcophagorum sacrum Baptismatis Ritum indicantium, quorum occasione veterum Baptismalium Fontium præsertim Lateranensis, & Pisarum ostenditur forma.

PRIMVM Christianæ Religionis mysterium, seu primum Sacramentum, quod ad salutem Ianuam pandit, sacrum est Baptismum, quod expressis pronunciauit verbis ipsius salutis Auctor, IESVS CHRISTVS, dùm dixit Nicodemo: *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum DEI*. Ioan. cap. 3. n. 5. Medium enim est, quo geniti mundo, regenerantur gratię, nàm per ablutionem corporis diluitur anima, & per eiusdem immersionem â submersione in ignem ęternum liberatur. Iurè prima communis naufragij nuncupatur Tabula, cuius pręsidio tanquam Arca Noe ab illuuie peccatorum, & sempiterno interitu homines subtrahuntur. Hoc humani generis ipse Redemptor nobis palàm fecit, dùm in Iordane flumine â Ioanne Baptista baptizari voluit. Sic narrat sacer Euangelista Marcus cap 1. n. 9. *In diebus illis venit IESVS à Nazaret Galileæ, & baptizatus est à Ioanne in Iordane*. Passim hoc mirabile Sacramentum, tàm à priscis, quàm à recentioribus Fidelibus picturâ, atque sculpturâ expressum proponitur, vt innuimus in Tab. LXX. S. Ioannis in fonte Rauennę in prima parte cap. 25. no-

25.noſtri operis Veterum Monimen- A
torum, ac in alijs Tabulis, nempe Tab. IX. & Tab. XXIII. quas infrâ exhibemus. In hiſce tabulis viſitur Chriſtus immerſus in aquis, nec non Ioannes aquam ſuper caput eius effundens. Hinc apud quoſdam oritur dubium, an Baptiſmum per immerſionẽ, ſeu per aſperſionem, aut vtramque fieri debeat. Quòd antiquitùs ſacer iſte ritus per immerſionem celebraretur,
adſunt teſtimonia variarum Iconum, B
variorumque Scriptorum. Præter relatas tabulas, duas alias affero, alteram per immerſionem, & aſperſionem ſacrum ritum exprimentem, alteram tantummodo per aſperſionem. Venerandę huius antiquę memorię exemplar nobis Neapoli iam â nonnullis tranſmiſit annis Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Andreas ab Aquino Epiſcopus olim Tricaricenſis, cui ob humanitatem hanc me C
deuinctum eſſe fateor; ſcripſit mihi, hęc monimenta marmore extare inſculpta in Palatio Principis Caramanici Affinis ſui, duoſque Sarcophagos repręſentare, quos repertos fuiſſe, aſſeruit apud maritimam oram, vulgò Chiaia, Neapolis ſuburbium, in Villa eiuſdem Principis. Cum igitur in ambobus hiſce Sarcophagis Viri prolixâ barbâ expreſſi ſint, non abs re coniectari poteſt, ipſos aut Longobardos, D
aut Gręcos indicare. At cum in illa reperti ſint regione, me minimè falli autumo, ſi dixero repręſentare Longobardos, qui ad Chriſtianam fidem â Theodolinda, quę decus, & ornamentum Bauarię Principum extitit, ſic eam ad Annum 591. n. 41. Eccleſiaſticę hiſtoriæ parens Cardinalis Baronius nominat, conuerſi fuère.

Antequam meam hanc coniecturam rationibus fulciam; operę pretium poſcit, nonnullas proponere difficultates, quę obicii poſſunt, vt hiſce ſolutis vnuſquiſque faciliùs deindè ſuam valeat promere ſententiam.

Prima, quę adduci poteſt difficultas eſt, quòd Theodelinda iam fuiſſet fidelis, quando Agilulfum Virum ſuum, vt infra dicturi ſumus, ad Chriſtianam amplectendam Religionem adduxit; Ergo non poteſt ſtare ſimul cum Viro in pelui, vt expreſſa cernitur in Sarcophago, quia Baptiſmus, ritu debito collatus reiterandus minimè eſt.

Secunda. Quòd omnes Longobardi erant Ariani, ergo baptizati; itaque vir, & mulier in pelui expreſſi Longobardi minimè ſunt.

Tertia. Vtrum Longobardi Neapoli commorati fuerint.

Vt autem his motis difficultatibus ſatisfiat, clariùſque veritas eluceſcat, ab alto ſumendus eſt ſermo, quem minimè ingratum fore, puto ſi differentem referam Ioannem Adlzreitter, qui licet Neotericus ſit Scriptor, tamen in proprię Nationis geſtis, alijs edoctior putandus eſt. Hic in ſua hiſtoria Bauarica parte 1. lib. 6. n. 10. de Theodelinda ſic fusè narrat: Garibaldus ob eam victoriam
,, Longobardis addictior affinitatem
,, iunxit cum Rege Authari. Habebat
,, pręter Euini coniugem filiam alte-
,, ram Theodelindam, Principem
,, Virginem, in quam Cœlum omnia
,, corporis, animique decora videba-
,, tur contuliſſe. Autharis à Longo-
,, bardis Rex ſalutatus, ſpe pacis à
,, Francis obtinendę Clodoſindam
,, Sigeberti Mediomatricum Regis

» filiam ambiuerat; & à Childeberto A
» Virginis Germano, eius potiundę
» promiſſum acceperat: verum vt
» vacillant ſępe futuri matrimonij
» ſponſiones, Clodoſinda Reccaredo
» Gothorum Regi, qui Bada Regina
» defuncta Hiſpanię Regnum obti-
» nebat, in manus conuenit, eò ma-
» ximè, quòd Reccaredus nuper Her-
» menigildi fratris exemplo, deſerta
» Leouigildi patris Ariana perfidia,
» ex Leandri Epiſcopi Hiſpalenſis in- B
» ſtitutione, Chriſtiana ſacra ſuſce-
» piſſet, Authari non dum vana Deo-
» rum religione expedito. Ad hoc
» conſilij non parum momenti attu-
» lit Gothica potentia, quę longa
» annorum proſperitate roborata ef-
» fecit, vt is ſponſus placeret magis,
» qui ſperabatur fore vtilior. Au-
» tharis repulſam paſſus, multa-
» que de violatis Franci, promiſſis
» conqueſtus, ſua vota ad Regis Ga- C
» ribaldi affinitatem conuertit, &
» quam ad nuptias expetebat Theo-
» delindam, non ægrè impetrauit.
» Ea re per Legatos confecta Autha-
» rim viſendę ſponſę iuuenilis ardor
» inceſſit, ne alienis potiùs oculis,
» quàm ſuis, quę de ſponſę forma,
» præclariſque virtutibus acceperat,
» vſurpaſſe videretur. Ergo per ſpe-
» ciem Regię Legationis, ſene quo-
» dam è familiaribus fidiſſimo, pau- D
» ciſque alijs, qui aliquam pompam
» facerent, comitantibus, ipſe alie-
» num habitum mentitus ſe Veronâ
» in Boiariam contulit. Vt fuerunt
» admiſſi ad Garibaldi colloquium,
» ſenex, qui primas fictę Legationis
» partes agebat, Regis ſui nomine,
» quę ſe in mandatis aiebat accepiſſe,
» perorauit. Autharis in ſcena perſo-
» natus, addidit ad ea, quę ſenex di-
» xerat, ſe à Rege Authari, quæ pars
» altera cauſæque ſui aduentus, &
» Legationis eſſet, iuſſum, cum bona
» Garibaldi venia, Theodelindam
» ſalutare, vt inſpecta coram eius for-
» ma, Sponſo cum fide referret, quę
» oculis accepiſſet. Ea ciuilitas Gari-
» baldo placuit. Licebit vtique tibi
» (inquit) os, habitumque ſponſæ vi-
» ſere, & Authari referre. Ergo ad-
» ducitur Theodelinda, ea morum,
» & vultus elegantia, vt Autharis ta-
» citè Virginem admiratus, cuicun-
» que fortunę, & dignitati parem iu-
» dicaret. Tùm conuerſus ad Ga-
» ribaldum: ſatisfactum, quidem
» eſt Regis, Domini mei deſiderio;
» ſed ignoſce obſecro meę confiden-
» tię, ſi alterum quoque beneficium
» Regis mei verbis à te rogito, vt di-
» car probe functus mea Legatione.
» Et illud quidē eſt, vt à te impetrem
» eam gratiā, qua Theodelindam
» iubeas, quippè quę Regni, noſtrum-
» que omnium propediem imperium
» aditura eſt, ſui in Regem amoris,
» & propenſi in gentem noſtram af-
» fectus teſſeram hoſpitalem, videli-
» cet pateram, in Autharis ſalutem
» mihi benignè prælibare. Et hoc
» per me licet, inquit Garibaldus: Tu
» verò filia poculum tempera, & hoſ-
» pitibus propina more patrio. Fecit
» illa, quod erat iuſſa à parente, &
» prælibatum craterem, ſeni, potiori
» legationis mimo porrexit, tùm de-
» inde Authari. Is cum Virgini pa-
» teram redderet, manum ipſius digi-
» to preſſit, nemine aduertente, &
» creſcenti fidentia palmam expli-
» catam duxit per frontem, cæteram-
» que faciem erubeſcentis, nec ob-
ſcurè

,, scurè hospitis liberati irascentis. A
,, Qua de re cum apud nutricem in-
,, dignabunda querelas deponeret,
,, diceretque petulantem hospitis au-
,, daciam, ad sponsi iniuram perti-
,, nere, quæ certè non deberet dis-
,, simulari, ne credi aliquando posset
,, Theodelindam famę, pudicitiæque
,, hactenus illibatæ, os, frontemque
,, delibatam sua culpa, ad sponsum
,, attulisse; nutrix acerbè queritantem
,, solata monuit, à querimonijs in
,, presens sibi temperaret, sibi habe-
,, ret potiùs persuasum, neminem
,, præter Regem Autharim id ausum
,, esse, breui certò comperturam,
,, sponsum ipsissimum esse, qui sibi
,, id licentiæ sumpsisset, quam nullus
,, aliùs, nisi capitis periculo tentasset.
,, Et si à morum maiestate, & totius
,, oris, corporisque compositione
,, verè regia liceret ratiocinari, vrba-
,, nitatem longè excellentissimam, C
,, flauam cæsariem, vultus amęnita-
,, tem plenam dignitatis Regem
,, prodere: quare ne dubitaret, spon-
,, sum incognita licet specie, adfuisse.
,, Pacata his dictis Theodelinda dolo-
,, rem pressit, quem cum Autharis
,, ex rubore, & contracto ad iram
,, vultu notasset, magnoperè fuit re-
,, creatus; quòd non nesciret, fron-
,, tem verecundam, animum ioci li-
,, centioris impatientem, horrorem
,, contactus alieni, non modò bonos D
,, esse custodes, sed etiam iudices in-
,, taminatæ pudicitiæ. Cum Garibal-
,, do valefecisset, nobili Boiorum co-
,, mitatu iter est ingressus. Italiæ
,, finibus imminens, se honorarijs
,, Stipatoribus hoc signo prodidit:
,, Equo, quo vehebatur assurgens,
,, toto nisu securiculam manuariam
,, arbori, ad virium ostentionem im-
,, pegit, cum dicto; sic solet ferire
,, Rex Autharis. Quibus verbis, Boijs
,, comitibus omnis est abstersa du-
,, bitatio, bellum istum Legatum
,, esse ipsum Longobardorum Re-
,, gem. Contingere hæc anno Christi
,, DLXXXIX. cum pestis inquinaria,
,, altera vice recrudescens, innume-
,, ram hominum multitudinem,
,, ipsumque Romanum Pontificem
B ,, Pelagium, cuius precibus se stare
,, Vrbs arbitrabatur, sustulit 8. Id.
,, Februarij, vt habet Sigonius, anno
,, DXC. Eodem Sigonio teste, Au-
,, tharis abiecta gentilitate cum suis
,, lapsus est in Arij errores, & ferijs
,, Paschalibus Longobardorũ liberos
,, iussit veteræ quidem Ecclesiæ ritu,
,, sed in fide Ariana expiari. De qui-
bus postremò infrà multa subij-
ciam. Successiuè idem Auctor suam
prosequitur narrationem n. 13.

,, Etenim Longobardi, accepto
,, de Regis sui nece per acerbo nuntio,
,, coactis properè Ticini Procerum
,, comitijs, Legatos miserunt in Gal-
,, liam pacem petituros, deque Rege
,, creando deliberarunt. Placuit in
,, commune, vt Theodelindæ omne
,, Regis eligendi suffragium deferre-
,, tur, eà lege, vt quemcumque illa
,, sibi maritum optaret, idem Regno,
,, simul, & eius connubio potiretur.
,, Illa audito virorum sapientum iu-
,, dicio, Agilulfum Taurinatium Du-
,, cem legit, virum fortem, & di-
,, gnum imperio. Pompæ nuptiali
,, Laumellum oppidum dixit. Eò vo-
,, catum Agilulfum, cum ad familiare
,, epulum admisisset, iussit adferri
,, poculum vino temperatum: quòd
,, cùm Agilulfo prelibasset, quod

„ erat reliquum, obtulit ebibendum. A „ Is cum accepto cratere, Regiæ dexteram honoris causa basiaret. Regina verecundo suffusa rubore: Id verò nunc (inquit) agitur Agilulfe, non vt suauieris manum, sed nisi per te stat, os Reginæ, Maritus, Rexque futurus osculeris; mox erecta ad osculum de nuptijs, si eas ipse quidem probaret, deque adeundo Regni fastigio, suam ipsi mentem aperuit. Secute sunt priuatæ coniu- B gij cæremoniæ ineunte Nouembri, gratulante Longobardorum, qui tum pauci aderant, Procerum corona, & salutante Regem Agilulphum. Sequenti deinde Maio, in publico Principum cœtu Agilulfus donatus est Mediolani Regni insignibus, in quibus corona aurea ferreo annulo, Theodelindæ iussu, interius circumducta: quam ex eo tempore in vsu fuisse memorant, C quoties peracta fuit Italiæ Regum inauguratio, corone ferreæ nomine retento. Et paulò post sub num. 14.

„ Agilulfus sacris vndis ablutus Petri nomen accepit: an verò Theodelinda domi paternæ Religionem conbiberit, an meliori institutione in Italia, quàm in Norico sit vsa, in ambiguo est; vero tamen similiùs est è patria attulisse bonam indolem, & initia pietatis, & eius ab- D solutionem hausisse in Italia. Sed illud est maius omni admiratione, quòd cum id æui virorum sapientissimorum copia non deesset, Deus vno eodemque sæculo, tres potentissimas totius Europæ nationes nomini Christiano quanlibet infensissimas ad mansuetudinem Christi adiunxerit per totidem fœminas; Francos in Gallia per Crotildem Burgundam; Gothos in Hispania per Ingundem Francam; Longobardos in Italia, per Theodelindam Bauaram, quibus gens Boica accessit per Francam Reginotrudem. Agilulfus ex Vxoris suasu, & ductus vitæ superioris pœnitudine, sacras opes, & Ecclesias bellis vehementer afflictas cœpit instaurare, nouisque cumulare possessionibus, Antistites, quos temporum acerbitas valdè depresserat, pristinis honoribus reddere. Gregorius Pontifex, verè Magnus, actis Theodelindæ per literas gratijs, id egit, vt Regi Agilulfo auctor esset pacis cum Romanis, cœteraque Italia, quam Longobardi totam non dum subegerant, ineundæ: cum datis ad Italiæ Episcopos mandatis, eos iussit Longobardorum filios nuper in hæresi Ariana perperam ablutos, fidei Catholicæ conciliare. Agilulfus nihil habuit antiquius, quàm vt pacem Italiæ redderet: quam ad rem Agnellum Tridenti Episcopum misit in Franciam, qui captiuos, ex agro Tridentino nuper abductos, redimeret: Euinum Tridentinorum Ducem ei dedit comitem, cum mandatis, vt pacem agi cæptam daret confectam. Episcopus benignè acceptus, complures mortales in libertatem asseruit, Brunechilde Regina, Childeberti Regis Matre, quæ suo ære multos vinculis exemit, adiuuante. Euinus ad certum annorum numerum inducias impetrauit, quæ renouatæ sæpiùs arma Francorum continuerũt, ne in Longobardas stringerentur. Perpen-

Perpendenda sunt istius Auctoris narrata, qui asserere minimè audet, vbinam Theodelinda Christianam susceperit fidem in Norico ne, vel in Italia. Concludit postea bonam indolem, & pietatis initium è Norico attulisse, in Italia verò Christianam amplexatam fuisse Religionem. Audiamus modo Paulum Vvarnefridum Diaconũ Aquileiensem propriæ Nationis facta describentem, qui in fine octaui seculi claruit. Is lib. 4. cap. 5. sic fatur--His diebus (scilicèt ann. 590.)
„ sapientissimus, & beatissimus Pa-
„ pa Gregorius Romanæ Vrbis, post-
„ quam alia multa ad vtilitatem
„ Sanctæ Ecclesiæ scripserat, etiam
„ libros quatuor de Vita Sanctorum
„ composuit, quem Codicem Dia-
„ logum, id est duorum locutionem,
„ quia eum colloquens cum suo Dia-
„ cono Petro ediderat appellauit.
„ Hos igitur libros præfatus Papa
„ Theodelindæ Reginę direxit, quam
„ sciebat vtique, & Christi fidei de-
„ ditam, & in bonis actibus esse præ-
cipuam. Ac cap. 6. prosequitur:
„ Per hanc quoque Reginam mul-
„ tum vtilitatis Dei Ecclesia conse-
„ cuta est. Nam pœne omnes Ec-
„ clesiarum substantias Longobardi,
„ dùm adhuc gentilitatis errore tene-
„ rentur, inuaserunt; sed huius sa-
„ lubri supplicatione Rex permotus;
„ & Catholicam fidem tenuit, &
„ multas possessiones Ecclesiæ Chri-
„ sti largitus est; atque Episcopos,
„ qui in depressione, & abiectione
„ erant, ad dignitatis solidæ hono-
„ rem reduxit.

Ex hac itidem narratione, etiam in ambiguo manet, quonam tempore ipsa Theodelinda Christianam susceperit fidem; Propterea huius etiam Auctoris sunt perpendenda narrata: Is dixit; Theodelindam Christianæ fidei fuisse ***deditam***, id est propensam, at non sacro fonte dilutam; & si diuinari fas est, iam in Christianis dogmatibus instructam, siuè catechizatam, nondum tamen baptizatam; quia Autharis primus eius maritus Catholicam auersabatur Religionem; quare ad eiusdem Theodelindæ bonam fouendam intentionem, illiusque captandum animum, S. Gregorius Dialogorum Codicem à se compositum direxit. Quòd initio anni 591. nondùm Theodelinda baptizata fuerit, ex ipsius Gregorij epistola 17. lib. 1. Indict. 9. ad vniuersos Episcopos Italiæ scripta deduco, in qua conqueritur, quòd nefandissimus Autharis (scilicet supra citatus Rex, ac ipsius Theodelindæ Vir) in Paschali solennitate Longobardorum filios, in fide Catholica baptizari prohibuisset, pro qua culpa eum diuina Maiestas celeri mulctauit morte, nec aliam solennitatem Paschalem aspexit. Autharis decessit mense Septembris Anno 590. vt placet Sigonio; ex quo colligo, Theodelindam adhuc non fuisse Christi fidelem, quoniam si Christianam Religionem iam amplexata fuisset, vtique ad illam de hisce baptizatis scripsisset, sicuti de alijs rebus postmodum scripsit. Mortuo enim Authare Theodelinda eius vxor propositum, quod ipso viuente iam mente conceperat, nempè de amplectenda religione, faciliùs fouere potuit, Monachorum conuersatione, vt ex alia epistola 42. lib. 7. Indict. 2. eiusdem Gregorij ad ipsam Theodelindam colligo, in qua Probi Abbatis

Abbatis meminit; cuius nàm Monasterij Probus iste Abbas fuerit, ex alia deducitur epistola 22. lib. 9. Indict. 4. nempè Monasterij S. Andreæ, & Luciæ. His positis, me puto, multa in lucem emisisse, quibus firmo Theodelindam anno 591. sacrum suscepisse baptismum, vt clariùs infra apparebit. Ad secundam itaque transeamus difficultatem.

Pro maiori meæ coniecturæ firmitate, quòd Vir in pelui expressus, Agilulfus sit, numismatis adduco exemplar, quod refert Angelus Breuentanus in sua Longobardorum Regum Gentilitia arbore, vbi sub num. 4. eiusdem Agilulfi exhibet ex nummis, siue nummismatibus depromptam imaginem, quę barbatum Virum demonstrat, multamque vniformitatem cum Viro in Sarcophago expresso detinet. Insuper in eadem figura notandum, in capitis summitate, more Christianorum Imperatorum Crucem adesse, ex qua deduco, illum primum Regem Christianum Longobardorum Regum fuisse; cum illum sequentes eadem cruce appareant insigniti; præcedentes verò illa careant. Nummi, siue nummismatis exemplar sequens est.



Quòd Longobardi omnes Ariani essent, in hoc soluendo dubio, immorandum minimè est; cum iam Eminentissimus Purpuratorum decus Baronius, ad annum 573. illud annuerit demonstrans, partim Christianos, partim verò Gentiles, Idolorumque fuisse cultores; in quorum extitisse numero Agilulfum secundum Theodelindæ maritum, autumo. Quapropter ab hac difficultate tertiam exagitemus, nempè: Vtrum Longobardi Neapoli commorati fuerint.

Pro affirmatiua adduco sententia, Longobardos anno 571. Beneuentanam occupasse Regionem, illamque vsque ad annum 971. detinuisse, vt dignissimus Præsul Vigiliensis Episcopus Pompeius Sarnellus in suis memorijs Chronologicis Ducum, & Principum Beneuentanorum ostendit. Hoc medio tempore, nempè anno 615. ijdem Neapoli degebant, eamque inuadere tentârunt, vt ex laudato Baronio ad ann. 604. infero; & ad dictum ann. 615. n. 5. lego, Eleutherium Exarchum ab Imperatore Neapolim missum fuisse ad compescendam rebellionem, quam Ioannes Consinus istius Ciuitatis, & Prouinciæ Præfectus, cæso Ioanne Exarco, molitus erat, qui paulò post ab eodem Eleutherio etiam occisus fuit, vt laudatus Paulus Diaconus lib. 4. cap. 35. testatur. Veròsimile propterea est Agilulfum Consini Consanguineum fuisse; propterea, tàm ratione sanguinis, & Nationis, quàm etiam Vicinitatis, amicum, vnitumque eidem fuisse, & dùm Consinus Neapolis habenas regebat, ibidem Agilulfum obijsse, ac in Chiaiæ eiusdem Ciuitatis suburbio fuisse tumulatum.

His demonstratis, satis me probasse autumo in pelui expressos Theodelindam, ac Agilulfum Virum suum, repræsentare. Superest modò, vt pro

maiori

maiori Lectoris intelligentiâ nonnullas alias explanem difficultates, quæ ex eiusdem tabulæ oriuntur aspectu.

Prima est de Ministro Baptismi, qui ex vestibus Laicum fuisse apparet.

Secunda est Baptismatis forma, quæ per aspersionem, & immersionem repræsentatur.

Quoad primam, quòd minister Laicus sit, clarissimè ex indumentis concernitur; nàm clamide, siue pallio, & thorace, nec non colobio, ac cuturnice, seu tibialibus vestitus est; insuper rasam habet barbam. Quare hæc omnia hominem latinum esse designant. Quòd Laici in necessitate baptizare licitè valeant: omnes conueniunt Canonistæ. Pro præsenti verò exprimendo baptismatis ritu audiamus celeberrimum Scriptorem Tertullianum differentem, qui c. 17. de baptismo sic loquitur.

„ Superest ad concludendam materiolam, de obseruatione quoque „ dandi, & accipiendi baptismum „ commonefacere. Dandi quidem „ habet ius summus Sacerdos, qui est „ Episcopus, de hinc presbyteri, & „ Diaconi; non tamen sine Episcopi „ auctoritate, propter Ecclesiæ hono„ rem; quo saluo, salua pax est, alio„ quin etiam Laicis ius est; quod enim „ ex æquo accipitur, ex æquo dari po„ test, nisi Episcopi iam, aut Presbyte„ ri, aut Diaconi vocantur dicentes. „ Domini sermo non debet abscondi „ ab vllo. Proindè, & baptismus, æquè „ DEI census ab omnibus exerceri „ potest: sed quantò magis Laicis „ disciplina verecundiæ, & modestię „ incumbit? cum ea maioribus com„ petat, ne sibi adsumant dicatum „ Episcopis officium Episcopatus. Æ„ mulatio, schismatum mater est. „ Omnia licere dixit Sanctissimus „ Apostolus, sed non omnia expedi„ re. Sufficiat scilicet in necessitati„ bus vtaris, sic vbi aut loci, aut tem„ poris, aut personę conditio compel„ lit. Tunc enim constantia succurren„ tis excipitur, cum vrget circumstan„ tia periclitantis. Quoniam reus erit „ perditi hominis, si supersederit „ præstare, quod liberè potuit.

Igitur supra relata verba (aut personæ conditio compellit) in casu nostro applicari posse videntur, & summoperè.

Hæc prima fronte, mea fuit sententia, quæ cum nonnullis doctis, ac eruditis fuerit à me communicata viris, eos contrarios adinuenit, eo quia sustinebant, Baptismum absque culpa per Laicum ministrari non posse, quando in promptu est Sacerdos: sed in allato Sarcophago representantur Monachi senes, qui verosimilitèr Sacerdotes erant, & fortè ijdem, qui Agilulfum cathechizarunt, propterea ad eos absque vllo dubio spectabat Baptismum ministrare. Obiectio hæc licet validissima sit, nihilominùs suas habet responsiones, si in allatis Tertulliani verbis insistere velimus, qui necessitatem exprimens, ad tria capita reducit, nempè ad locum, ad tempus, & ad personæ conditionem, quæ tria in præsenti nostro Emblemate concurrere existimo; ad locum, qui erat tunc possessus à Longobardis Ethnicis, siuè Arianis: ad tempus, quia ijdem dominabantur; ad personę conditionem, quia de illorum Rege, & Regina agebatur. Propterea ab illius tunc temporis Episcopo magni momenti existimata fuit Zelotypia,

pia, quæ forsitan ipsum Regem à A Baptismo retrahere poterat, ob deficientiam personæ sibi beneuolæ, quæ baptismum ei conferret. Quamobrem magis ad Religionem propagandam conducebat hanc concedere facultatem Laico, quàm illam denegare. Reges enim non eadem mensurâ, qua cœteri inferiores metiendi sunt, cum ex illorum voluntate Subditi dependeant; quare si ad nouam Rex conuertebatur fidem, Subdito- B rum etiam conuersio sperari prudentèr poterat, vt cecinit Vates Claud.

Mobile mutatur proprio cum Principe vulgus.

Et alius paritèr cecinit:


O' quanto exemplo generoso in Principe vis est!
Tu vitando vetas, tu faciendo iubes.
Princeps, principium motus, Rex regula vitæ. C
Circumfert, Cœlum sydera; Rex Populum.

Plura alia pro meâ firmandâ sententiâ, quòd Laico, in proposito casu, licuerit esse Ministrum Baptismi, adducere valerem, nisi nimiæ timor prolixitatis me retardaret. Sufficiat hic pro eiusdem sententiæ maiori firmitate, inter nostri æui Theologos, inclytum Suarez adducere, qui in tertiam partē D.Thomæ. Tomo 3. q.67. D plura de Baptismo fatur, & presertim: „ In Baptismo non semper necesse „ est extremam necessitatem expe- „ ctare, nàm etiam extra illam prop- „ ter magnam vtilitatem, aut ne co- „ gatur quis multo tempore baptis- „ mum differre, potest illum à Laico, „ vel alio simili Ministro recipere. Et „ ideò fuit conueniens hanc potesta- „ tem concedi absolutè, & non limi- „ tatè ad casum necessitatis extremę. Non officit addere, quòd Monachi, præsentes eidem Baptismo cernantur, Nàm ibi forsitan ab Artifice expressi fuere, non vti Baptismi testes, sed vt eiusdem Baptismi Auctores. Nolo hìc sub silentio præterire, quòd Monachi primis Ecclesiæ seculis ad sacerdotale munus minimè ascendebant, vt fusè, ac eruditè demonstrat Sacrorum Canonum illustrator modernus Gonzalez ad tit.de Elect. & Elect. potest. c. 1. ad quem benignum mitto Lectorem. Insuper Monachi presbyteri radebant barbam, Couersi laici eam prolixam deferebant, vt docet Dufresne in Alcibiade pag. 283. & Marthene, de antiquis Monachorum ritibus lib. 5. c. 7. n. 25. in fine. His obiectionibus, & responsionibus expositis, altera insurrexit difficultas, nempè Zelotypiam causam motiuam in hoc baptismo esse minimè potuisse, vt â Laico conferretur baptisma, cum in altero Sarcophago Vir simili modo vestitus cernatur, qui super caput Viri barbati, sacram effundit vndam; quamobrem Zelotypia in hoc non cadit, ideo non potest mea militare opinio. Hæc noua difficultas, me ad alia coniectanda impulit. Primo igitur loco mea in mente reuolui, quòd primis Ecclesiæ seculis Christiana Religio, veluti flos agri è solo erumpebat: Postea Romani Pontifices, Concilia, alijque Ecclesiæ Patres decretis, sacrisque Canonibus à vepribus, alijsque inutilibus plantis eam repurgarunt: sicque Clerici, & Presbyteri, peculiares non habebant vestes, postea à Canonibus præscriptas, sed eas gestabant, quas consuetudo Clerica-

lis




Tab.
pag




Tab. IV
pag.

lis introduxerat : nonnulli vero conditionis ſuæ immemores, laicalia gerebant veſtimenta . Clarè id deducitur ex Canone 3. Conc. 1. Romani habiti ſub Zacharia ſummo Pontifice anno 743. qui ſic ſe habet :

„ Vt Epiſcopus, Presbyter, & Dia-
„ conus ſecularibus indumentis mi-
„ nimè vtantur, niſi, vt condecet tu-
„ nica ſacerdotali . Sed nec dùm am-
„ bulauerit in Ciuitate, aut in via,
„ aut in plateis ſine operimento præ-
„ ſumat ambulare, præter ſi in iti-
„ nere longo ambulauerit.

Si igitur mos iſte inter Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos, veſtes ſeculares geſtandi anno 743. vigebat, quanto magis anno 600. quo tempore floruit Agilulfus, cum leges, quæ eduntur, abuſus iam vt plurimum à longo tempore introductos, corrigant. Vlterius addo; veſtes illæ, licèt laicales appareant, nihilominùs Epiſcopales ſunt, ſi integram fidem præbere velimus Paleæ, quæ habetur diſt. 96. cap. Conſtantinus *il ſecondo* : vbi idem Imperator concedit Syluestro ſummo Pontifici, eiuſque ſucceſſoribus, inter alia corporis ornamenta Chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, quæ appropriantur ipſi figuræ in Sarcophago expreſſæ. Hæc ſi admitteretur opinio; vtique controuerſiam Paleæ confirmaret, ſed cum in præſentiarum alienatorum fratrum numerus abundet, hanc quoque ommitto coniecturam, & ad certiorem me conuerto.

Apud antiquos mos fuit, qui adhuc viget, & ſeruatur; quando Apoſtolici Viri, ad prædicandum Euangelium mittuntur in Regiones,

A à quibus Chriſtiana, & Catholica exulat Religio, viri illi mentitis veſtibus in illas ſe conferunt partes. Aſſertionem hanc celeberrimus Purpuratus Baronius ad annum 370. num. 8. exemplo ex Theodoreto deſumpto, firmat, ſcribens, Euſebium Epiſcopum Samoſatenum, cum multas Eccleſias Paſtoribus orbatas intellexiſſet, habitu militari, ob Arianorum metum, indutum, & capite thi-
B ara operto Syriam, Phœniciam, ac Paleſtinam peragraſſe, ac Presbyteros, & Diaconos creaſſe. Hæc praxis huiuſmodi geſtandi veſtes à ſimilibus viris omnibus notiſſima eſt; noſtroque æuo clar. mem. Chriſtina Suecorum, Vandalorumque Regina catholicam amplecteti volens religionem, ſecretò duos ad ſe vocauit omnigenæ ſcientiæ præſtantes viros, nempè P. Malines, & P. Caſati Soc. Ieſ. qui
C tanquam nobiles Itali curioſitatis gratiâ, exteras peragrantes Regiones laicali habitu Stocolmum, Regiam Vrbem, ſe conferrent, vt fusè narrat Comes Galeatius Gualdus in ipſius Reginę vita. Ex narratis igitur, motæ difficultati, de Baptiſmi Miniſtro, me ſatisfeciſſe duco, & ad ſecundam, ſuperiùs etiam adductã difficultatem de Baptiſmi forma me conuerto.

Ex S. Cypriano in epiſt. 59. ad Fi-
D dum Epiſcopum habemus, quòd ęuo ſuo Miniſter baptiſmi poſt ſacrum Lauacrum Baptizatos deoſculabatur, ſic enim iſte Chriſti Athleta loquitur.

„ Nàm DEVS ut perſonam non ac-
„ cipit, ſic nec ętatem, cum ſe om-
„ nibus ad Cœleſtis gratię conſecu-
„ tionem æqualitate librata prębeat
„ Patrem. Nàm, & quod veſtigium
„ infantis inprimis partus ſui diebus

„ constituti, mundum non esse dixi-
„ sti, quod vnusquisque nostrum
„ adhuc horreat, exosculari, nec hoc
„ putamus ad cœlestem gratiam dan-
„ dam impedimento esse oportere,
„ scriptum est enim: omnia munda
„ sunt mundis. Nec aliquis nostrum
„ id debet horrere, quod Deus di-
„ gnatus est facere. Nam etsi adhuc
„ infans à partu nouus est, non ita
„ est tamen, vt quisque illum in gra-
„ tia danda, atque in pace facienda
„ horrere debeat osculari; quando in
„ osculo infantis vnusquisque nostrũ
„ pro sua religione ipsas adhuc re-
„ centes Dei manus debeat cogitare,
„ quas in homine modò formato, &
„ recens nato, quodammodo exos-
„ culamur, quando id, quod DEVS
„ fecit, amplectimur.

Hanc eandem Cypriani auctoritatem Magnus ille Hypponenesis Episcopus Augustinus ferè eisdem allegat verbis in lib. 4. ad Bonifacium cap. 8. contra duas Epistolas Pelagianorum, nonnullique alij recentiores amborum Patrum referunt dicta, inter quos Ioseph Vice-comes in suo tractatu de antiquis Baptismi ritibus, ac cæremonijs lib. 5. cap. 1. vbi in fine colligit, hunc osculandi morem diù in Baptismi Sacramento durasse, donec veteri simplicitate in fraudem, & malitiam verti cœpta, eum prudenti consilio Patres ab Ecclesia sustulerunt.

Pro maiori huius sententiæ robore, auctoritatem Gabrielis Albaspinei Aurelianensis Episcopi, addere volo, qui in suo tractatu de Eucharistia lib. 2. c. 15. S. Ambrosij locum in Psalm. 39. adducit; vbi sic: Oscu-
„ lum, quod sacræ pacis insigne est,
„ osculum, quo amicitia fida firma-

A „ tur, osculum, quo fides sancta,
„ signatur. Laudatus notat Albaspineus, locum hunc ad baptismatis osculum alludere, ac fidem exprimere, quę in Baptismate recipitur, ac osculo signata, & obsignata erat, idque antiquis Patribus, eorumque Doctrinę conforme esse asserit; Quoniam sicut Tertullianus ducit; osculum pacis in missa orationis signaculum erat, ita S. Ambrosius pronunciat,
B quòd erat signaculum fidei; quamobrem apparet, pacis osculum tàm in baptismate, quàm in Missa fuisse datum. Hancque eandem disciplinam, ordine Romano comprobari scimus in Tractatu ceremoniarum Baptismatis, vbi refertur, Episcopum, postquam Baptizatis candidas dederit Vestes, eisdem dicere: *pax tecum*, quare istę voces sunt, quę in osculo pacis pronunciantur, & licet ordo
C nullam de hac actione mentionem faciat, nihilominus refert verba, quę semper ipsam sociantur actionem, demonstratque Baptizatos deosculari. Hęc laudatus Albaspineus. Itidem sacrę historię peritissimus Lupus prędictum etiam S. Cypriani locum Tom. 3. in dissertatione de S. Leonis IX. actis Crimine octauo pag. 914. adducit. Quare ex allegata S. Cypriani auctoritate, ac citatorum Scripto-
D rum sententijs infero, ritum hunc, deosculandi Baptizatos, etiam in sexti sęculi fine viguisse. Quare ad rem nostram: Theodelinda tùm propter verecundiam, tum etiam ne fortasse nouo coniugi, ex osculo aliqua oriretur Zelotypię passio, noluit ab aliquo Presbytero baptizari, sed impetrata ab Episcopo licentia, munus hoc alicui confidenti, & forsan consangui-

demandari voluit, & sic supra citata clarescit pro me Tertulliani auctoritas, scilicet, *aut personæ conditio compellit*. Concurrebat etiam cum osculo alia verecundiæ in mulieribus præcipuè considerabilis causa, nempè corporis denudatio; nàm baptizandi siue masculi, siue fœminæ, sacrum lauacrum sine indumentis intrabant, vt diuersi probant Scriptores, præsertim citatus Vice-comes lib.4. cap.10. Casalius de Vet. sac. Christ. Ritibus cap. 5. Lupus in dissertat. de S. Leonis IX. actis Calumnia XII. At ex ipsa figura id apparet, vbi illa fœmina denudata visitur, præterquam partibus verendis velo obductis. Hæc de Ministro satis sint. Ad secundam difficultatem, nempè de Baptismi ritu progrediamur.

Certum, ac indubitatum est Priscos fideles, vbi se offerebat occasio, ibi baptizatos fuisse; nam alij in fluminibus, alij in fontibus, alij in stagnis, alij in vijs, alij in mari, alij in domibus sacrum suscepere Baptisma, vt fusê ostendunt præcitati Auctores; formam autem, quæ in baptizando obseruatur, promiscuam fuisse, credendum est; nàm si erant in loco, vbi baptizandi in aquam se immergere poterant, baptismus per immersionem conferebatur, si autem alio in loco, vbi flumina, fontes, ac similia minimè reperirentur, aqua super caput effundebatur. Ostendit Laudatus Vice-comes in eodem suo tractatu dicto lib.4. cap.7. vt etiam lib.7. cap.2. quòd quando fiebat Baptismus per immersionem, baptizandus à summo vertice ad imos pedes in aquam mergi soleret. Id etiam confirmat citatus Lupus in dicta sua dissertatione de Sancti Leonis IX. Actis Calumnia XII. Quare supra laudata Theodelinda cum Agilulfo Viro suo, cum ob pudorem fœminei sexus, tum etiam ob vtriusque sublimitatem generis, noluerint publicum adire baptisterium, & propterea eorum baptismus in pelui, siue capaci vase peractum fuit, haud tantæ quidem profunditatis, vt etiam caput in aquam immergere possent; ideò defectus iste, aquæ aspersione super caput suppletus fuit, cum & ista sola sufficiens esset, vt latè demonstrant citati, alijque auctores de Baptismo tractantes, inter quos iure annumerandus est Angelicus ille Doctor, præclarumque Ecclesiæ lumen, S. Thomas Aquinas in 3. parte summæ quæst.66. art.8. Licet nonnulli ex eisdem Auctoribus asserant, Baptismum per immersionem fieri à planta pedum vsque ad summum verticem capitis; nihilominùs alij excitant dubium: An in trina mersione celebretur Baptisma, cum hæc Immersio, & Emersio ter repeteretur; propterea dubitant, an Baptizandus ab aqua totus prosiliret, vel tantum corporis parte emergeret; cui ancipiti quæsito respondeo: quòd Sacerdos baptizans, manum super baptizandi caput imponebat, ac illud leuitèr comprimens, indicabat baptizando, quòd sub aqua se totum demergeret. Hoc peracto statim Baptizandus pectore tenùs ab aqua surgebat, iterumque Sacerdos comprimebat caput, tertioque id repetebat. Ad hunc demonstrandum actum Picturæ adduco exemplar, quę adhuc in vetustissima Cappella in Ecclesia S. Pudentianæ Vrbis, retrò Musiuum opus, quod eadem in Ecclesia spectatur. Pictura hæc in Altaris dex-

tera ipsius Cappellæ, nempè à cornu A Euangelij super fenestram, propè fornicem, delineata est, redoletque antiquissimum tempus, cum picturæ non sint ità malè expressæ, vt circa, & post millesimum efformatę appareant, docetque Philippus Baldinucci in suo Opere: *Notizie del Disegno &c.* Eiusdem Picturæ exemplar demonstro in annexa Tabula VI. figura prima, ad cuius ritus baptizandi maiorem elucidationem adduco Albini, siue Albini B flacci, seu Alcuini auctoritatem. Ipse enim, qui vixit octauo seculo, in epistola ad Oduinum presbyterum ita scribit.

„ In nomine Sanctissimæ Trinita-
„ tis trina submersione baptizatur,
„ & rectè homo, qui ad imaginem
„ Sanctæ Trinitatis conditus est, per
„ inuocationem Sanctæ Trinitatis ad
„ eandem renouatur imaginem, &
„ quia tertio gradu peccati, idest con- C
„ sensu cecidit in mortem, tertiò ele-
„ uatus de fonte per gratiam resur-
„ gat ad vitam.

In hac assertione duo perpendenda sunt, nempè vox *submersionis*, quo totalem corporis in aquam immersionem denotat, itemque voces: *tertiò eleuatus de fonte*, quæ trinam immersionem, & tertiam emersionem designant, vt supra indicauimus: Hac occasione, alteram placet exhibere Picturam, quę multum à prima deli- D neatione differt, cum deteriori modo delineata appareat, ideoque tempore posterior. Hæc cernitur in Ecclesia S. Laurentij extra muros Vrbis sinistrorsum post Ianuæ ingressum cum alijs ibi malè efformatis figuris Sancti Laurentij vitam demonstrantibus. In secundo harum figurarum ordine, ac tertio loco est figura, quam exhibeo in relata Tabula sub num. 2. Ibi cernitur S. Laurentius Beatum Romanum baptizans, vt ipsa epigraphes explicat; sed quod curiosum spectatorem reddit, est, tàm S. Laurentium, quàm B. Romanum vrceolos cum duabus ansis manibus vtrumque gerere: S. Laurentius vrceolum eleuatum in actu fundendi aquam tenet; B. verò Romanus alterum aqua plenum ipsi Laurentio, dextera manu, porrecturus erigit, scilicèt quando primus vrceolus aqua fuerit euacuatus. Ex hisce duobus vrceolis trinam arguo aspersionem, nàm statimatque Baptizans in prima aspersione totam aquam in vrceolo contentam super Baptizandum effuderat, illicò Baptizandus alterum vrceolum aqua plenum Sacerdoti offerebat, vt secundam faceret aspersionem, sicque de tertia; quamobrem ex huiusmodi actibus, etiam tacitum baptizandi consensum non sine fundamento inferimus, dùm proprijs manibus materiem pro Sacramento conficiendo subministrabat. Hunc B. Romani Baptismum à S. Laurentio peractum Vvalafridus Strabo, qui nono vixit seculo, in suo de rebus Ecclesiasticis libro sic narrat:

„ Notandum non solum mergendo,
„ verùm etiam desuper fundendo,
„ multos baptizatos fuisse, & adhuc
„ posse ita baptizari, si necessitas sit,
„ sicuti in passione B. Laurentij quen-
„ dam vrceo allato legimus baptiza-
„ tum. Hoc etiam solet euenire, cum
„ prouectiorum granditas corporum
„ in minoribus vasis hominem tingi
„ non patitur.

Quę posteriora verba in allatis sarcophagis optimè applicantur, cum

vtriuſ-

+AVXIT MACTATOS HIC VIVO FONTE RENATOS



pag. 20.

vtriuſque Baptiſmatis ritus, ſcilicèt A per immerſionem, & aſperſionem ibidem obſeruetur. His relatis non officit, quòd opponi poſſit: Baptizatos ſtatim poſt Baptiſmum antiquitùs fuiſſe confirmatos, ergo perneceſſe erat, quòd Miniſter eſſet Epiſcopus; At huic obiectioni reſpondeo cum prçcitato Vice-comite eodem lib. 4. cap. 29. quòd ſi Epiſcopus abſens erat, baptizatus ſuſcepto baptiſmate, quanto citiùs fieri poterat, ab Epiſ- B copo confirmabatur. Et hæc de Baptiſmatis ritu.

Vltrà ſuperius expreſſas non nullis alijs animaduerſionibus ſupra relata I. tabula digna eſt; nàm propè Baptiſmatis Miniſtrum, duo ſunt viri Monachali habitu circumamicti, quos tanquam teſtes Baptiſmo præſentes fuiſſe autumo, ipſiuſque Baptiſmi vti Auctores, qui Theodelindam ad Chriſtianam amplectendam Religio- C nem induxerunt, eandémque, eiuſque Virum in fide catechizarunt; inſuper exiſtimo, fuiſſe Monachos Montis Caſini, & fortaſſe vnum ex illis ſuprarelatum Probum Abbatem Monaſterij S. Andreæ eſſe, & ob ſupradictam cauſam hîc â Sculptore expreſſos fuiſſe. A Baptizatorum tergo ſex cernuntur figurç. Quarum primam ex veſtibus fœminam. Secundam maſculum, & eorundem Baptizandorum Suſceptores, ſiuè Patri- D nos eſſe, iudico: Tertia, & quarta duç ſunt aliç feminç ipſius Theodelindç familiares. Illam tertiam, vtpotè etiam primam ex veſtium diuerſitate Latini eſſe ritus, puto, & fortaſſe ipſam tertiam fuiſſe Monialem Sancti Benedicti, ſeptimam, & octauam duos alios Monachos eiuſdem Ordinis S. Benedicti, ac Piorum Monachorum Socios eſſe, autumo. Hęc de prima ſufficiant. Secundam tabulam nunc explicemus.

Virum illum, qui hac in ſecunda tabula genuflexus eſt, ac ſuper eius caput ab alio Viro infunditur aqua: Arrichium Beneuentanorum Ducem I. eſſe, exiſtimo; coniecturam hanc ex chronologicis Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum Beneuentanorum memorijs deſumo. Has nuper publici Iuris fecit laudatus Epiſcopus Pompeius Sarnellus, vbi ſub n. 29. de Felice II. Epiſcopo Beneuentano hanc narrat hiſtoriam:

„ Anno 571. Autharis Longobardo-
„ rum Rex, vſurpata Grecorum do-
„ minatione integram Samnij occu-
„ pauit Prouinciam. Cumque in
„ Ducatus formam omnes alias re-
„ duxiſſet Prouincias, ab Vrbe Ro-
„ mana vſque ad mare Siculum, il-
„ lius caput Beneuentum eſſe decre-
„ uit, eiſque in primum Ducem prę-
„ fecerit Zotonem, ſub cuius domi-
„ natu inclytum Caſinenſe Mona-
„ ſterium anno 589. à Longobardis
„ euerſum fuit -- Deceſſit Zoto anno
591. poſtquam regnauerat annis 20. eique ſucceſſit Arrichis, ſiue Aroges Dux II. qui per annum conſors in Ducatu cum Zotone fuit. Quando is ſolus regnare cœpit; Magnus ille Gregorius Pontifex eundem hortatus fuit, vt Monaſterium Caſinenſe repararet, cui libentèr obtemperare voluit.

Euaſit hic pietate Vir inſignis, cùm celebrem Eccleſiam S. Sophiæ propè Beneuentum â fundamentis conſtruxerit, vt ex Chronica Beneuentani Monaſterij apud Vghellum Ital.

Sac.

Sac. Tom.7. Ad laudatum Arrichium idem Magnus Gregorius Corpus S. Modesti Leuitæ, & Martyris dono misit. Cum igitur Arrichis pretiosum, sacrumque hoc donum â Pontifice accepisset absque vllo arguendum est dubio, Arrichium tunc Christianum fuisse; cumque supra narratum sit, Agilulfum Longobardorum Regem sacrum suscepisse baptismum, vero simile est Arrichium Regis exemplo ad Christianam amplexandam Religionem se conuertisse, idque accidisse iudico dicto anno 591. (scilicèt eodem anno, quo baptizatus fuit Agilulfus Rex, cum anno sequenti ad eundem Arrichium scripsisset idem Gregorius, vt ex Epistola 25. lib. 10. Indict. 5. Quare huiusmodi insignis actio, cum alia supra relata Regis, in Sarcophagis insculpta fuére, vt vtriusque perrennaret memoria. Et ne vlla in hac tabula Lectori dubitandi ansa relinquatur, superest exponere, quid manus illa è nubibus erumpens indicet. Quæ procul dubio omnipotentis Dei dexteram designat, qui suâ ineffabili potentia mortalium corda flectit. Quid autem denotet volumen illud, quod â Sculptore, siuè Pictore malè expressum fuit, facilis est responsio; nempè per illud volumen fidei Symbolum indicatur, quoniam antiquitùs tàm Christus, quàm Apostoli cum similibus voluminibus manugestantes appingi consueuissent, de quibus diximus cap. 27. nostri operis vet. monim. par. 1. Insuper, quando hæ meæ admittantur coniecturæ, ex allatis Iconibus deduci valet, qualis erat Longobardorum vestium forma.

Antequam ad particularem Lateranensis, ac Pisarum Babptismalium Fontium ostendendam formam descendam, operis nostri ratio postulat. vt aliqua in vniuersali de eorumdem Baptismalium Fontium origine, antiquisque formis premittamus.


Baptismus itaque primitiua in Ecclesia, vt nuper exposuimus, vbicunque se offerebat occasio, celebrabatur; Nam in fluminibus, in fontibus, in Mari Domi, alijsque in locis hoc primum ad salutis ianuam ministrabatur sacramentum. Crescente dein Fidelium multitudine, creuerunt etiam cum eadem sacrorum rituum, sacrarumque cęremoniarum Ordo, & dispositio. Quamobrem ad hoc peragendum Sacramentum singulis in Ciuitatibus fuerunt deputata loca, quę ad sinistram, Orientem versus, propè Ecclesiæ Cathedralis vestibulum, vt plurimum erant sita, specialique forma, nempè octogonalis figuræ constructa, vt S. Ambrosij ostendunt carmina, quæ Mediolani in prospectu Fontis S. Teclæ perlegebantur, antequam ad hanc magnificentissimam, nostri æui, formam redigeretur. Hæc autem, inter alias, à se collectas inscriptiones refert Gruterus pag. 1166. n. 8.

Octachorum sanctos templum surrexit in vsus.
Octagonus fons est, munere dignus eo.
Hoc numero decuit sacri Baptismatis aulam
Surgere, quo populis vera salus redijt.
Luce resurgentis Christi, qui claustra resoluit
Mortis, & a tumulis suscitet exanimes.

Con-

Orthographia Baptistery
Ciuitatis Pisarum
A. Basis; B. Coronis quæ
Basim circuit
C. Coronis quæ Bapti
sterium circundat
D. Zophorus







Ichnographia Baptistery
Ecclesiæ S. Ioannis in
Ciuitate Pisarum


TAB. VII

E. Gradus
F. Concha

Scala cubitorum sex Florentinorum,

pag. 53

TAB. VII



E

E

E

E. Gradus
F. Concha

pag. 23

Confessosque reos maculoso crimine soluens.
Fontis puriflui diluit in riguo.
Hic quicunque volent probosæ crimina vitæ
Ponere, corda lauent, pectora munda gerant.
Huc veniant alacres, quamuis tenebrosus adire
Audeat, abscedet candidior niuibus
Huc Sancti proferent, non expers vllus Aquarum.
Sanctus in his regnum est, Consiliumque Dei.
Gloria Iustitiæ, nam quid diuinius isto?
Vt puncto exiguo, culpa cadat populi.

In expressi Fontis medio, vt plurimum octogonalis formæ magnũ erat aquæ receptaculum ad fontis instar, vt è medio erumpens aqua contineretur. Huius exemplar affero in Tab: VII. vbi inclytæ Pisanæ Metropolis Baptisterium visitur, quod communicauit nobis, Nobilis vir, Gaspar del Torto, cui ob hanc, aliasque nobis communicatas notitias plurimum adstrictos esse fatemur. Adhuc magna in parte ædificium hoc venerandę antiquitatis retinet formam, nam tres supra gradus eminet collocatum, per quos Sacri Baptismatis Minister, ad fontem ascendebat; super horum vltimum, alter est gradus, qui ad illud minus vas præbet ascensum. Quatuor in circuitu similia cernuntur vasa, in quibus antiquitùs pueros tantùm baptizatos fuisse autumo; si verò baptizandi Adulti essent, ob staturæ proceritatem, similia vasa eos non capiebant; quare in maius vas eosdem immersos fuisse puto, vt totum ablueretur corpus à planta pedis vsque ad verticem capitis, vt supra diximus. Baptisterium hoc, ab antiquiori forma recedit; Nam ad Baptisteria descendebatur, non ascendebatur, vt notat Isidorus Hispalensis, qui floruit in principio septimi seculi, lib. 2. de Diuinis Officijs, cap. 24. vbi: Cum baptizatur in „ Christo, per aquam renascimur, „ vt purificati viuificemur. Fons aut „ origo omnium gloriarum est, cu„ius septem gradus sunt, tres in de„scensu, propter tria, quibus renun„ciamus: tres in ascensu propter tria, „ quæ cõfitemur; septimus vero is est: „ qui, & quartus similis filio hominis „ exstinguens fornacem ignis, stabili„mentum pedum, fundamentum a„quæ, in quo omnis plenitudo Diui„nitatis habitat corporaliter. Auctor vero Ordinis Romani, de die Sabati Sancti -- Tunc deinde schola „ descendit ad Fontes ad Litaniã faciendã--Et de Sabbato Pentecostes. „ Antequam descendatur ad fontem „ ad baptizandum, legitur lectio pri„ma: tentauit Deus: post ascensum „ verò fontis, ingrediendum est ad „ Missam publicam.

Et Albinus Flaccus, qui floruit post medium octaui seculi, lib. de Diuinis Officijs, cap. de Sabb. S. Pasche: „ In Baptismo septem gradus sunt, „ tres in descensu propter tria, qui„bus renunciamus; tres alij in ascen„su, propter tria, quæ confitemur; „ septimus vero, qui quartus, simi„lis filio hominis, extinguens forna„cem ignis (Et mox infra): Finitis „ lectionibus descendendum est ad „ baptizandum. Et cap. 20. de Sanct. Pasch.

„ Pasch. In hac hebdomada non sequitur post Euangelium Kyrie eleison; sed Sacerdos dicit orationem, qua finita descendunt ad fontes cum Antiphona. Auctor iste alibi idem repetit.

Parem graduum numerum omnibus in Baptisterijs obseruatum fuisse, deduco ex suprarelatis Auctoribus, qui eorundem graduum numeri misteria exponunt.

Non omnia Baptisteria eadem Minora semper habuisse vasa, colligo ex S. Damasi vita, apud Martium Milesium Sarazanum, vbi hæc leguntur.

„ Quodam itaque tempore, dum in vigilijs Pentecostes Sanctissimus Christi Confessor, vnà cum Cardinalibus sacrum Baptisma celebraret, atque benedicto fonte, vna cum eo Cardinales baptizarent, de manu cuiusdam Cardinalium puerculus quidam trina mersione peracta casu cecidit, atque fontis ima petijt, cumque omnes dolerent, streperent, clamarent, atque quid agerent ignorarent, Patri Sanctissimo Damaso puerulum in ima fontis cecidisse nuntiatum est, quod vbi vir sanctus comperijt, illicò cuidam Ministrorum præcepit, vt fontem ingrederetur, atque puerulum viuum abstraheret: cumque omnes clamarent, non iam viuum, sed mortuum fore; Non, inquit Vir Sanctus, mortuum, sed viuum inueniet. Accepta itaque Patris Sancti benedictione, Minister, cui iussum fuerat, fontem ingreditur, atque puerulum, qui mortuus putabatur ab imo fontis abtraxit viuentem, & incolumen. Quo facto Vir beatissimus glorificabat Dñum, omnesque, qui aderant, Christi mirabilia exaltabat, & Damasum Sanctissimum acclamabat.

Similis octogonalis figuræ fontem, præteritis annis me vidisse, recordor in antiquissima Tuscaniæ Ciuitate, in Ecclesia S. Petri: diligenter eundem obseruaui, tam intra, quàm extra ipsam Ecclesiam, vbi veteri Aqueductus, qui olim ad eundem fontem deferebant aquam, cernuntur.


Nolo in lectoris gratiam omittere aliud exemplar Celebris Constantiniani Baptisterij, quod ad huc propè Lateranum hic Romæ conspicitur, sed antiquus ornatus in elegantissimas, ac eruditas picturas Constantini gesta repræsentantes, à s.m. Vrbano VIII. immutatus est. Exemplar, quod in Tab. VIII. affero, est iuxta eandem formam, quæ tempore, s. m. Sixti PP.V. aspiciebatur, quam formam illam antiquam esse iudico, cum parietes variorum marmorum incrustationibus, iuxta antiquorum Romanorum morem obducti essent, vt in non nullis antiquis locis hic Romæ obseruari potest, præsertim in Tribuna Ecclesiæ S. Praxedis.

CAPVT V.

De Valuis æneis in Archiepiscopali Beneuentana Ecclesia existentibus.

AB ipsis mundi incunabulis, primi nostri Parentes, nempe filij Sethi, Adamique nepotes, cum rerum omnium cognouissent interitum, duas erexere columnas, vnam lapideam, lateritiam alteram, in quibus ea, quæ ad siderum obseruationem perti-




TAB·VIII·
pag.n.4

pertinebant, delinearent; nam si late-
ritia ab imbribus destrueretur, lapi-
dea permanens legentibus defectum
primæ suppleret. Ista scribit Iosephus
lib. 1. Antiquitat. Iudaic. quarum
vnam ad suum vsque euum â tem-
porum iniurijs præseruatam testatur.
Horum exemplum sequutus est Mi-
tres Egyptiorum Rex, qui in Ciuita-
te Heliopolis, siue Solis, duas erexit
columnas, in quibus omnes scientias
præstantiores inscripsit, obeliscum-
que adinuenit, tradit id Plinius lib.
36. cap.8. Posterioribus verò sæculis,
vt res memoria dignæ seruarentur,
illæ in tabulis æneis insculpte fuère, vt
Mensa Isiaca Pignorij, siue tabula
Bembina demonstrat. Idque etiam
factum fuisse, deducitur ex valuis ar-
genteis, ac deinde æneis, quæ in Va-
ticana exstabant Basilica, ac in Eccle-
sia S. Pauli, & Metropolitana Pisarum,
de quibus in nostro opere de Veteri-
bus Monimentis capite IV. V. VI. fati
sumus. Morem hunc etiam Beneuentis
viguisse comperimus, quæ Ciuitas no-
bilissima, & antiquissima Samnitum
Sedes est, quæ in Christianæ Religio-
nis exordio inter primas Vrbes Chri-
stianam amplexata fuit religionem,
cùm S. Photinum B. Petri discipulum
primum, ac proprium Episcopum
agnoscat. Quamobrem Samni; Me-
tropolis est effecta, & in ipsa religio
omni seculo effulsit. In eadem igitur
Metropolitana Ecclesia adhuc cer-
nuntur æneæ valuę, varijs ornatæ hi-
storijs, at rudi manu insculptę, qua-
rum exemplar, cum earundem decla-
rationibus, obseruationibusque sub
oculis ponimus in Tab. IX. Harum
delineationem Eminentissimus, &
Reuerendissimus D. Vincentius Ma-
A ria Cardinalis Vrsinus, Archiepisco-
pus Beneuentanus, studiorum cultor,
rerumque antiquarum conseruanda-
rum studiosissimus, meis precibus
indulgens, mihi, summa cum hu-
manitate, transmisit. Dixi tantum
Præsulem rerum antiquarum conser-
uandarum studiosissimum esse, cum
presenti Anno 1696. quo hæc scribo,
post celeberrimum Prouinciale Bene-
uentanum habitum Concilium, sep-
B temdecim Episcoporum, ac multo-
rum Abbatum, aliorumque Ecclesia-
sticorum magno numero refertum,
indefessam curam, & sollicitudinem
erga sacras ędes pristino nitori resti-
tuendas ostendens, Primitialis suę
Ecclesię ligneas valuas, ęneis laminis
obductas, quæ per olitana tempora
marcuerant, refecerit; ac quatuor su-
pra quadraginta portiones ęneas de-
ficientes denuò reposuerit, insuper
C etiam non nullas fascias ęneas, pariter
destructas similiter addiderit. Quare
pristinum splendorem, quem longa
annorum serie ipsę amiserant valuę,
restituit. De hac restauratione in Areo-
la 33. sequens mentio insculpta fuit:

Restaurata mens. Septemb. Ann. Dom. M DC XCIII. a Cardinali Vrsino Archiepiscopo post Conc. Prouinciale habitum mens. Aprili.

Fateor me non solùm ob sum-
D mam humanitatem, qua idem Emi-
nentissimus, & Reuerendissimus D.
Cardinalis Archiepiscopus, presen-
tium valuarum transmisit exem-
plum; verùm etiam ob innumeras
alias mihi largiter impertitas gra-
tias illi deuinctum esse. At vnde di-
scesserat sermo, reuertatur. Hę Val-
uę duas in partes diuisę sunt, vt ipse
Iconismus ostendit. Ambę hę partes

in septuaginta duo spatia, siue quadrata, aut areolas sunt distinctę. In singulis quadratis, variæ imagines anaglyphico opere expressę cernuntur, quas in maiorem Lectoris notitiam declaro, cum non nullæ presertim sint, quę aliqua indigent exsplicatione.

1. In primo igitur quadrato, seu prima areola rudi modo Annunciatio B. M. V. expressa est, ipsaque sedet. Ad dexteram stat Angelus, ad sinistram, ni fallor, alia mulier, has retro figuras, velum suspensum visitur, in angulis arcus cameram formantis bini sunt Angeli; in ipsius verò arcus summitate, interiùs murus cum pinnis obseruatur. Non nulla hoc iconismo ad placitum Pictoris expressa animaduerto, nam in sacro textu Lucæ cap. 1. n. 26. sic legitur:

„ In mense autem sexto missus „ est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileę, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria, & ingressus Angelus ad eam dixit: aue gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus. Quæ cũ audijsset turbata est in sermone eius & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: ne timeas Maria inuenisti enim gratiam apud Deum; ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM, hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus, Sedem Dauid, Patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quę vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini mihi fiat secũdùm verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus. Nullam igitur aliam personam cum Virgine extitisse, sacer narrat Euangelista, nec vllum Patrum hoc narrare comperi. Imò contrarium Sanctus asserit Insubrum Antistes Ambrosius, in lib. 2. de Virginibus ad Marcellinam, paulò post principium, vbi sic: Hęc (scilicet „ Maria) ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetralibus, sine comite, nequis intentionem abrumperet, nequis obstreperet: neque enim comites fæminas desiderabat, quę bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset: nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique, & Gabriel eam vbi reuisere solebat, inuenit; & Angelum Maria, quasi viri specie mota, trepidauit, quasi non incognitum audito nomine recognouit. Duos verò Angelos in angulis exstantes potius placitum Pictoris, quàm mysticum sensum denotare, puto; nisi velimus dicere, quod Gabrielis socij, testesque sint, sed hoc sacer Scriptor non annuit. De muro vero cum pinnis asserere possumus, quod Pictor Na-

zareth


I
II
III
VII
VIII
IX
X
XI
XIV
XV
XVI
XVII
XVIII
XIX
XXIII
XXIV


I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII
XIII
XIV
XV
XVI
XVII
XVIII
XIX
XX
XXI
XXII
XXIII
XXIV
XXV
XXVI
XXVII
XXVIII
XXIX
XXX
XXXI
XXXII
XXXIII
XXXIV
XXXV
XXXVI
XXXVII
XXXVIII
XXXIX
XL
EPS MONTIS CORVINI
XLI
XLII
XLIII
EPS ALARINI
XLIV
XLV
EPS AVELLINI
XLVI
XLVII
EPS STE AGATHE
XLVIII
XLIX
EPS LIMOSANI
L
EPS TELESE
LI
LII
LIII
EPS MONTIS MARANI
LIV
EPS WLTURAPIENSIS
LV
LVI
EPS IESE
LVII
EPS ALIFII
LVIII
EPS BOIANI
LIX
EPS REVENZI
LX
EPS FREQUENTI
LXI
EPS ARIANI
LXII
EPISCOPUS ASCULI
LXIII
EPS VINIBI
LXIV
EPS GUARDIE
LXV
EPS DRACONARIE
LXVI
EPS CIVITATIS
LXVII
EPS TERMULI
LXVIII
EPISCOPUS LUCERIE
LXIX
EPISCOPUS FLORENTINI
LXX
EPISCOPUS TORTIBULI
LXXI
EPS VICI
LXXII

zareth Ciuitatem exprimere voluit, A
de qua supra sermo fuit: & hæc de
prima areola, modo ad secundam.

2. Secundus hic Iconismus laudatam Beatissimam Virginem Elisabeth Cognatam suam visitantem repræsentat: de qua præcitatus textus n. 38. sic loquitur -- Exurgens autem
„ Maria in diebus illis abijt in mon-
„ tana cum festinatione, in Ciuitatem
„ Iuda. Et intrauit in domum Zac-
„ chariæ, & salutauit Elisabeth. B
modò ad tertiam.

3. Oh infelicitas, & inscitia temporum declamandum est, quibus Pictoribus sacra delineandi mysteria, pro suo arbitrio erat data potestas: Animaduertimus enim in hac tertia areola, quòd Christi Natiuitas exprimatur, sed diuersa admodum ab ea, quæ in sacro describitur Euangelio; de hac enim cap. 2. Lucæ, n. 7. sic narratur: Et peperit filium suum C
„ Primogenitũ, & pannis eum inuo-
„ luit, & reclinauit eum in præsepio.
Nulla igitur mulier, quæ Beatissimæ Virgini inseruiret indicatur; sed apertè dicitur, inuoluit, nempe quòd ipsa met has partes peregerit. Audiamus propterea aliquem ex Patribus, quid in hoc loco senserit. Sub oculis occurrit Zaccharias Episcopus Chrysopolitanus, qui de Concordia Euangelistarum cap. 5. prope finem, postquam D
sacri textus retulit verba sequentia
„ continuat. Et pannis eum inuo-
„ luit. Qui mundum vano vestit
„ ornatu, vilibus induitur, vt stolam
„ immortalitatis reciperemus; Ma-
„ nus, pedesque cunis adstriguntur,
„ vt nostræ manus ad benè operan-
„ dum, pedes nostri in viam pacis di-
„ rigantur. In præsepio reclinatur, vt
„ fideles omnes, sancta videlicet ani-
„ malia, carnis suæ frumento reficeret,
„ qui panis est Angelorum. In angusto
„ præsepi continetur, vt nos per Cœ-
„ lestis regni gaudia dilatet; non in
„ domo parentum natus est Domi-
„ nus, vt ostenderet per humanita-
„ tem assumptam, quasi in alieno
„ nascebatur, non secundùm potesta-
„ tem, sed secundùm naturam hu-
„ manitatis. Nam de potestate eius
„ scriptum est, in propria venit. Et
„ quia omnis caro fænum; factus ho-
„ mo Deus fœnum nostrum vertit
„ in frumentum, de se ipso dicens;
„ nisi granum frumenti cadens in ter-
„ ram mortuum fuerit, ipsum solum
„ manet. Vnde, & natus in præsepi
„ reclinatur. Ioannes Chrisostomus:
„ Reclinauit puerum mater. Ioseph
„ autem non audebat attingere, quem
„ sciebat de se non esse generatum.
„ Quicunque es pauper, accipe con-
„ solationem. Ioseph, & Maria Ma-
„ ter Domini, non habent seruulum,
„ non ancillam, non iumentum; ipsi
„ sunt Domini, & famuli. Non au-
„ det paupertas timida inter diuites
„ accedere, in diuersorium vadunt:
„ Nascitur in stabulo, qui de stercore
„ inopem leuat. In stercore Iob se-
„ debat, & postea coronatus est.
Quare apertè demonstratur Pictoris licentia in hoc delineando sacro misterio; nam in figura I. Beatissima Virgo, humi veluti in lecto iacens; exprimitur: fig. 2. indit, ni fallor, mulierem, quæ ius ad propinandum Beatissimæ Virgini defert. Tres hoc in loco cernuntur figuræ, nempe duæ mulieres genuflexæ, quarum vna Iesum præ manibus tenet; alia verò lineum pãnum videtur deferre. 4. fig. dormien-

tem virum deſignat, quem nullum A alium eſſe arbitror, quàm Ioſephum Virum Mariæ. 5. fig. autumo præſepe denotare, ſed admodum male expreſſum, cum diuinare minimè poſſim; an duæ figuræ illic expreſſæ Bouem, & Aſinum repræſentent. Super arcum hinc inde in angulis, duo cernuntur Angeli, per quos Angelorum chorum in Chriſti Natiuitate adſtantem exprimere voluiſſe Pictorem iudico; At antequam huius areolæ ex- B plicationem abſoluam, Pictoris inſcitia forte ita excuſabitur. Illius nimis accurata fuit in delineando circumſpectio, contentus enim minimè fuit, ſacrum hoc myſterium iuxta Euangelicam narrationem delineare; ſed voluit plus ſapere, quàm ſapere par erat, nempe voluit vltra Euangelia alios reuoluere libros, inter quos illum de Natiuitate Saluatoris, & de Sancta Maria, & de obſtetrice Saluatoris, C quem inter apochryphos reijcit ſummus ille Pontifex Gelaſius in cap. Sancta Romana Eccleſia diſtinct. 15. Quamobrem mirum non eſt, ſi Pictor errauit, cùm voluit falcem in alienam ponere meſſem. Satis de hac areola; modò ad quartam.

4. Clariùs, & abſque vlla ambage, hoc exprimitur myſterium, ſcilicet Angelus ad Paſtores; de quo præcitatus Lucas dicto cap. 2. n. 5. ſic loquitur: D

„ Et Paſtores erant in Regione ea-
„ dem vigilantes, & cuſtodientes vi-
„ gilias noctis ſuper gregem ſuum.
„ Et ecce Angelus Domini ſtetit iu-
„ xta illos, & claritas Dei circum-
„ fulſit illos, & timuerunt timore
„ magno: Et dixit illis Angelus; no-
„ lite timere; ecce enim Euangelizo
„ vobis gaudium magnum, quod
„ erit omni populo, quia natus eſt vo-
„ bis hodie Saluator, qui eſt Chri-
„ ſtus Dominus in Ciuitate Dauid.
„ Et hoc vobis ſignum: inuenietis
„ infantem pannis inuolutum, & po-
„ ſitum in præſepio.

5. Aperta ſunt, quæ in hac 5. areola exponuntur, nempe tres Magi capitibus coronatis, equiſque inſidentes, qui ſtellâ duce, iter faciunt; de quibus Euangeliſta Matthęus c. 2. n. 1.

„ Cùm ergo natus eſſet Ieſus in Beth-
„ lehem Iuda, in diebus Herodis Re-
„ gis; ecce Magi ab Oriente venerunt
„ Ieroſolymã dicentes, vbi eſt, qui na-
„ tus eſt Rex Iudęorũ, vidimus enim
„ ſtellam eius in Oriente, & venimus
„ cum muneribus adorare eum. Et
„ num. 9. Et ecce ſtella, quam vide-
„ rant in Oriente antecedebat eos.

6. In 6. repræſentantur quadrato Magi, qui cum Herode loquuntur Rege, de qua collucutione nuper laudatus Matthęus eodẽ c. 2. n. 7. ſic narrat:

„ Tunc Herodes clam vocatis
„ Magis diligenter didicit ab eis tem-
„ pus Stellæ, quæ apparuit eis, &
„ mittens illos in Bethlehem dixit:
„ ite, & interrogate diligenter de
„ puero, & cum inueneritis, denuntia-
„ te mihi, vt & ego veniens adorem
„ eum.

7. Eorundem Magorũ continuatur hiſtoria, quæ ita ab eodem Euangeliſta in citato capite n. 9. deſcribitur:

„ Qui cum audijſſẽt Regem abierunt,
„ & ecce ſtella, quam viderant in O-
„ riente antecedebat eos, vſque dum
„ veniens ſtaret ſupra, vbi erat puer.
„ Videntes autem ſtellam gauiſi ſunt
„ gaudio magno valdè, & intran-
„ tes domum inuenerunt puerum
„ cum Maria matre eius, & proci-

„ dentes adorauerunt eum: & apertis A
„ Thesauris suis obtulerunt ei mune-
„ ra aurum, thus, & Myrrham.

8. In 8.loco eiusdem historiæ series describitur; nempe, quòd Angelus in somnio Magis apparuit, quam laudatus Euangelista his verbis enunciat n. 12. præfati capitis.

„ Et responso accepto in somnis, ne
„ redirent ad Herodem, per aliam
„ viam reuersi sunt in regionem suã.

Fusè, & eruditè hanc Trium Mago- B rum Euangelicam Historiam elucubrauit Melchior Inchoffer ex Societate Iesu.

9. sequitur historiæ narratio; nempe in somni is Iosepho Angeli apparitio, quam sic idem exponit Matthæus num. 13. -- Qui cum recessis-
„ sent, ecce Angelus Domini appa-
„ ruit in somnis Ioseph dicens, surge,
„ & accipe puerum, & Matrem eius,
„ & fuge in Ægyptum, & esto ibi, C
„ vsque dum dicam tibi; futurum est
„ enim, vt Herodes quærat puerum
„ ad perdendum eum.

10 Hac in areola Pictor historiæ continuationem delineauit, sed aliquid de suo addere voluit; nam sacer Euangelista narrationem prosequitur hoc modo -- Qui consurgens accepit
„ puerum, & matrem eius nocte,
„ & secessit in Ægyptum -- Quare tres tantum fuisse in hac fuga, deducitur, D scilicet Ioseph, qui Iesum sinistro defert humero innixum, & B. V. Mariam asino insidentem. Pictor autem quartam personam addere voluit, nempe virum, qui asinum stimulat.

11. Alia eiusdem historiæ pars, in hoc iconismo repræsentatur, scilicet Innocentium strages, quæ ab eodem Euangelista relata, sic se habet:
„ Tunc Herodes videns, quoniam
„ illusus esset â Magis, iratus est val-
„ de, & mittens occidit omnes pue-
„ ros, qui erant in Bethlehem, & in
„ omnibus finibus eius à bimatu, &
„ infra secundùm tempus, quod ex-
„ quisierat â Magis.

12. In hoc exprimitur Iconismo D. N. I. Christi Circumcisio, quam sic describit S. Lucas cap. 2. num. 21.
„ Et postquam consumati sunt dies
„ octo, vt circumcideretur puer: Vo-
„ catum est nomen eius Iesus, quod
„ vocatum est ab Angelo priùs quàm
„ in vtero conciperetur.

13. Eiusdem capitis prosequitur historia, demonstraturque Iesus inuentus in Ierusalem in medio Doctorum, vt num. 44. vbi sic: Existi-
„ mantes autem illum esse in comi-
„ tatu, venerunt iter diei, & require-
„ bant eum inter cognatos, & notos.
„ Et non inuenientes, regressi sunt in
„ Ierusalem requirentes eum. Et fa-
„ ctum est post triduum, inuenerunt
„ eum in templo sedentem in medio
„ Doctorum; audientem illos, & in-
„ terrogantem eos. Stupebant autem
„ omnes, qui eum audiebant super
„ prudentia, & responsis eius. Et vi-
„ dentes admirati sunt. Et dixit ma-
„ ter eius ad illum: Fili, quid fecisti
„ nobis sic? Ecce pater tuus, & ego
„ dolentes, quærebamus te. Et ait
„ ad illos: quid est, quod me quære-
„ batis: nesciebatis, quia inhis, quæ
„ Patris mei sunt oportet me esse:

Mater alloquens filium ostenditur sub fig. 1. & sub fig. 2. puer Iesus.

14. Iesu Baptisma in flumine Iordano delineatur: in hoc sacro exprimẽdo mysterio duos obseruo Baptisma-

tiſmatis ritus, alterum per immerſionem, alterum verò per aſperſionem. De ambabus huiuſmodi ritus formis diſſeruimus ſupra in capite IV.

15. Canæ Galileæ nuptiæ hac in areola notantur: ſic eas ſcribit Diuinitatis intimus, & ſine pari contemplator Ioannes Euangeliſta cap. 2. „ Et die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileę: & erat mater Ieſu ibi: „ Vocatus eſt autem Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias.

16. Alterius Euangeliſtæ Marci in hoc quadrato ſacra deſignatur hiſtoria, quando nempe Ieſus apparuit Diſcipulis in littore maris vt in cap. 6. n. 47. idem narrat Euangeliſta: „ & cum ſerò eſſet, erat nauis in medio mari, & ipſe ſolus (ſcilicet Ieſus) in terra, & videns eos laborantes in remigando.

17. Continuatio eiuſdem ſacræ hiſtoriæ expreſſa eſt in hac Icone, quando ſcilicet Ieſus ambulans ſupra mare acceſſit ad eos, vt num. 48. „ & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare, „ & volebat præterire eos. At illi, „ vt viderunt eum ambulantem ſupra „ mare putauerunt phantaſma eſſe, „ & exclamauerunt. Omnes enim „ viderunt eum, & conturbati ſunt, „ & ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis: confidite, ego ſum, nolite „ timere.

18. Magni illius miraculi ſpectatur hoc in loco hiſtoria, quando ſcilicet Dominus quatuor Virorum millia ſeptem panibus, pauciſque piſciculis ſatiat, ſublatis ſeptem ſportarum reliquijs: Sic idem refert miraculum Euangeliſta Matthæus cap. 15. n. 32. „ Ieſus autem conuocatis Diſcipulis ſuis, dixit: miſereor turbæ, quia triduo iam perſeuerant mecum, & „ non habent, quod manducent, & „ dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via: & dicunt ei diſcipuli: „ vnde ergo nobis in deſerto panes „ tantos, vt ſaturemus turbam tantam? Et ait illis Ieſus: quot habetis panes? At illi dixerunt: ſeptem, „ & paucos piſciculos. Et præcepit „ turbæ, vt diſcumberent ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, „ & piſces, & gratias agens fregit, & „ dedit Diſcipulis ſuis, & diſcipuli „ dederunt populo. Et comederunt „ omnes, & ſaturati ſunt. Et quod „ ſuper fuit de fragmentis tulerunt „ ſeptem ſportas plenas. Erant autem, qui manducauerant, quatuor „ millia hominum, extra paruulos, „ & mulieres.

19. Collocutionem Ieſus cum muliere Samaritana Iconiſmus iſte deſignat, de qua Ioannes cap. 4. n. 6. „ Erat autem ibi fons Iacob. Ieſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic „ ſupra fontem. Hora erat quaſi ſexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Ieſus: Da mihi „ bibere (Diſcipuli enim eius abierant „ in Ciuitatem, vt cibos emerent) „ Dicit ergo illi mulier illa Samaritana: quomodo tu Iudæus cum ſis, „ bibere â me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si ſcires Donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: „ da mihi bibere: tu forſitan petiſſes „ ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. „ Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias, habes, & puteus altus eſt. Vnde ergo habes aquam viuam?

„ uam? Numquid tu maior es patre „ nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij „ eius, & pecora eius. Alia omitto breuitatis causa.

20. Cęcus illuminatus à Christo ostenditur in hoc quadrato, quam historiam idem Ioannes cap. 9. recitat: „ Et præteriens Iesus vidit hominem „ Cæcum à Natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi! „ quis peccauit, hic, aut parentes eius, „ vt Cæcus nasceretur? respondit „ Iesus: Neque hic peccauit, neque „ parentes eius, sed vt manifestentur „ opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari: quamdiu sum „ in mundo, lux sum mundi. Hæc „ cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum „ super oculos eius, & dixit ei: vade, „ laua in natatoria Siloe (quod interpretatur missus. Abijt ergo, & lauit, & venit videns. Figura notata num. 1. fortasse designat Cæcum, qui se lauat in natatoria Siloe. At quantum Pictor hallucinatus sit, nemo non videt: nam linguarum totius antiquitatis doctissimus Scriptor, orbisque miraculum Diuus Hieronymus narrat; Siloam esse fontem ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis, sed incertis horis, diebusque ebulliat, & per terram concaua, & antra saxi durissimi magno cum sonitu excurrat. Clarissimè ergo apparet, quòd loco fontis, siue Piscinæ peluim, aut simile vas efformauit.

21. Licet omnia â Iesu patrata miracula insignia sint, tamen inter insigniora iure enumerandum est istud Lazari resurectionis, de quo Dei dilectus Ioannes cap. 11. fusè narrat. In hoc igitur iconismo Maria Magdalena, ad Iesus pedes prostrata, cernitur, de qua Euangelista sic fatur: „ Maria ergo cum venisset, vbi erat „ Iesus, videns eum cecidit ad pedes eius: paulò post addit: Iesus „ autem eleuatis sursum oculis dixit: „ Pater gratias tibi ago, quoniam „ audisti me, ego autem sciebam, „ quia semper me audis, sed propter „ populum, qui me circumstat, dixi, „ vt credant, quia tu me misisti. Hęc „ cum dixisset, voce magna clamauit: „ Lazare veni foras, & statim prodijt, „ qui fuerat mortuus, ligatus, pedes, „ & manus institis, & facies illius „ sudario erat ligata.

22. Duorum Euangelistarum narrationes complectitur quadratum hoc: prima est Marci cap. 11. in quo describitur Iesu in Ierusalem triumphalis ingressus, quem sic idem Euangelista Marcus recitat. -- Et „ duxerunt pullum ad Iesum, & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum. Multi autem vestimenta sua strauerunt in via, vt inuunt figuræ S. verò Lucas cap. 19 alteram sic prosequitur narrationem: „ Et ingressus perambulabat Iericho. „ Et ecce vir nomine Zacchæus: & „ hic princeps erat Publicanorum, „ & ipse diues: & quærebat videre „ Iesum, quis esset, & non poterat „ præ turba, quia statura pusillus „ erat. Et præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, vt videret „ eum, quia inde erat transiturus. „ Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad „ eum: Zacchæe festinans descende:

quia

„ quia hodie in domo tua oportet „ me manere.

23. Christi cum discipulis cænam, in qua eiusdem sacratissimi corporis Mysterium institutum fuit, repræsentat hæc areola. Sacer textus Matthęi cap. 26: n. 26. sic loquitur: „ Cænantibus autem eis, accepit Iesus „ panem, & benedixit, ac fregit, „ deditque discipulis suis, & ait. ac„ cipite, & comedite: hoc est corpus „ meum. Et accipiens calicem gratias „ egit, & dedit illis dicens: bibite „ ex hoc omnes: Hic est enim san„ guis meus noui Testamenti, qui „ pro multis effundetur in remissio„ nem peccatorum. Dico autem vo„ bis: non bibam amodo de hoc ge„ nimine vitis, vsque ad diem illum, „ cum illud bibam vobiscum nouum „ in regno Patris mei.

24. Sacram hanc prosequitur historiam Ioannes in hoc loculamento expressam. Sic eam idem Euangelista cap. 13. num. 4. narrat: „ Surgit Iesu à Cæna, & ponit vesti„ menta sua, & cum accepisset linte„ um præcinxit se. Deinde mittit „ aquam in peluim, & cæpit leuare „ pedes discipulorum, & extergere „ linteo, quo erat præcinctus. Venit „ ergo ad Simonem Petrum. Et di„ cit ei Petrus: Domine tu mihi la„ uas pedes? Respondit Iesus, & di„ xit ei; quod ego facio tu nescis mo„ do, scies autem postea. Dicit ei „ Petrus: Non lauabis mihi pedes in „ æternum. Respondit ei Iesus: si „ non lauero te, non habebis partem „ mecum. Dicit ei Simon Petrus: „ Domine non tantùm pedes meos, „ sed & manus, & caput. Dicit ei Ie„ sus, qui lotus est, non indiget, nisi, „ vt pedes lauet, sed est mundus to„ tus. Et vos mundi estis, sed non „ omnes.

25. Clarè patet imago hæc, nam Christum orantem in horto repræsentat, de quo laudatus Sanctus Ioannes cap. 18. 1. -- Hæc cùm dixisset „ Iesus egressus est cum discipulis „ suis trans torrentem Cedron, vbi „ erat hortus, in quem introiuit ipse, „ & discipuli eius. Et Lucas cap. 22. „ num. 40. Et cùm peruenisset ad „ locum, dixit illis: orate ne intretis „ intentationem. Et ipse auulsus est „ ab eis, quantum iactus est lapidis: & „ positis genibus orabat dicens: Pa„ ter si vis, transfer calicem istum â „ me. Verumtamen non mea volun„ tas, sed tua fiat. Apparuit autem „ illi Angelus de Cœlo confortans „ eum.

26. Sequitur huius historiæ repræsentatio, quæ sic ab eodem Euangelista Luca citato cap. 22. n. 45. continuatur: „ Et cùm surrexisset ab oratione, & „ venisset ad discipulos suos, inuenit „ eos dormientes præ tristitia: & ait „ illis: quid dormitis? surgite, orate, „ ne intretis in tentationem.

27. Continuatur historia à nuper citato Ioanne in eodem cap. 18. num 2. videlicet -- Sciebat autem, & „ Iudas, qui tradebat eum, locum: „ quia frequenter conuenerat illuc „ cum discipulis suis. Iudas ergo „ cùm accepisset cohortem, & â Pon„ tificibus, & Phariseis ministros, „ venit illuc cum lanternis, & facibus, „ & armis. Iesus itaque sciens omnia, „ quæ ventura erant super eum, pro„ cessit, & dixit eis. Quem quæritis? „ Responderunt ei. Iesum Nazare„ num. Dicit eis Iesus: Ego sum.

Habat

„ Stabat autem, & Iudas, qui tra- A
„ debat eum,cum ipsis. Vt ergo dixit
„ eis: ego sum, abierunt retrorsum,
„ & ceciderunt in terram.

28. Itidem eiusdem sacræ historiæ continuatio est, vt numero 12.
„ Cohors ergo, & Tribunus, & mi-
„ nistri Iudæorum comprehende-
„ runt Iesum, & ligauerunt eum, &
„ adduxerunt eum ad Annam.

29. Christus deinde ductus ad Caipham Pontificem, qui interroga- B uit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius, vt num. 19.

30. Iudæ proditio designatur in hisce figuris, de qua Matthæus cap. 26. n. 14. -- Tunc abijt vnus de duo-
„ decim, qui dicebatur Iudas Iscario-
„ tes, ad principes Sacerdotum, &
„ ait illis: Quid vultis mihi dare, &
„ ego vobis eum tradam? At illi
„ constituerunt ei triginta argenteos.

24. Idem Matthæus cap. 27. n. 3. C his verbis præsẽtem explicat figuram.
„ Tunc videns Iudas, qui eum tra-
„ didit, quod damnatus esset, pœ-
„ nitentiâ ductus retulit triginta ar-
„ genteos principibus Sacerdotum,
„ & senioribus dicens: peccaui tradens
„ sanguinem iustum. At illi dixe-
„ runt: quid ad nos? tu videris. Et
„ proiectis argenteis in templo reces-
„ sit: & abiens laqueo se suspendit.

32. Ter Pertrus Iesum negat, D Gallusque cantat, quare Petrus recordatus verbi Iesu egressus foras fleuit amarè, vt innuit figura hæc, & recitat Euangelista Matthæus cap. 26. num. 75.

33. Pilatus existimans, Iesum esse iustum, lauat manus coram populo: sic idem Matthæus cap. 27. num. 24.
„ Videns autem Pilatus, quia nihil
„ proficeret, sed magis tumultus fie-
„ ret: acceptâ aquâ, lauit manus co-
„ ram populo.

34. Numerum vero 26. eiusdem capitis præsens declarat iconismus:
„ Iesum autem flagellatum tradidit
„ eis, vt crucifigeretur.

35 Sequentis numeri 27. areolæ hoc manifestat mysterium: ibi sic:
„ Tunc milites Præsidis suscipientes
„ Iesum in prætorium, congregaue-
„ runt ad eum vniuersam cohortem,
„ & exuentes eum clamyde coccinea
„ circumdederunt, & plectentes co-
„ ronam de Spinis posuerunt supra
„ caput eius, & arundinem in dex-
„ tera eius, & genu flexo ante eum,
„ illudebant ei dicentes: aue Rex Iu-
„ dæorum.

36. Itidem ex num. 32. apparet præsentis iconis explicatio, nempe:
„ Exeuntes autem inuenerunt ho-
„ minem Cyrenæum, nomine Simo-
„ nem, hunc angariauerunt, vt tolle-
„ ret Crucem eius.

37. Patens est figura hæc, cùm Christum Crucifixum ostendat: animaduersione digna sunt, Christus Crucifixus cum quatuor clauis, ac B.V. flens propè S. Ioannem, qui ad eius sinistram stat.

38. Dominus noster Iesus Christus sindone inuolutus, & in monumẽto positus designatur; ita describitur ab Euãgelista Matthæo cap. 27. n. 57.
„ Cùm autem sero factum esset, venit
„ quidam homo diues ab Arimathea
„ nomine Ioseph, qui & ipse disci-
„ pulus erat Iesu. Hic accessit ad Pi-
„ latum, & petijt corpus Iesu. Tunc
„ Pilatus iussit, reddi corpus, & acce-
„ pto corpore, Ioseph inuoluit illud
„ in sindone munda, & posuit illud

,, in monumento suo nouo, quod ex- A
,, ciderat in petra.

39. Christi ad inferos descensio demonstratur; de cuius descensu plures locuti sunt Patres, inter quos videndus Anastasius Sinaita Ananogicarum contemplationum in Hexameron lib. 7. post medium, de ijs, quæ fuerunt post sextum diem, ac Lucas Tudensis lib. 2. cap. 13. qui sic ait.
,, Quibusdam quærentibus certificari auctoritatibus diuinis, vtrum in B
,, emissione sui Spiritus, ad inferos descenderit, vel statim Sanctorum animas de potestate tenebrarum liberauerit Dei filius, prout vires scientiolæ nostre suppetunt, respondemus. Legitur in passione Domini, quod petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa Corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Hoc statim post quam emisit Christus Spiritum, C
,, fuit factum, vt resurrectio Sanctorum ostenderet, mortuorum Sanctorum animas de inferorum carcere liberari. Etenim iniustum esset, & valdè à ratione dissonum, vt vniuersitatis pretio à Dei filio in ipsius morte dato, vlterius Sancti, qui decesserant, detinerentur captiui.

40. Redemptoris apparitio Mariæ Magdalenæ, quæ ipsum horticolam esse putauit, vt narrat Euangelista D
Ioannes capit. 20. num. 25. Mulier,
,, quid ploras? Dicit eis: quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat, quia Iesus est: Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras? quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus. Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister) Dicit ei Iesus: noli me tangere, non dum enim ascendi ad Patrem meum; vade autem ad fratres, & dic eis, ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.

41. Episcopi imago in hoc loculo apparet, de quo infra ad numerum 46. cum tres supersint Christi miracula hisce in valuis expressa, quare ne interrumpatur historiæ narratio, illam continuamus.

42. Discipulis in Emmaus euntibus Christus apparuit, quem cognouerunt in fractione panis. Ita Lucas cap. 24. nu. 28. Et appropin-
,, quauerunt Castello, quò ibant: & ipse se finxit longiùs ire. Et coegerunt illum dicentes: mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, & fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: Et ipse euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? & surgens eadem hora regressi sunt in Ierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant dicentes: quod surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant, quæ gesta erant in via; & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

43. Tho-

43. Thomæ cum reliquis Diſci- A
pulis Ieſus corpus præbens palpandũ
figuratur, vt exponit diuinarũ rerum
contemplator Aquila Ioannes in cap.
20. num. 24. Thomas autem vnus
„ ex duodecim, qui dicitur Dydimus,
„ non erat cum eis, quando venit Ie-
„ ſus. Dixerunt ergo ei alij Diſcipu-
„ li: vidimus Dominum: ille autem
„ dixit eis: niſi videro in manibus
„ eius fixuram clauorum, & mittam
„ digitum meum in locum clauo- B
„ rum, & mittam manum meam in
„ latus eius non credam. Et poſt octo
„ dies iterum erant Diſcipuli eius in-
„ tus; & Thomas cum eis. Venit Ie-
„ ſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio,
„ & dixit pax vobis. Deinde dicit
„ Thomæ: infer digitum tuum huc,
„ & vide manus meas, & affer ma-
„ num tuam, & mitte in latus meum,
„ & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.
„ Reſpondit Thomas, & dixit ei: C
„ Dominus meus, & Deus meus.
„ Dixit ei Ieſus: quia vidiſti me Tho-
„ ma credidiſti: Beati, qui non vi-
„ derunt, & crediderunt.

44. Item ſe ſe offert alia Epiſcopi imago; ſed huius explicationem ob ſupra allatam cauſam differimus, & ſequentis numeri explicationem continuamus.

45. Chriſtus in Cœlum aſcendens demonſtratur hac in areola, vt ſæpe citatus Lucas cap. 24. n. 50. ex- D ponit vbi ſic: Eduxit autem eos foras
„ in Bethaniam: & eleuatis manibus
„ ſuis benedixit eis. Et factum eſt,
„ dum benediceret illis, receſſit ab
„ eis, & ferebatur in Cœlum.

46 Alius exprimitur Epiſcopus, de quo mox.

47. In hoc quadrato Archipræſul Beneuentanus deſignatur, vt ex Thiara apparet, quam ad inſtar Pontificiæ eſſe, aſſerit Pompeius Sarnellus ad præſens digniſſimus Vigilienſis Epiſcopus in ſuis Memorijs Cronologicis Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum Beneuentanorum num. 82. vbi Beneuentanos Archiepiſcopos aſſerit, Camelauciũ ad inſtar Romani Pontificis geſtaſſe, vnica tantum corona, quam nos tamen potiùs regnum nominamus: ſubinde addit, eundem Beneuentanum Archiepiſcopum olim duos ſupra triginta habuiſſe Suffraganeos, quos ibidem enumerat: & ex illis non nulli hiſce in valuis expreſſi ſunt; alij verò deſiderantur. Vnde conijcitur valuas has conſtructas fuiſſe poſtquam hi Suffraganei ceſſarunt, qui præfatis viſuntur in valuis. Sub n. 41. legitur Epiſcopus Montis Corbini, qui hodie Vulturarienſi perpetuo vnitus eſt. ſub num. 46. eſt Epiſcopus Abbellini, qui & Auellini noſtris hiſce temporibus nuncupatur.

48. Epiſcopum S. Agatæ imago hæc denotat, quæ Gothorum appellatur.

49. Laruam capitis Gryphi ad valuarum ornatum, cuius ex ore magnus pendet annulus, repræſentat.

50. Limoſanum Epiſcopum oſtendit, qui hodie amplius non extat, cum illius Epiſcopatus Menſæ Archiepiſcopali Beneuentanæ coniunctus fuerit.

51. Leſinæ Epiſcopum deſignat, qui itidem Metropoli vnitus fuit.

52. Alia Larua, quę Pardi caput pariter oſtendit, cuius ex ore annulus pendet.

53. Similiter alia Larua aliud Par-

di caput eodem modo præsefert.

54. Episcopus Montis Marani expressus hic occurrit.

55. Vulturariensem Episcopum hæc denotat imago.

56. Similiter ad ornatum alia hic apposita larua, vt num. 49.

57. Telesiæ, siue Telesinus Episcopus hic repræsentatur.

58. Episcopus Alisanus, siue Alisa hic apparet.

59. Boiani Episcopus.

60. Treuensis Episcopus, scilicet Triuentinus.

61. Frigiæ Episcopus hic cernitur, qui vnitus est Episcopatui Auellinensi.

62. Arianensis Episcopus.

63. Episcopus Asculanus, scilicet in Apulia, quia alter eiusdem nominis in Piceno exstat.

64. Biuini scilicet Bouini, aliàs Bouinensis Episcopus. C

65. Gauardiæ, aliàs Guardiensis, siue Guardiæ Alseriæ Episcopus.

66. Draconariæ Episcopus, qui ad præsens vnitus reperitur Ecclesiæ S. Seueri.

67. Ciuitatis Episcopus, qui amplius non extat, cum etiam eidem Ecclesiæ S. Seueri vnitus fuerit.

68. Termuli, alias Termulanus Episcopus.

69. Luceriæ, aliàs Lucerinus D Episcopus.

70. Florentinus vnitus fuit eidem Ecclesiæ Lucerinæ.

71. Tortibuli pariter vnitus præfatæ Ecclesiæ Lucerinæ.

72. Vici aliàs Viccani, iste quoque vnitus Ecclesię Vulturariensi.

Hæc breuiter, quæ in istis insignibus valuis animaduersione digna sunt A exposui. Superest modò de earundem temporis constructione aliquid breuiter attingere, vt curiosi Lectoris genio, magis indulgere valeam: varios propterea quæsiui Auctores, qui, aliquod lumen afferre valerent; at in cassum omnis diligentia adhibita fuit. Ad coniecturas igitur recursum habui, quæ si non certum, saltem veritati proximum tempus indicent. Quamobrem obseruo quatuor supra B viginti Suffraganeos in ijsdem valuis expressos esse; seruatoque ordine ibi repræsentato sequentes sunt.

Num. 41. I. Episcopus Montis Corbini.

44. 2. Alarinus, nempe Larinensis.

46. 3. Auellinus.

48. 4. S. Agathæ.

50. 5. Limosanus.

51. 6. Lesenensis.

54. 7. Montis Marani.

55. 8. Vlturariensis.

57. 9. Telesinus.

58. 10. Alisanus.

59. 11. Boianus.

60. 12. Triuentinus.

61. 13. Trigitanus.

62. 14. Arianus.

63. 15. Ausculanus.

64. 16. Bouinensis.

65. 17. Guardiensis.

66. 18. Dragonariæ.

67. 19. Ciuitatis.

68. 20. Termularum.

69. 21. Luceriæ.

70. 22. Florentinus.

71. 23. Tortibulensis.

72. 24. Vicanus, aliàs Triuicanus.

Octo ad numerum duorum, & triginta Suffraganeorum desiderantur, vt

vt laudatus ostendit Sarnellus n. 22. A ac sunt.

1. Aquæ putridæ.
2. Ordonensis.
3. Quintodecimus.
4. Sepinensis.
5. Sessolæ.
6. Tocchensis.
7. Viuari
8. Troianus.

Si hos igitur ad trutinã reuocemus; quoque tempore floruerint, inquiramus, B profectò aliquod ex hac inspectione eliciemus probabile indiciũ ex coniecturis. Ab Aqua putrida initium sumo, de cuius Episcopis nullam reperiri mentionem asserit præfatus Sarnellus pag. 238.

Ordonensis secundo se offert loco. Ibidem ex eodem Sarnello pag. 231. vbi de hac agit Ecclesia, nihil expiscari potuimus.

Quinto decimus ad pag. 234. idem C Sarnellus fusè de hac differit ciuitate, ostenditque antiquitùs Eclanum dictam fuisse, ac vsque ad annum 1054. illius superesse memoriam; si ergo de hoc constabat anno, argui posset de isto tempore valuas constructas minimè fuisse, quoniam si Quintodecimus Episcopus extitisset, inter alios suffraganeos ibi expressos, vtique fuisset sculptus.

Sepinensem nunc examinemus. D De huius Ecclesiæ Episcopis, præterquam in principio sexti sæculi, nullam aliam reperiri mentionem, sæpe laudatus asserit Sarnellus ad pag. 242. ideò ad alium me confero.

Sessolæ Episcopus: de hoc idem Sernellus differit pag. 227. vbi scribit, Ecclesiam hanc vnitam fuisse Ecclesiæ S. Agathæ; at de vnionis tempore non constare.

Toccho, siue Tocchensis: Laudatus narrat Sarnellus pag. 225. Anno 1058. in Stephani X. diplomate de hoc Episcopo sæpissimè mentionem fieri.

Viccari Episcopi meminit Bulla eiusdem Stephani X. data anno 1058. vt ostendit idem Sarnellus pag. 258.

Troianus Episcopùs adhuc superest, quem, cum suffraganeus Archiepiscopi Sypontini esset, idem Stephanus Pontifex sub Metropolitico Iure, Archiepiscopi Beneuentani posuit anno 1058. vt recitat præfatus Sarnellus pag. 258. Quare ex relatis octo suffraganeis, quorum mentio in valuis minimè reperitur, deduco, quòd tempore constructionis earundem valuarum ijdem octo Episcopatus, siue ob illorum suppressionem, siue vnionem alijs Episcopatibus factam, amplius pro episcopatibus non habebantur, illorumque, vt nuper exposuimus, non extitisse memoriam, nempe Quintodecimi anno 1054: Tocchensis Anno 1058. Viccarensis eodem Anno 1058. Quamobrem ex his memorijs arguo, post hæc tempora scilicet in fine seculi vndecimi, aut principio duodecimi, præfatas valuas constructas fuisse; nam in sæculo decimoquarto nempe Anno 1334. tres, & viginti tantum erant suffraganei, vt deducitur ex Synodo Beneuentana tempore Hugonis II. Guidardi habita Cap. 13. vbi asseritur Viginti tres tunc habuisse suffraganeos, & alio tempore, in priuilegijs antiquis legitur triginta duos habuisse; quod de alia Metropoli non legitur. Hæc ibi: His addo coniecturis, quod D. Bartholomæi, eiusdem Ciuitatis

Basilica

Basilica, æneas habet valuas, vt præcitatus narrat Sarnellus pag. 95. quas constructas fuisse asserit, anno 1150. & 1151. vt ex inscriptione in eisdem valuis extante patet. Quare conijcio, quòd eiusdem Basilicæ Ministri animaduertentes æneas Metropolitanæ Ecclesię valuas, ac ipse S. Bartholomęi ligneas esse, ne ipsa Basilica in hoc inferior Metropolitanæ remaneret, curarunt, vt etiam in laudata Basilica æneæ construerentur valuæ. Et hæc de æneis valuis Metropolitanæ Ecclesiæ Beneuentanæ dicta sufficiant, ac ad alias vetustas referendas memorias progrediamur.

CAPVT VI.

De Cruce Stationali Inuestigatio historica.

INter conspicua militantis Ecclesię insignia, Christi Athletis, proposita, quod omnium Oculos, corda ac linguas ad se trahit, & sapientum ingenia, voces, & calamos excitat, primum se offert nostræ signum Redemptionis; vt canit Ecclesia.

Vexilla Regis prodeunt,
fulget Crucis Misterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

De hoc Dominicæ Crucis Mysterio, Sacroque Symbolo, ferè omnes Christiani scriptores aliquid exarârunt. Inter recentiores Iacobus Gretserus, & Iacobus Bosius, nec non Iustus Lipsius omnes tunc sacræ, tum profanæ omnigenæ eruditionis Scriptores accuratissimi, omnique semper laude commendandi de hac Sanctissima cruce peculiares edidêre tractatus; Et meritò, quoniam Hypponensis ille Antistes, latinæque Ecclesiæ lumen S. Augustinus, seu qui vis alius sit Auctor in Sermone 101. de tempore, quem Neoterici Operum S. Augustini Editores, in Appendice sub num. 32. reiecerunt, sic de Cruce fatur: „ De B. Crucis Mysterio diutiùs loqui, & dulce est, & salubre, & paulò post: Quid enim dulcius, quid suauius vel ex cogitari, vel dici potest, quàm S. Crucis Mysterium, per quàm non solùm ab inferis reuocari, sed etiam in Cœlis eleuari meruimus. Mysterium, -- ait Apost. ad Coloss. 1. 26. Quod absconditum fuit à seculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est Sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius in Gentibus, -- & in prima ad Corinth. c. 1. 23. addit: Nos autem prædicamus Christum Crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. De hoc igitur signo, quando de ignominiæ instrumento factum sit venerabile Decus Eccclesiasticæ, ac Sæcularis potestatis in venerationem publicam deuenerit, primitùs inquiro. Et quidem illud præmittendum iudico, quod notum penè omnibus est, quòd cùm magnus ille Christianorum Imperator Constantinus in consilijs haberet, Romam â Maxentij tyrannide vindicare, ad Christianorum vnicum Deum, quem Constantinus eius Pater coluerat, confugiendum esse, arbitratus fuit. Itaque eundem humiliter deprecatus, vt quid tam in ardua re peragere deberet, indicare dignaretur. Nec irritæ, neque inanęs eius fuere preces, neque in

somnis, sed in ipso meridie claro, A serenoque Cœlo, Crux Splendorem sole clariorem emittens, in aere apparuit, in qua hæc græcis legebantur inscripta literis ΤΟΥΤΩ, ΝΙΚΑ, nempe *hac vince*. Interea anxius, quid hæc denotare valerent, superueniente deinde nocte quieuit, eique in somnis, Christus cum eodem signo, quod in Cœlo fuerat ostensum, apparuit. præcepitque eidem, vt militare signum, ad eius similitudinem, quod B in Cœlo viderat, fabricaret, eoque tanquam salutari præsidio in prælijs vteretur. Cumque primùm dies illuxit; Augustus noster, præstantissimis accersitis Artificibus, Crucem ad illius Cœlestis similitudinem intexto auro, gemmisque insertis, fieri iussit, Hoc simbolum exprimebat hasta longior, quæ auro contecta, transuersam habebat antennam; in eius hastæ summitate corona affixa C erat gemmis, auroque ditata, binæque in super literæ X. P. hac ratione expressæ ☧ Salutare Christi nomen designabant. Quas quidem literas Imperator in galea post hæc etiam gestare consueuit. Ex antenna autem, quæ obliqua per hastam traiecta erat, velum quoddam pendebat, textum videlicet purpureum, pretiosis lapidibus inter se iunctis, & luminis sui fulgore oculos perstringenti- D bus, coopertum, multoque intertextũ auro, inexplicabilem quandam pulchritudinis speciem intuentibus prębens. Hæc breuiter in Eusebio in eiusdem Imperatoris vita.

Ex hac narratione tria deduco:

1. Quando Crucem publicè Christi fideles cœperint venerari.

2. Quando ea in militiæ agminibus deferri consueuerit.

3. Cur auro, pretiosisque lapillis, ornata fuerit.

Ex hisce tribus animaduersionibus aliam elicio, nempè Christi fideles pretiosis lapillis, auroque ornatam Crucem expressisse, Constantini forsan exemplo adductos, vt ad fidem venientes, Crucem non opprobrij, sed honoris; non suplicij, sed victoriæ; non pœnæ, sed premij signum esse intelligerent. Cruces ditandi mos ex quam plurimis antiquis monimentis deducitur. Sufficiat hìc solummodo indicare infrascriptã Tabulam XXXII. vbi gemmata Crux clarissimè apparet.

Cùm igitur semper laudatus Imperator publicè Crucem deferret, eamque venerari iussisset, hanc libentissimè ipsi Fideles nacti occasionem, eandem Crucem etiam in lætanijs, siue litanijs, quas nunc processiones, seù supplicationes publicas denominamus, tanquam Christianæ Religionis vexillum, palàm deferre cęperunt. Cumque litaniæ ante celebrationem indicerentur, vt populus ad statutam diem, statutumque locum conueniret, ipse Populi actus standi, siue permanendi in designato loco, Statio appellatus fuit, à militum statione desumpta metaphora; fidelium enim cœtus militans Ecclesia dicitur, & vita hominum militia super terram. Quare sicut ipse standi actus Statio denominatus fuit; ipsa etiam Crux, idem stationalis nomen sortita est. Pretiosorum autem lapidum ornatum viuificæ Crucis signo à Constantino additum (vt innuimus) Christi fideles postea imitati sunt; quem morem in subsequẽtia perdurasse tempora comperi-

perimus. Nam Carolus itidem Magnus, poſtquam imperij Coronam, è manibus Beatiſſimi Pontificis Leonis III. in inclyta Vaticana accepiſſet Baſilica, vt Religioſiſſimus Imperator, Eccleſijs Vrbis varia obtulit dona, inter quæ magna Crux fuit gemmis ornata, quæ deinde ſtationalis euaſit, vt Bibliothecarius in ipſius Pontificis vita ita enarrat: In Baſilica „ Saluatoris Domini IESV Chriſti, quam Conſtantinianam vocant, obtulit Crucem cum gemmis hyacinthinis, quam almificus Pontifex in lætania præcedere conſtituit ſecundùm petitionem ipſius pijſſimi Imperatoris.

A

Deinde Crux hæc ob eius pretioſitatem latronum præda remanſit. Quamobrem Leo IV. etiam ſanctiſſimus Pontifex aliam non abſimilem refecit, vt laudatus ſcribit Bibliotecarius in iſtius Pontificis vita, vbi: „ Nec non & Crucem ex auro puriſſimo gemmis ornatam, quam Carolus, piæ memoriæ Imperator Francorum, & Romanorum in Baſilica Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ Conſtantiniana nuncupatur, temporibus Domini Leonis ſanctę recordationis III. Papæ obtulerat, quæ mos erat, vt in lætanijs ante ſacratiſſimum Pontificem ipſa præcederet, & ſic permanſit vſque ad tempus ſanctę recordationis Domni Paſchalis Papæ, vnde diabolicâ ſuggeſtione, atque inſtigatione à malis extorta eſt, & à latronibus nocte furtim ablata. Et nullus Prędeceſſorum Pontificum, tam Domnus Paſchalis, quam Domnus Eugenius, ſiue Domnus Valentinus, ſiue Domnus Gregorius, nec non, & Domnus Sergius recordatus fuit, vt eam reſtauraret, & ad vſum Sanctæ Dei Romanę Eccleſiæ pararet, ſed idem prefatus, & magnificus Præſul fecit ex auro puriſſimo, & miræ magnitudinis margaritis, & gemmis hyacinthinis, & pręſinis vtiliter ornauit, & ad vſum priſtinum Sanctę Dei Genitricis Romanę Eccleſię mirificè decorauit.

C

D

Crucem, quæ in proceſſionibus præcedebat, ſtationalem appellatam fuiſſe, apertiùs arguitur ex auctoritatibus, quas hìc ſubijcimus. R.P. Ioannes Mabillon literariæ Reipublicæ ob varia edita opera notus, in ſuo Muſæo Italico to. 2. Ordinem Romanum refert, vbi Benedictus Vaticanę Eccleſię Canonicus, qui in principio duodecimi ſeculi floruit ſub n. 10. hæc enarrat. „ Primicerius cum Schola, & Subdiaconi Regionarij, & Acolythi cum Cruce ſtationali S. Petri, leuant inde Crucem cum Collecta proceſſionali, cantando vſque ad Sanctam Mariam Maiorem. Et infra num. 29. deinde vadit ad Sanctum Hadrianum, vbi eſt crux ſtationalis, Archidiaconus annuit, vt cantet ſchola. Et paulò poſt: Tunc SubdiaconusRegionarius leuat crucem Stationalem de Altari planè portans eam in manibus vſque ad Eccleſiam. Dum venerit foras leuat eam ſurſum, quam fert ante Pontificem in proceſſione vſque ad S. Mariam Maiorem. Ac n. 57. Subdiaconus, verò Regionarius eleuat crucem Stationalem de Altari, quàm planè portat in bracchio, vt oſculetur ab omnibus, in proceſſione ante Pontificem, vſque

B

in

,, in exitu Ecclesiæ; deinde leuat eam A
,, erectam. Petrus Mallius, qui sub no-
mine Canonici Romani circumfer-
tur, ac vixit Alexandri III. tempore;
in Vaticanæ Basilicæ descriptione, quã
publici Iuris fecit Paulus de Angelis
sub num. 36. hæc scribit -- Hoc quo-
,, que non est paruum, quod institu-
,, tione Sanctorum Patrum quædam
,, prærogatiua sumitur de sanctis-
,, simo Altari B. Petri, Crux Domi-
,, nica, quæ præcedat populum pœ- B
,, nitentem per totam Quadragesimã
,, ad Stationes euntem. Quæ nimi-
,, rum Crux Stationalis ad Christi,
,, & eius Apostoli reuerentiam in
,, tanta veneratione à cunctis est ha-
,, bita, quòd sicut Cantores, & Re-
,, gionarij asserunt, hac Cruce non
,, delatà immunes à statione sępè re-
,, cedant. Et sub num. 54. de diurnis
,, Stationibus S. Petri hæc subdit: In-
,, nocentius Papa II. ad ornatum Al- C
,, taris B. Betri fecit fieri magnam
,, Crucem argenteam pensantem
,, centum libras, & deauratam posuit
,, iuxta Altare B. Petri manu dextera.
,, Renouauit & Crucem Stationalem,
,, quę vadit per Stationes.

Huius pretiosę Crucis iacturam
Vaticana fecit Basilica Clementis VII.
tempore, quo Borbonio Duce Vrbs
Romana à militibus occupata fuit,
ac auaritię strages, & direptiones non D
solùm publicis in vijs, ac domibus,
verùm etiam in sacris quoque tem-
plis perpetratæ fuerunt.

In Liberania Basilica similem fuis-
se Stationalem Crucem, ex laudato
Paulo de Angelis in descriptione Ba-
silicę S. Mariæ Maioris colligo, vbi
lib. 8. cap. 1. agit de Crucibus, alijs-
que rebus sacris ex auro, & argento,
quæ olim in Basilica aderant, ac alijs
Crucibus ibi seruatis. Prima sic expri-
mitur -- Crux vna magna de ligno
,, cooperta argento, quæ portatur
,, per litanias, in medio ipsius ab vno
,, latere est imago Virginis Mariæ, ab
,, alio latere est Crucifixus, & cum
,, non nullis reliquijs in pede, & qui-
,, busdam imaginibus in capite, pede,
,, & lateribus. Ac paulò post: Vna
,, Crux argentea cum Crucifixo eleua-
,, to ad vsum mortuorum, & cum
,, canuno argenteo vnciarum viginti
,, duarum cum dimidia. Ex hac igitur
narratione, ni fallor, inter Cruces
discrimen deduci posse arbitror, qui-
bus Christi fideles in sacris actionibus
vtebantur; nam Stationales Cruces
sumptuosæ, ae magnæ: aliæ verò ad
mortuorum vsum simplices, ac paruæ
erant, vt in præsentiarum obseruamus.
Sententiam confirmo meam ex cap.
3. eiusdem libri, vbi de rebus argen-
teis, aureis, atque orichalchis, quæ
adhuc sunt in eadem Basilica; inter
alias hæ duæ describuntur -- Alia Crux
,, argentea, quæ in Processionibus
,, adhibetur, cuius pondus lib. sex-
,, decim, & vnciarum nouem. Alia
,, Crux argentea parua pro Processio-
,, nibus librar. 3. vnc. 10.

Quare argui valet, quòd in Pro-
cessionibus solennibus, scilicet in
Stationalibus, Crux magna, in alijs
verò Processionibus Crux parua, qui
ritus vsque ad præsentem obseruatur
diem, deferebatur.

De huiusmodi Crucibus Statio-
nalibus, etiam Literatorum decus
Panuinius meminit. Is in suo erudito
tractatu de septem Vrbis Ecclesijs
pag. 51 sic fatur -- Rogationes mino-
res Triduanæ vltimæ, Rogationes Ma-

 iores

" iores in die S. Marci, Litaniæ aliæ, A
" ſupplicationes in caſibus vrgentiſſi-
" mis, perpetuò ad S.Petrū celebratæ.
" Cleri ordines cuncti in ſupplicatio-
" nibus ſequebantur eiuſdem Baſili-
" cæ Crucem, quæ Stationalis vocaba-
" tur.

Seueranus de ſeptem Vrbis Eccleſijs, quando agit de Cœmeterio S. Anaſtaſij, ac S. Zenonis pag.417. ſcribit feria IV. poſt IV.Dominicam Quadrageſimæ (in qua eſt Statio ad S. B Paulum:) Lateranenſem Clerum iuiſſe proceſſionaliter cum ſua Cruce Stationali ad eadem Cœmeteria.

Aringhus quoque aliqua attigit de Crucibus Stationalibus in lib. 6. cap. 14. num. 7. ſuæ Romæ ſubterraneæ, ac omnibus his luculentiorem narrationem texit Auguſtinus Fiuizanius, Palatij Apoſtolici Sacrarij Præfectus in ſuo erudito tractatu de ritu Sanctiſſimæ Crucis Romano Ponti- C fici præferendæ lib. 2. cap. 6. vbi ſic:
" Omnis denique de Cruce in ſuppli-
" cationibus præferenda dubitandi
" locus, ſi quis in re tam aperta reli-
" quus eſſe poſſit, de medio tolletur,
" ſi, quæ de Crucis Stationalis in Ro-
" mana Eccleſia vſu à Maioribus no-
" ſtris accepimus, in memoriam re-
" uocabimus. Appellabatur autem
" Stationalis, propterea quòd Summo
" Pontifici, Clero, & populo ad Sta- D
" tiones ſolemni ritu procedentibus,
" illam præferri ſolitum erat, qualis
" profectò eſt, quæ clariſſimum
" Lateranenſem Clerum ad ſupplica-
" tiones publicè prodeuntem de mo-
" re hodie præcedit: illam dico præ-
" grandem argenteis inſculptam the-
" cis, diuerſas Domini Saluatoris
" Noſtri, & Sanctorum actiones re-
" præſentantibus vndique tectam, &
" ornatam, quæ ob ponderis magni-
" tudinem ab ijs, qui viribus corpo-
" ris, & robore maximè præſtant, ge-
" ſtari ſolet. Qualem etiam ad illum
" ipſum ferè modum ad noſtra vſque
" tempora in Apoſtolorum Principis
" de Vrbe Baſilica fuiſſe, qui ſe eam
" vidiſſe aſſerebant, mihi aliquando
" teſtati ſunt. De qua Stationali Cru-
" ce, ſiue illa, quam diximus, ſiue
" conſimilis formæ alia, Petrus Mal-
" lius, Mapheus Vegius, & Benedictus
" eiuſdem Baſilicæ inſignes Cano-
" nici in ſuis ipſorum ſcriptis, quo-
" rum maior pars in illius Biblio-
" theca aſſeruatur, non nulla notatu
" digna retulerunt. Petrus quidem,
" quem primo loco nominauimus,
" quæ ad rem noſtram faciunt, hæc
" habet: Non modica quoque B. Pe-
" tri Baſilica lætari debet prerogatiua,
" quòd in maiori Litania, tanquam
" nauis prora, & aliarum Vexillifera
" omnes de naui præcedit, Domino
" Papa tanquam principali, & præ-
" cipuo Gubernatore ex puppe veni-
" ente: in quo nimirum facto ſigni-
" ficatur, Beatum Petrum Vexillife-
" rum, & totius Eccleſiæ eſſe Prædu-
" ctorem, & Chriſti reſurrectionis
" primum Prædicatorem: Sicut enim
" in Paſchali proceſſione Cruces, &
" Sanctorum Reliquias ad vitæ præ-
" parationem, & monimenta contra
" hoſtes inuiſibiles præmittimus, ita
" in hac generali proceſſione B. Pe-
" tri Baſilica, vt ductrix, & rectrix
" cœterarum præambula inuenitur.
" Et hinc eſt, quòd Crux Dominica
" quadrageſimali ſcilicet tempore,
" ſumitur de Sanctiſſimo S. Petri Al-
" tari, quæ præcedat populum pœ-

nitentem

„ nitentem per totam quadragesimã ad Stationes euntem de institutione SS. Patrum. Quæ nimirum Crux Stationalis ob Christi, & Apostolorum eius reuerentiam in tanta veneratione à cunctis est habita, quòd sicut Cantores Regionarij asserunt, hac Cruce non delata, immunes â statione recedant. Maphei verò de illa testimonium eiusmodi est: Beatus Gregorius Papa, cum per totam Quadragesimam ordinasset stationes propter pœnitentes, quas cùm Primicerio, & Cantoribus, & Regionarijs, & Acolythis deuotissimè faciebat: illud etiã, quod maximo honori, & prærogatiuę Basilicę S. Petri habitum est, statuit, vt de Maiori Altari eius Crux Dominica sumeretur, quæ Populum pœnitentem ad Stationes ipsas procedentem semper prę cederet, cuius tanta fuit apud omnes veneratio, vt si fortè non deferri eam aliquando contingeret, discederent passim exstimantes, non ita sine ea acceptas Deo Stationes vllas fuisse.

„ Benedictus verò de eadem inter cœtera, ne omnia repetam, hæc scripsit: In Exaltatione S. Crucis, Statio Lateranis: fit collecta ad Sanctam Mariam Maiorem, vbi Crux Stationalis, & schola, & Regionarij, & Acolythi coadunantur, cum Cruce S. Ioannis, & Canonicis. Primicerius cum schola cantat Collectam. Subdiaconus Regionarius portat Crucem Stationalem in Processione antè Cantores, & processionaliter procedit vsque ad Lateranum. Hæc ille. Huius postremi ritus gestandæ Crucis in Processionibus meminit Guillelmus Durantes Cœremoniarum Ecclesiasticarum peritissimus: Crux (inquit) quasi Regale Vexillum, & triumphale signum in Processionibus pręmittitur. Primò, vt fugiant, qui oderunt eum â facie eius: est enim signum Victoriæ Christi iuxta illud, Vexilla Regis prodeunt. Secundò, quia sic ait Apostolus ad Galatas: Absit nobis gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi, per quem mundus nobis, & nos mundo crucifigi debemus. In quam sententiam amplissimus quoque Cardinalis Varmiensis: Hæc, inquit, est causa, quare in supplicationibus Crux præfertur, vt in illa gloriari nos, in illa spem nostram omnem defixam habere, illius fiduciâ nihil â Deo petentes impetrare posse, palàm omnibus faciamus. At quibus de causis, propter quas signum Crucis præfertur, diffusè à nobis in tertio libro agendum est; ideò quæ de illis modò dicenda occurrunt, in illum locum reijcimus, vt ad alia procedamus. Hæc Fiuizanius.

Ex supradictis allegatis satis superque existimo, me probasse, Stationales Cruces illas esse, quæ antesignanę erant, & in processionum initio deferebantur. Has Cruces insigniori-bus in Ecclesijs aliquam speciositatem in se habuisse iudico, ducto argumento ab illis duabus Crucibus argenteis, quę â Capitulo inclytæ Lateranensis Ecclesiæ in solennioribus extolluntur processionibus, ac eas antiquissimas esse puto, ideò eas delineari curaui, illarumque exemplaria sub oculis pono, vt earundem vene-

randam antiquitatem, ac hiſtorias, A aliaque in illis contenta quiſque dignoſcere valeát.

Primam exhibeo Crucem in Tab. X. & XI. Tab. X. anteriorem XI. verò poſteriorem Crucis faciem oſtendunt.

Crux hæc vetuſtiſſima eſt, multaque redolet ſecula, argenteis laminis obducta renidet, in hiſce laminis anaglyphico opere variæ ſculptæ ſunt figuræ, ſacram exponentes hiſtoriam, B non leui, ſed graui manu elaboratę, quas ſi hìc declarauero, graue Lectori minimè futurum puto, cum ab illarum attenta inſpectione ipſum liberem, quoniam non nullę quadam Artificis ſimplicitate expreſſę ſunt. In his igitur referendis potiùs hiſtoriarum ordinem, quàm locum ſequar.

Cum â dignioribus ſemper inchoandum ſit, â Crucis centro Tabulæ X. initium ſumo. In hoc igitur Crucis C medio ſub num. 1. eiuſdem X. Tab. viſitur circulus, & in eo notiſſimum noſtrę Redemptionis myſterium, nempe Chriſtus Cruci affixus; ad dexteram Batiſſimæ Virginis Deiparę, ad ſiniſtram S. Ioannis Euangeliſtę effigies cælatę aſpiciuntur. Omnes hæ imagines in Chriſtianorum Vexillo appingi ſolent, quod veluti trophęum de profligato Diabolo, ac humano genere ab ęterna damnatione ere- D pto vbique defertur. Iure igitur in medio, vbi virtus conſiſtit, humanę redemptionis expreſſum fuit myſterium. Modò ad alias explicandas figuras procedo.

2. In Crucis ſummitate Æternus Pater, ni fallor mundum creans inſculptus eſt, nam æquæ cernuntur, in quarum medio aliquid ſolidum exurgit, itidem ad dexteram quædam figura, ab aquis veluti emergens, ad ſiniſtram alia ſimilis figura, veluti in aquam ſe immergens expreſſæ ſunt; inter ambas has figuras Spiritus Sanctus in Columbæ forma adumbratus eſt. Quid per haſce figuras demonſtrare voluerit faber, autumo, quòd primum Mundi creationis diem per eaſdem figuras exprimere intellexerit: in ſacra enim Geneſi cap. I. deſcribitur Creatio. In sũmitate ergo ſtat Antiquus dierum, & ſequitur Spiritus in Columbæ ſpecie, qui in aquas tendit, ad demonſtrandum, quòd ferebatur ſuper aquas, ad dexteram eſt dies, qui ab aquis exoritur, ad ſiniſtram nox, quæ in aquas ſe immergit ad ſimilitudinem Solis è mare Orientis, & in mare Occidentis. In medio aquarum illud, quod viſitur, ſolidum, ſcopolum in mare, ſcilicèt firmamentum indicare puto, vt ſacra docet Scriptura in eodem cap. num. 6. Apprimè igitur ſolidum ipſum, ad denotandum Firmamentum Artifex ita expreſſit, vt quodamodo aquas ab aquis diuideret. Et hæc de hoc ſecundo emblemate, modò ad tertium.

3. Adami creationem demonſtrat, de qua eadem ſacra loquitur Scriptura cap. I. num. 26. Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam.

4. In hoc orbiculo Euæ Mortalium Matris creatio adumbratur: idem ſacer Textus cap. 2. num. 18.

5. Sacræ hiſtoriæ continuationem denotare arbitror, vbi de traditione mulieris Adæ narratur: ſi attentè obſeruentur figuræ, Adam cum muliere differens conſpicietur.

6. Arborem, nempe lignum ſcientiæ boni, & mali, per duos illos ramos

ramos exprimi autumo.

7. A Domino præceptum Adamo factum, illiusque trangressionem designat, vt in sacro legitur textu c. 3. num. 9.

8. 9. 10. 11. Per hos quatuor numeros indicari puto Paradisi Ianuam, Adami, & Euæ è Paradiso eiectionem, ac Cherubin cum flammeo gladio ad Paradisi custodiam positum, & Adami cum Eua iter ad operandum: sacra Genesis eodem cap. 3. num. 23.

12. Sequendo temporis, historiæque ordinem, hac in areola Noè exprimitur, cui Dominus, quem manus è Cœlo erumpens designat, mandauit, vt Arcam conficeret, in qua ipse, & cunctorum animantium genera seruarentur. Eadem sacra Gen. cap. 6. num 12. Vel ipsum significat Deum cum eodem Noè post diluuium colloquentem, vt in laudata sacra Genesi cap. 9. num. 1. Ambiguum valde redditur emblema istud, nam præter iam relatas expositiones tertia addi potest; nempe quando Deus Abrahæ de posteritate desperanti filium promisit, vt in sæpè citata sacra Genesi cap. 15. num. 5. legitur: Eduxit eum foras (nempe Deus) „ & ait illi: (scilicet Abraham) suspi„ ce Cœlum, & numera stellas, si po„ tes, sic erit semen tuum.

13. Hoc in loco ipsa ostenditur Arca, Noe in Arcæ ianua, gradusque per quos superiùs ascendebatur. Non nullæ etiam figuræ intus Arcam visuntur, quas eiusdem Noe vxorem, ac filios indicare existimo, vt in eodem cap. num. 18.

14. Numerus iste; Iacob ferentem cibos Isaac Patri suo, iuxta consilium Rebeccæ Matris repræsentat; de qua historia videndum cap. 27. sæpè citatæ Genesis. In hoc emblemate, ni fallor, obseruo Isaac sedentem, ac Iacob ferentem lancem; huic proxima stat Rebecca.

15. Esau è venatione redeuntem ostendit, de quo idem sacer Textus num. 30.

16. Iacob cum Angelo allocutionem designat, de qua allocutione laudata Genesis cap. 32. num. I. Hæc sunt, quæ exprimere tentaui, si metam attigerim benignus viderit Lector; modò ad alteram eiusdem Crucis faciem, quam tab. XI. demonstrat, indagandam progredior.

In medio Crucis vbi num. I. Adam, & Eua, cum arbore, & serpente expressi cernuntur, de qua sacra historia Genesis cap. 3. num. I.

2. Orbiculi figura continet Abel, & Cain sacrificium; nam in medio visitur Ara ad dexteram Abel, Agnum Deo offerens, è nubibus manus erumpens, ac Agnum versùs tendens: per manum ipse Deus, vt nuper dixi, adumbratur, qui sacrificium acceptat; ad sinistram stat Cain frumenti spicas dexterâ eleuans. Idem sacer Textus cap. 4. num. I. hanc narrat historiam.

3. Iratum hìc tertius numerus exprimit Cain, qui Abel fratrem suum occidit, vt eadem sacra scriptura, illius sequendo ordinem exprimit.

4. Eadem sacra continuatur historia; Dominus enim exprimitur Cain alloquens, vt denotat manus è Cœlo descendens, vt in eodem sacræ Scripturæ loco describitur.

Sub numero 5. notissimum

Abrahæ sacrificium, eiusque fides, & A obedientia, de proprio immolando filio, demonstratur. Hęc describitur historia cap. 22. Genesis.

6. Hac in areola duæ sunt expressæ figurę, nempe Isaac lecto decumbens, qui Iacob benedictionem impertitur, vt sepè laudata Genesis cap. 27. de quibus iam mentio facta est supra num. 14.

7. Ostendit scalam visam à Iacob quiescente in itinere Mesopotamiæ B suscepto, ob Isaac Patris iussionem, cui scalę innitebatur Dominus, qui in pręsenti emblemate itidem per manum è nubibus erumpentem, designatur, quam visionem eadem sacra Genesis refert cap. 28. num. 10.

8. Eiusdem Iacob cum Angelo luctationem exprimit. Vt in sacro Textu cap. 32. num. 23.

9. Ex Iacob historia gradum facimus ad illam Iosephi, qui in som- C nis aliqua vidit, vt in cap. 37. num. 7. enarratur.

10. Eadem continuatur historia in hac 10. areola, vbi, ni fallor, est Israel, scilicèt Iacob Pater sedens, Mater verò in ianua stans sermonem audiens illius, qui cum filijs, Iosephique fratribus stantibus alloquitur; quæ historia in eodem legitur capite.

11. Eundem Iosephum quærentem D fratres repræsentat.

12. Iosephum designat, qui fratres pascentes oues inuenit.

Ad num. 13. referri haud dubito „ verba illa: confestim igitur, vt per„ uenit ad fratres suos, nudauerunt „ eum tunica talari, & polymita.

In orbiculo num. 14. indicato exprimuntur fratres Iosephi, qui intruserunt eum in cisternam veterem; quæ non habebat aquam.

In infimo autem loco Crucis, sub num. 15. Ruben ni fallor indicatur, qui ad Cisternam reuersus: *Non inuenit puerum*. Nisi asserere velimus quòd antecedentis areæ sub num. 7. continuationem historiæ designet, nempe Iacob in Orientalem perrexisse terram, ibique puteum inuenisse.

Demonstraui hucusque, in hisce tabulis Romanæ Vrbis, Orbis Matris, & Capitis, nempe Ecclesiæ Lateranensis, antiquiorem Crucem argenteam, quæ in solennioribus Processionibus ante ipsius insigne Capitulum præferri solebat. Superest modò, vt & alteram posterioris æui similiter argenteam Crucem ostendam, quam pariter idem Capitulum in eisdem defert Processionibus. Crucis eiusdem formam exhibeo in Tab. XII. vbi anterior occurrit pars, in cuius calce hæc leguntur: Opus Nicolai de Guardia Grelis MCCCCLI. quod nomen in lamina argentea eidem Cruci superaddita incisum est, sicuti etiam alia lamina inferior, vbi hæc inscripta sunt: De Ligno CRVCIS D.N. IESV CHRISTI. Quare puto Nicolaum supramemoratum potiùs restauratorem, quàm primum Artificem huius Crucis fuisse; cum literæ in titulo Crucis insculptæ diuersum ostendant characterem. Quamobrèm ex relatis, iudico, eandem Crucem antiquiorem redolere tempora anni 1451. In figurarum explicatione diù minimè immorandum esse duco, cum ipsæ solo intuitu etiam rudioribus innotescant: nihilominus aliqua innuere nō omittam, & primò.

I. Figura Domini Resurectionem

nem denotat, ad cuius pedes sunt A milites custodes sepulchri, quorum vnus sinistra veluti virgam tenet, quam longiorem fuisse puto, ac in eius summitate inhæsisse vexillum ad denotandum trophæum, & gloriam de victo mortis aculeo, & aperto Credentibus regno Cœlorum.

2. Huic imagini subijcitur Pellicanus auis, de cuius natura, & proprietatibus variæ sunt opiniones, quas congessit Eruditissimus Vir Lorinus in Commentario Psal. 101. vers. B 7. *Similis factus sum Pellicano solitudinis*. In his referendis calamum suspendo, solummodo indicans, Patres per huiusmodi auem voluisse Christum Crucifixum exprimere, qui nos suo sanguine redimere, ac deinde â mortuis dignatus est reuocare.

3. Figura hæc in Crucis parte dextera Beatissimam Virginem Mariam iuxta Crucem stantem, ac filium C suum Vnigenitum, Cruci affixum aspicientem, ostendit; ponè eam est alia Maria.

4. In sinistra existimo Discipulum Domini S. Ioannem Euangelistam repræsentari, qui iuxta Crucem stabat, ac iuxta eum duo sunt viri, quorum vnus Miles, vt ex scuto, quod sinistrâ stringit, inferre rationabiliter possumus.

5. In parte Crucis extrema D. D N. Iesu Christi corporis in sepulcrum depositio clarè demonstratur; ideò ad alia propero. Sub istis figuris est lamina argentea recentioris æui, vt ex affixione dignosci potest; in ea nomen Artificis restauratoris, vt nuper dixi, cœlatum est: in huius laminæ limbo hæc leguntur: De ligno Crucis D. N. Iesu Christi; ex quibus clarissimè apparet, ibi particulam Sanctissimæ Crucis insertam esse. Hæc de anteriori huius Crucis facie, modò ad posterioris explicationem, quam exhibeo Tabula XIII. transeo.

In medio conspicitur Christus Dominus noster sedens, dexteramque erigens in actu benedicendi; in sinistra librum apertum habet, in quo characteribus Germanis hæc leguntur: *Ego sum lux mundi, Via veritas, & Vita*. In Crucis summitate Euangelista Ioannes expressus est, cum Aquila, & volumine, in quo similibus characteribus delineata hæc sunt: *In principio erat*. Ad Saluatoris dexteram S. Lucas, iuxta quem volumen est cum hac epigraphe. *Fuit in diebus Herodis*. Ad sinistram stat S. Marcus itidem cum volumine, cuius literæ adeò deprauatæ sunt, vt legi minimè possint. In cuius calce stat S. Matthæus, qui volumen præ manibus tenet. Sed quid in eo contineatur, difficile lectu est.

Hæc sunt, quæ de veneranda antiquitate obseruaui. Modò ad aliud Crucis exemplar demonstrandum progredior in Tab. XIV. expressæ sub num. I.

Crux hęc in inclyta Rauennę Metropolitana Ecclesia obseruatur, quam ab Archiepiscopo S. Agnello, qui post medium sexti sæculi floruit, constructam fuisse fama defert: hæc tam in altitudine, quàm in latitudine ad sex palmos se extendit; quadraginta argenteis orbiculis anaglyphico opere elaboratis ornatur, in quorum singulis caput Viri diadematum, pectore tenus, expressum est, & ni fallor per istos Viros Rauennates demonstrari Episcopos puto, quoniam pallio insigni-

signitos esse obseruo, vt in figura sub A lit. A. maiori forma Vir expressus conspici potest. Dixi omnes Episcopos, cum tales ipsæ figuræ repræsentent. At S. Agnelli tempore, nisi triginta decesserant Episcopi, vt refert Vghellus; ideo crucem hanc posteriorem S. Agnello esse iudico. Ad hanc sententiam magis adducor ex Pallij forma, quæ antiquitùs sic erat: dextera pars Pallij â dextero descendens latere in pectoris medio reuoluta per sinistrum excurrebat humerum; altera verò eiusdem pallij pars, nempe sinistra, per sinistrum defluebat humerum: vt ex antiquis patet figuris. Successiuè Palliorum forma immutata fuit, nam pallium in duas diuidebatur partes, vt hodie, quarum vna in dextero, altera in sinistro reclinatur humero, ac per pectus descendentes, in ipsius pectoris medio vniuntur, vnicam tamen formando fasciam. In Crucis centro visitur Orbiculus ceteris maior, in quo Iesu Christi Ἀνάστασις scilicet Resurectio expressa est, cui Resurrectioni sub Anastasij nomine Ecclesia dedicata, â Grecę linguę ignaris putatur; Nam Vox Ἀνάστασις pro Anastasio interpetrata est.

In opposito Orbiculo, ac Crucis facie, cœlata conspicitur Beatissima Virgo, vt in eodem Orbiculo lit. B. signato ostenditur. Crux hæc in so- D lennibus diebus Populo spectanda exponitur propè maiorem Aram à cornu Euangelij. Eiusdem Crucis exemplum mihi communicauit R. P. Cesar Pronti, quem honoris, & grati animi causa hic nomino. Quòd eadem Crux Stationalis fuerit, nempe antiquitùs deferri solita in solennioribus Processionibus facilè conijci potest, ducto argumento â prima relata S. Ioannis Lateranensis, tam â magnitudine, quàm â materia, & ornatu. Hæc de Cruce dicta sint satis.

Superest modò quartam referre, quæ fortasse; si non Stationalis fuit saltem redolet, & ipsa antiquitatem, cum coæuam esse putem, cum illa in secundo loco relata S. Ioannis Lateranensis, ob quandam vniformitatem, quam cum illa præsefert: Habent B enim secula ritus, formasque suas. Supracitatus Mabillon in suo peculiari, ac erudito Tractatu de Re Diplomatica ostendit variorum seculorum varios fuisse characteres. Ego in meo opere Veterum monimentorum, par. I. demonstraui varia fuisse ædificia, illorumque varios fuisse ornatus: ipsaque etiam immutantur Idiomata, vt docuit Olaus Borrichius de varijs latinæ linguæ ætatibus, Et eruditis- C simus Du Cange in suis Glossarijs mediæ, & infimæ Latinitatis, & Grecitatis. Quare mirum non est, si etiam secula Crucium suas peculiares habuerint formas. Huius postremæ Crucis exemplar, quod in Tab. XIV. nu. 2. & 3. ostendo, mihi communicauit rerum antiquarum, ac historiæ naturalis, & Ciuilis Patrię suę solertissimus indagator, bonę memoriæ Baccius Ptolomeus Senator Florentinus, tunc asserens Prototypum asseruari in Sacrario Collegiatæ Ecclesiæ S. Martini Gangalandi Florentinæ Diœcesis: fama fert olim eandem extitisse Crucem in Ecclesia S. Michaelis ad montem Orlandum, quæ in præsenti eidem Collegiatæ vnita reperitur, in eaque Fratres S. Francisci de minori obseruantia Reformati nunc degunt, & à vulgo *S. Lucia della Lastra à signa*

TAB · X





TAB.XI.

pag. 48



TAB·XII·
1
2
3
4
5
OPISS · NICOLAI · DEGUAR DIA · ERELIS sMsCCCCLI
Scala Palmorum Romanorum 2
1
2




inprinci pio erat


fuit in die b' erodis







ego
sum
lux m
undi
via v
erit
as e
t vita



A



B



Scala palmorum 

Romanorum-2-

2

IC XC

3

IC XC

4

gna appellatur. In ipsius Crucis, ac figurarum in ea contentarum explicatione minimè immoror, cum notissimæ sint. Solummodò assero, quòd Christus Crucifixus, qui intra duas Cruces expressus est, ac num. 4. notatur, cernitur sub altero Crucifixo apposito in Crucis facie, vbi sunt quatuor Euangelistæ sub simbolis animalium; quare credibile est, quòd hæc Crucis pars fuerit posterior; anterior verò illa, vbi cernuntur Beatissima Virgo, & S. Ioannes Euangelista, ad quam pertinebat Crucifixi simulacrum, quod postmodum ab ignaro in aduersa parte collocatum fuit. Hanc meam coniecturam confirmat corona spinea in ea Crucis parte expressa, cui Saluatoris imago deest, quæ imago in postica parte Crucis collocata, tali caret Coronâ. Hæc de Stationalibus Crucibus dicta sufficiant.

CAPVT VII.

De Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani in Via sacra, siue in tribus foris, vel tribus fatis, siue in Silice, aut in foro Boario Vrbis, à Felice III. dicto IV. Beatissimo Pontifice Ann. 530. in eorundem Sanctorum honorem dicata.

NVllus ex Gentilibus Populis, tot numero admisit inanes Deos, quot Romanus, qui non solùm ex Albanensi, Sabinensi, Tuscaque finitimis, verùm etiam ex Greca, & Ægyptiaca longinquis nationibus, illos adoptauit. Quamobrem insignis ille Romæ Causidicus Minu-A cius felix, subtilis, & elegans scriptor Christianus, deorum Romanorum pluralitatem declarans -- vndique, „ ait, Hospites Deos quærunt, & „ suos faciunt, dum aras extruunt, & ignotis nominibus -- quorum numerũ supra triginta millia fuisse scribit M. Varro. Multæ adhuc in hac alma Vrbe templorum falsæ Religionis supersunt parietinæ, inter quas adhuc visitur, sed aliqua in parte illius facies B est immutata, templum rotundũ Deæ Romæ, siue ipsius fundatoris Romuli, aut alterius falsi Numinis, vt infra demonstrabitur, quod veluti propyleum Ecclesiæ SS. Cosmæ, & Damiani in foro Boario, nunc inseruit. De eodem fit mentio â Bibliothecario, in Vita Felicis IV. Hic, inquit--fecit Ba„ silicam in Vrbe Roma in loco, qui „ appellatur Via sacra, iuxta Templũ „ Vrbis Romæ -- At huic Bibliothe-C carij assertioni statim Alexander Donatus se opponit exclamãs, se assentiri minime posse, SS. Cosmæ, & Damiani Ecclesiam, iuxta templum Vrbis Romæ fuisse positam; cum huiusmodi Templum in Colle Palatino propè Arcum Titi, & non in depresso, & humili loco fuerit; rationesque, quas adducit, infra expendam. Audiamus interim Andream Fuluium, Romanarum antiquitatum in præterito D seculo solertem indagatorem. Is in lib. 5. pag. 82. sic fatur -- Ante om„ nia placet templum Romuli Con„ ditoris Vrbis describere, iuxta Viam „ sacram, & forum, quod Templum „ nunc sub Titulo SS. Martyrum „ Cosmæ, & Damiani colitur, qui„ bus Felix dedicauit, vt in templi „ abside, ex vermiculato opere, ap„ paret. Extant adhuc quædam ex

„ priscis ornamentis vestigia, marmoreæ incrustationes, quibus totum antea incrustatum erat. Et in primo aditu sphærica species, cum foramine lucis causâ, sicut in Pantheo; Est enim templum vetustissimum vt eius structura, & fornices ostendunt, vbi breuis porticus, & æreę portę, quæ antea signis, & ęreis ornamentis erant conspicuę.

Antiquę Vrbis aspectus iam â multis sęculis immutatus est, quare etiam Fuluij assertio difficultatibus minimè est expers; cum Romanarum rerum Scriptores inter se discrepent, cuinam inani Deo Templum hoc sacratum fuerit. Eorum propterea sententias recensere, haud incongruum fore duco, vt strictè examinetur dubium. Inter laudatos Scriptores primo se offert loco Martinus Polonus, qui Asili templum fuisse opinatus est; Raphael deinde Volaterranus Castoris, & Pollucis; Flauius Blondus, Fabritius Varanus, Franciscus Albertinus, Lucius Faunus, Aloysius, Contarenus, Pompeius Vgonius, Octauius Pancirolus, Alexander Donatus, & Florauantes Martinellus, omnes pręcitati Fuluij sequuntur sententiam, Romuli fuisse delubrum. Bartolomęus verò Marlianus, & Famianus Nardinus, non Romulo, sed eius germano Remo Templum hoc dicatum fuisse, iudicant; Romulique Templum retro Ecclesiam, nunc S. Marię Liberatricis ad Palatini radices erat, vbi nunc Ecclesia S. Theodori vulgò *Santo Toto.* Ad eruẽdam propterea è tenebris veritatem, in quibus, ob tantam Scriptorum varietatem, ipsa inuoluta manet, operę pretium est, Templi Romę situm, vbi nam fuerit examinare, quo reperto, cetera innotescent, veritasque nuda apparebit. Perpendamus ergo primo loco Antiquiorum Scriptorum dicta, postea ad illorum deueniemus trutinam. Dion igitur in Adriano -- Veneris ait, & Romę Templi descriptionem ad eum mittens (scilicet Apolodorum, insignem Architectum) quippe significans, sine illius operâ, & ministerio minime ingentia Ædificia extrui posse; quærebat an Ædificium illud rectè, & commode se haberet. Rescripsit de templo, sublime illud, & concauum fieri oportere, vt ex loco superiori in sacram vsque viam insignior prospectus esset, & magis conspicuus. Concauum ad excipiendas ludorum Machinas, quę in eo latenter compingi, & item ex occulto in Theatrum duci possent. De hoc eodem templo meminère magnus ille vir Aurelius Cassiodorus in Chronico, qui hęc: His *Consulibus*(nempe Pompeiano, & Attiliano) *Templum Romæ, & Veneris factum est, quod nunc Vrbis appellatur.* Eusebius verò eodem in chronico *Veneris* tantum nominat. P. Victor, & Spartianus, nec non Ammianus Marcellinus Vrbis templum, Forumque Pacis vocitant, Claudianus verò Poetarum gloriosissimus cecinit.

Elusæ Dominæ pergunt ad limina Romæ.

Et mox.

Conuenit ad tecta Deæ, quæ candida lucent.

Monte Palatino.

Hæc sunt Antiquiorũ Scriptorum dicta, è quibus Recentiores hausere. Redeamus modò ad supra memoratum

tum Donatum, qui strictè dubium A examinat, ac vltra superiùs allatas auctoritates asserit, Templi frontem sacram viam è superiori loco spectasse, ac eam ante templum ex eadem via cœpisse, nec non inde sublatũ gradibus eminentiorẽ fecisse Templi prospectum, cuius magnificentiam ostendit præcitatus Claudianus, quòd tecta candida lucebant, scilicet, Parijs alijsque marmoribus conuestita; commendabatur enim inter ma- B gnificas Cæsarum moles. Vnde Ammianus post Capitolium, & Pantheon memoratu dignum putauit. Et quia quærebatur ab Adriano simul Veneris, & Romæ, quasi parentis, & sobolis cultus; ideo Ædem magnificentiorem, & pulchriorem ab illo factam credidit Donatus, Tectumque tegulis æneis instructum fuisse, quæ ad Templum S. Petri ab Honorio I. Papa translatæ fuère: Vlterius C idem Donatus Prudentij carmina lib. I. contra Symmacum perpendit.

Atque Vrbis, Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur Thura Beatis.

Quæ duo Templa indicare videntur. Dubitat tamen Donatus, licentiâ poeticâ Prudentium vsum D fuisse, rei veritatem vltra mòdum exaggerando, quæ purâ historiâ illustranda erat. Propterea significare voluisse, vt quemadmodum in TemploCapitolino tria sacella posita erant, Ioui, Iunoni, & Mineruæ: Ita hoc templum communi ambitu, tectoque, pares duas Ædiculas Veneris, ac Romæ comprehenderet. Inter nummos æreos Antonini vnum esse, cum effigie Templi pulcherrimâ, inscriptũ: *Aeternæ Romæ*, credibile censeo, & Templũ esse ab Adriano Patre extructum, ab Antonino in Imperium ascito, fuisse aliquâ parte refectum, aut perfectum. Hæc Donatus de Vrbis templo. Pergamus nunc vlterius, nec non audiamus Nardinum, qui etiam accuratissimè quæstionem perpendit. Is enim censet, Veneris, & Romæ duo Templa simul iuncta fuisse, sub vno tantùm nomine, â Dione expressa; huius ædificij causa, Colossum Neronis à propria sede remotum, ex quo arguit, iuxta finem sacræ viæ, non longè ab Amphitheatro fuisse, eò magis, quia Ludorum machinæ, quæ in Amphitheatrum introducebantur, iuxta supra citati Apollidori sententiam, ex hoc loco duci, atque illuc reduci debebant. Quare pro certo habet duas tribunas vnitas, quæ in hortis S. Mariæ Nouæ adhuc extant, Veneris, & Romæ Templi esse reliquias: Malè autem existimasse Fuluium Ædem hanc Isidis, & Serapidis fuisse templum, cum illud fuerit in Regione quarta. Marlianus verò opinatur Solis, & Lunæ delubrum fuisse à Tatio constructum, sed absque vlla probabilitate talem indicat situm: è contra templum, siue templa Veneris, & Romæ, Ammiani testimonio, Orsmidam Persam in mirum stuporem traxerunt, atque adeo inter quinque, aut sex celebriora Vrbis Ædificia, ab Orsmida connumerata fuere.

De Templo quodam Romæ, Constantino imperante, ædificato; Sextum scripsisse Aurelium in libro de Cæsaribus; vbi etiam Constantini

memorans Basilicam, quæ in quarta regione sita erat, indicat Templum ab Hadriano constructum, & postea restauratum, aut reædificatum, & forsitan etiam ampliatum, Basilicamque non longè fuisse distantem, sed veritas, vt se habeat, se nescire fatetur[r]; sufficiat sibi auctoritatem allegasse, nempe. *Adhuc cuncta opera, quæ magnificè construxerat Vrbis Fanum, atque Basilicam Flauij meritis Patres sacrauere.*

Idem notat eruditissimus[r] Vallesius, in notis ad caput XI. Ammiani Marcellini. *Templũ hoc cùm incendio consumptum fuisset Maxentij Augusti temporibus, à Maxentio restauratum sub Constantini Magni titulo dedicatum esse ex S. C.*

Si rationes omnes â Nardino allatas recensere vellem, nimis â commendabili recederem breuitate; satis has indicâsse sit, cùm alia apud laudatum Nardinum pe legi queant. Nunc ad meam indicandam deuenio sententiam, quam tamen meram fateor coniecturam, vt si fieri potest, hę Auctorum concilientur diffidentię, veritasque tandem in lucem nuda, puraque prodeat. Meum igitur iudicium est, hanc structuram duo composuisse coniuncta templa, alterum, quod in ingressu rotundum est Romæ, alterum verò oblongum Veneri dicata fuisse, vt ex omnium Christianorum Poetarum prudentissimi, & eruditissimi Prudentij carminibus, si attentè legantur, clarè colligi potest. Sic diuinus iste Poeta cecinit lib. 5. contra Symmachum pag. mihi 1044.

Laurigerosque Deum templis adstare ministros,
A *Ac sacram resonare viam mugitibus ante*
Delubrum Romæ (colitur nam sanguine, & ipsa
More Deæ, nomenque loci, ceu Numen, habetur
Atque Vrbis, Venerisque pari se culmine tollunt
Templa: simul geminis adolentur Thura Deabus)
Vera ratus, quæcunque fiant auctore Senatu,
B *Contulit ad simulacra fidem, dominosque putauit.*
Aeteris horrifico, qui stant ex ordine, vultu.
Illic Alcides, spoliatis Gadibus hospes
Arcadiæ fuluo aere riget: gemini quoque fratres
Corrupta de matre nothi Ledeia proles,
Nocturnique equites, celsæ duo Numina Romæ
C *Impendent, retinetque veri, magnique triumphi*
Nuntia suffuso figunt vestigia Plumbo;
Assistunt etiam priscorum insignia Regum.
Tros Italus, Ianusque bifrons, genitorque Sabinus,
Saturnusque Senex, maculoso & corpore Picus,
D *Coniugis epotum sparsus per membra venenum.*
Omnibus ante pedes posita est sua cuique vetusta
Arula. Iano etiam celebri de mense litatur
Auspicijs, epulisque sacris: quas inueterato,
Heu, miseri sub honore agitant, & gaudia ducunt

Festa

Festa Kalendarum:

Prudentius ergo hęc describens templa, non solùm Romam, & Venerem, quibus dicata fuere, in ea coli indicat; verùm etiam Castorem, & Pollucem, aliosque falsos Deos, inter quos forsitan commemorabantur Romulus, & Remus, siue Quirinus. Hęc templa vocat Delubrum, ad indicandum, quòd pluribus Dijs sacrata erant, vt ostendit Vossius in suo Etimologicon hac eadem voce. Quamobrem illos, qui in honorem Romæ, & Castoris, ac Pollucis, nec non Romuli, & Remi erecta fuisse asseruerunt, minimè errasse puto. Sententiarum etiam concordatur dissidentia inter Donatum, & Nardinum. Ille vult vnicum tantum fuisse ędificium; iste duo, ergo vnum, & duo asseri possunt; cùm ambo inter se ita adhereant, vt vnicum tantũ denominari valeant; quoniam Romę templum, quod est rotundum, veluti vestibuli, siue propylęi, alteri Veneri inseruit. Donatus censet Romę templum fuisse iuxta Arcum Titi in Colle Palatino arguens hoc ex pręcitatis Claudiani carminibus.

Conueniunt ad Tecta Deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino.

Claudianus igitur per Synedochem loquens accepit partem pro toto, & describens candida tecta, quę lucerent monte Palatino, voluit per hoc, ni fallor, intelligere, quòd marmorum incrustationes, quibus intus, & foris ornatum erat, suos emitterent splendores in oppositum montem Palatinum; vel tecta, ab ęneis tegulis speculorum instar radios reflecterent; non autem quòd templum eodem in monte situm; cùm in isto monte, tantummodo Imperiale extitisset Palatium; aliæque si aderant moles, ad eius radices extollebantur. Ergo malè opinatus est Donatus: Quod templum intus, & foris marmoribus opertum esset, deducitur ex signis, quæ foris apparent, ac ex testimonio Flaminij Vaccæ præteriti sæculi Scriptoris, in sua epistola M.M. ad Simmonettum Anastasij: vbi se vidisse, asserit, decerpere è muro, veteris Romæ ichnographiam, in marmore incisam, quæ sectorij muro inseruiebat; & si integra reperta fuisset, omnem dubitandi quæstionem de vero Basilicæ situ diremisset. At rerum antiquarum eruditissimus Ioannes Petrus Bellori in suis notis ad fragmenta vestigij veteris Romæ scribit; Seuerum Imperatorem in Romuli tẽplo instaurando in ipsius pauimento lapideas tabulas collocasse. Ego igitur huic Bellori assentior sententię, quia concordare videtur cum Pompeio Vgonio scribente, exiguam pauimenti partem, suo tempore marmoreis tabulis stratam reperiri, quas tabulas, antequam præcitatus Bellori illarum exemplar imprimi curasset, vidi mea florente ætate cum Ioanne Lucio à me aliàs laudato in Farnesiano Palatio, ac illas potius pauimento, quàm murorum tectorio inseruisse existimo.

Perpendamus vlterius singula Dionis dicta, vt magis assertionem meam fulcire valeam. Is enim Adriano rescripsit, quòd templum sublime, & concauum fieri oporteret, vt ex

vt ex loco superiori in sacram viam A insignior prospectus esset, & magis conspicuus; concauus autem ad excipiendas ludorum machinas, quæ in eo latenter compingi, & item ex occulto in Theatrum duci possent. Quòd in hoc â nobis assignato rotundo templo compingerentur machinæ, conijcitur ex duobus magnis arcubus in eodem templo extantibus, qui extrinsecùs visuntur, quorum latitudo palmorum 20. B ac inter se oppositi sunt, quorum vnus Amphiteatrum, alter verò Capitolium respiciunt, qui portarum loco inseruiebant, ac tantæ latitudinis factos fuisse existimo, vt per eos constructis machinis facilior pateret exitus. Si ludi in Amphiteatro fiebant, machinæ ex arcu in Amphiteatrum respiciente educebantur, & reducebantur; Si vero in Circo maximo ludi celebrabantur, eædem machinæ C ex alio arcu Capitolinę arci opposito, similiter educebantur, & reducebantur. Eorundem arcuum Orthographiam refert laudatus Donatus ad pag. 235. & 230. vbi Lector suæ curiositati indulgere poterit. Obseruo etiam, quòd huiusmodi arcuum latitudo proportionem habet cum latitudine alterius Arcus Amphiteatri, qui è fronte, eiusque summitate signatus erat numero LVIII. cum quilibet D arcus suum haberet numerum. Dixi, quòd erat signatus numero, quoniam Arcus, vbi numerus insculptus erat, dirutus fuit, remanet tamen interior superstes exteriori respondens; Huiusmodi Arcus, non solùm alios latitudine trium palmorum excedit; verum etiam in basi Arcus, siuè illius initio mutilatus est, cuius mutilationis causam pro certo habeo illam fuisse: nempe, vt ipse arcus ad excipiendas machinas per eum transituras ampliorem aditum panderet. Veritas hæc etiam colligitur ex alijs ceteris collateralibus Arcubus, qui non solùm medio, verùm etiam omnibus alijs Arcubus minores sunt, suamque latitudinem eidem medio communicarunt. Cùm igitur sæpè memoratus arcus descriptas haberet qualitates, ac è fronte alterius Arcus templi Romæ situs esset; ex hoc, ipsius templi certitudinem arguo, quoniam vt ex Dionis auctoritate dictum fuit, in eo compingebantur machinæ, ac ex eodem in Amphitheatrum introducebantur, nec non in eundem reducebantur. Insuper pro descripti templi identitate, murorum constructiones obseruo; facies enim Ecclesię SS. Cosmæ, & Damiani, quæ lateritia est, quinque magnas habet fenestras, vnde primo Imperij sæculo constructam fuisse iudico. Muri verò laterales ex magnis, ac quadratis lapidibus Gabinis compacti, Romanorum Regum tempora indicant, vt in cap. 8. Primae Par. mei operis Vet. Monim. ac Tab. 26. demonstraui. Perpendo vlteriùs Bibliothecarium; qui in Honorij I. vita asserit; dictam Pontificem Basilicæ S. Petri tectum, ex tegulis æneis detractis è Templo Romæ cooperuisse. Ex hac assertione conijcio, non solùm ipsius Romæ, sed etiam Veneris templum similibus tegulis fuisse obductum, cum illæ, huiusmodi parui, rotundique templi pro cooperiendo toto Vaticanę Basilicæ tecto satis haud fuissent: Ex hac igitur coniectura alia ratio resultat: nempe Nardini opinionem minimè sub-

sistere

sistere; pace tanti Viri dictum sit existimantis, Romæ, & Veneris Templa illa fuisse, quorum vestigia adhuc in hortis S.Mariæ Nouæ obseruantur, quia ob illorum paruitatem non poterant tantum tegularum continere numerum, qui satis esset pro tecto eiusdem Basilicæ. Non subsistit insuper Nardini opinio, quia si machinæ in templo Romæ compingebantur, & huius falsæ Deitatis templum fuisset, vbi sunt relata vestigia, non poterant, ex istis templis in Amphitheatrum machinæ deduci, quoniam si istorum vestigiorum pauimenti planities cum planitie Amphitheatri comparetur, illius discrepantia esset quadraginta, & vltra palmorum, vnde considerata Amphitheatri planitie, ac eorundem Vestigiorum altitudine ad illam ascendi haud poterat nisi per gradus. Autumo propterea, illa duo vestigia Solis, & Lunæ templa indicare, cum in sublimiori loco posita sint, qui eisdem Luminaribus conuenire videtur; tum etiam propter illorum cohærentiam, nec non ædificij ornatus disparitatem, in quo antiqui Architecti præcipuam adhibebant curam; cum singulis suis Dijs secundùm eorundem sublimitatis gradum, ita eisdem in ædificijs obseruabant Architecturæ regulam, quam ordinem denominabant, videlicet, Vni Doricum, alteri Ionicum, alteri Corinthium attribuerunt, vt Vitruuij, aliorumque Architectorum auctoritate in nostro opere de Veteribus monimentis parte I. cap. I. satis ostendimus. Additur etiam ambobus istis ædificijs ipsorum aspectuum ad Coeli partes obseruatio, cum vnum orientem, alterum verò Occidentem respiciant, quæ Coeli positiones eisdem magnis Luminaribus præcipuè competunt.

Opinio insuper illorum etiam corruit, qui existimarunt hęc Templa Castori, & Polluci fuisse dicata; quia cùm isti Romani fratres essent, ęqualia Templa, ęquales ornatus etiam eis competebant, at contrarium visitur, ergo videntur pro alijs Numinibus fuisse ędificata.

Eorundem Geminorum fratrum mentio, nobis dignam Vgonis obseruationem suggerit; nempe Romanos Pontifices in Templorum expiatione ab omni profanę Gentilitatis labe, illorumque dedicatione in alicuius Sancti honorem vt plurimum consueuisse quandam habere regulam, vt ij Sancti, qui in Idolorum deturbatorum locum substituebantur, exteriorem haberent vniformitatem. Id visum esse repręsentandi Fidelium animis, veterum repugnantiam, & differentiam. Ita Idolorum delẽdo memoriã aliam similem Sanctorum subrogabant. Alienabant enim tenellorũ Christianorum mentes ab omni amore erga antiquam superstitionem, ac blandis medijs ad nostros colendos Sanctos alliciebant. Hanc similitudinem aliquando obseruarunt in nominibus, vnde scimus, Apollinis templũ S. Apollinaris in honorem dicatum fuisse. Illud Martis in S. Martinę, Illud Adriani in S. Hadriani Martyris. Aliquando ad sessus similitudinem prospexerunt. Sic exempli gratiâ: Dianę, in S. Sabinę. Illud Herculis, in Sancti Stephani honorem commutarunt. Quandoq; etiam ad alias vniformes proprietates animaduersio habita fuit, quę proprietates innumerę esse

esse possunt. Vtpote illud allati Mercurij, qui à Græcis Angelus denominabatur, Diuo Michaeli Archangelo dicarunt. Illud Carmentæ Latinarum literarum Inventrici, Sapienti Virgini Catherinæ. Aliud Dianæ, quam Ethnici Virginem credidere, castissimo Ioanni Euangelistę. Ac ommittẽdo innumera alia exempla, quæ afferri possunt. Sanctus Felix Papa, huius nominis III. ac vt, alij volunt, IV. intendens hanc consecrare Ecclesiam olim Geminis fratribus Romulo, & Remo, siue Castori, & Polluci dicatam, inter Martyrum cœtus, alios selegit geminos fratres, non solùm in vno partu in hac mortali vita natos; sed etiam simul cum Martyrio ad Cœlestem lucem renatos. De huiusmodi Ecclesiæ dedicatione ab eodem Pontifice facta meminit Bibliothecarius in illius vita. *Nempe hic fecit Basilicam SS. Cosmæ, & Damiani in Vrbe Romæ, in loco, qui appellatur via Sacra, iuxta Templum Vrbis Romæ.* Floruit Felix Pontifex anno Christi 326. At vox *fecit* hic pro dedicauit accipienda est. Cùm in hoc sensu, apud Bibliothecarium sæpè intelligenda veniat, vt demonstrauimus in nostro opere de veteribus monimentis parte 1. cap. 27. Diximus huc vsque de templi identitate Romæ, & Veneris, quod in Ecclesiam SS. Cosmæ, & Damiani transijt, modo de illius denominatione aliquid narrandum esse, censeo.

Ecclesia hęc antiquitus SS. Cosmæ, & Damiani in Via sacra appellabatur; postea in tribus foris, & corruptè in tribus fatis â tribus nempe foris Cæsaris, Augusti, & Neruæ. Dicta etiam fuit in silice, vt ex quadam inscriptione apparet; quæ in proxima Ecclesia SS. Lucæ, & Martinæ est, quam refert Torrigius pag. 119. non quia eius parietes constarent ex siliceo lapide, cum sint ex Gabino, ac inter lapidem Gabinum, & silicem magna intercedat differentia; at denominata fuit in silice, quia prope eam altera aderat Ecclesia in honorem SS. Apostolorum Petri, & Pauli dicata; quam Bibliothecarius in vita S. Pauli in via sacra fuisse scribit. In ipsa enim Ecclesia lapis siliceus erat, in quo ipsorum Apostolorum genua impressa apparebant in genuflexionis memoriam, quando ipsi Deum omnium Creatorem contra Simonem Magum orarunt, quique lapis ad præsens visitur in Ecclesia S. Mariæ Nouæ ad dexteram Tribunę sub magna fenestra muro infixus. De hoc lapide meminit Gregorius Turonensis de glor: Mart: c. 28. suo tempore fuisse, sic inquiens: *Extant hodie apud Vrbem Romam duæ in lapide fossulæ, sub quem Beati Apostoli deflexo poplite orationem contra ipsum Simonem Magum ad Dominum effuderunt. In quibus, cum de pluuijs limphæ collatæ fuerint, à morbidis expetuntur, haustæque mox sanitatem tribuunt.* Historia hæc fusè à Baronio ad Annum 68. nu. 14. & seqq. describitur.

Explicatis etiam istius nostræ Ecclesiæ denominationibus modò superest de illius prærogatiuis aliquid enarrare, antequam ad musiui operis explicationem deueniamus. Sæpè laudatus Bibliothecarius in Hadriani I. vita scribit, ipsum Pontificem hanc restauràsse Ecclesiam, Diaconiasque constituisse, *in quibus multa bona fecisse*

cisse per suam sempiternam memoriam concedens eis agros, vineas, olivueta, seruos, ancillas, & peculia diuersa, atque res mobiles, vt de redditu eorum, crebris exactionibus Diaconiæ proficientes, pauperes Christi reficerentur.

Benedictus Canonicus S. Petri in suo rituale Dominicæ in Albis ritus describens: Mane, ait, statio ad S. Pancratium, ad Vesperum debet esse Dominus Pontifex ad SS. Cosmum, & Damianum cum omnibus scholis, ibique honorificè cantare vesperas, sicut in die Sancti Paschatis, & habere cœnam de Ecclesia, & omnes ordines Palatij, vt panem, & vinum, lacteas & lactucas: Sub silentio pretereundum esse minimè puto Ecclesiam hanc à S. mem. Vrbano VIII. in nobiliorem, splendidioremque formam restitutam fuisse, cùm depressa iaceret, fornicem propterea nouam, ab antiquo pauimento in altitudinem viginti, & vltra palmorum distantem construxit, ita vt hodie in ingressu ascendatur, cùm antea per non nullos descenderetur gradus; modò inferior pars occurrit, in qua adhuc Altarium vestigia, aliaque digna monumenta cernuntur, inter quæ, antiquissimum est Altare Beatissimæ Virgini dicatum, cum duabus columnis, ac epistilio, & corona, nec non sub ipso epistilio anuli sunt ferrei, e quibus vela pendebant, quorum sæpe meminit laudatus Bibliothecarius, & de quibus nos egimus in prima nostra parte Veter. Monim. cap. 7.

Propè hoc Altare Beatissimæ Virginis sunt aliqui gradus, & visitur quædam parua, ex marmore mensa, de qua pia est traditio, olim fuisse Altare, in quo S. Felix PP. sacra celebrabat Mysteria. Hac in eadem subterranea Ecclesia, antiquissimum etiam cernitur monumentum nobilissimæ Crescentiæ familiæ, quæ in hac Romana Vrbe per multa sæcula floruit, & floret, cum ab ea diuersi prodierint Purpurati, quorum postremus fuit bo: me: Alexander Crescentius, cuius cineres adhuc veneror, ob peculiarem amorem, quem viuendo semper ostendit, vt studia promouerentur, Meque pluries ad illa extollenda incitauit, Academiamque Phisicomathematicam, quæ in mea domo habetur, sua præsentia pluries condecorauit. Hę sunt peculiares huius Familię dotes, quæ Viros Virtutis amantes non solùm dilexit; verùm etiam pauperibus subuenit, etiam in propiam illos recipiendo domum, necessariaque subministrando, donec propitiam adinuenirent fortunam. Hęc grati animi causâ in huius familię laudem, tenui hoc meo calamo, exarare duxi. Sed vt magis illius antiqua nobilitas appareat, hìc per pulchram inscriptionem in antiquo marmore, barbaro, abbreuiatoque charactere insculptam, referre placet.

Quisquis ab occasu properas, hùc quisquis ab ortu,
Axe vel à gelido, siue calente polo:
Flecte precor geminos carmen lecturus ocellos,
Sortis & humanę, flebilis esto memor.
Es quod amice fuit tumulo, qui clauditur isto,
Nunc cinis, & puluis, quodque futurus eris.
Hei mihi non vero Crescentius omine dictus

Stamina cum neſſet ſors breuiora ſibi
Vngue ſed â tenero pietatis vomere ſulcos
Excoluit, mentis ſemina grata ferens
Hoſpitibus tectum, nudis largitus amictum,
Eſuriem dapibus expulit, amne ſitim.
Sed cum terdenis ſubijt, ſex qui altera ariſtis,
Quod terræ eſt liquit ſumere certus idem.
Sic tibi, ſic cunctis poſt mortem talia reddant,
Carmen in hoc tumulo, quiſquis amice legis.
Dic rogo, dic lacrymis pietatis clauſulæ, *Ieſu*
Parce tuo famulo ypſiuremeta pie.

Vocem hanc *ypſiuremeta* altitonantem interpretat Baronius ad Annum 996. num. 10. vbi præfatam refert inſcriptionem, Schiſmaque narrat inter Gregorium V. & Ioannem XVII. Antipapam, quod Creſcentius Nomentanus promouit; ex quo credit, nobiliſſimam Creſcentiorum familiam ſuam ducere originem, cuius ſententiæ lubentiſſimè ſubſcribo. Modò ad ſuperiorem Eccleſiam, vnde diſceſſimus, redeamus, illiuſque antiquiſſimam obſeruemus Tribunam, quæ muſiuo opere ornata renidet, ſicut etiam eiuſdem facies, ſiue arcus, cuius in ſummitate, ſiue medio vt in Tab. XV. orbicularis figura eſt, in qua expreſſus cernitur Agnus, veluti in gemmato iacens Trono ac poſt Agnum Crux emicat; in inferiori Troni parte liber ſemiapertus, vel quid ſimile eſt. Item quatuor ad dexteram, ac tria ad ſiniſtram, ad aſpicientem habitu reſpectu, candelabra ſunt, itidemque in vtroque latere,

A duo ſunt Angeli tunicis albis, pallijſque veſtiti; ad dexteram eſt Aquila alis expanſis, librumque perferens; ad ſiniſtram viſitur Angelus, librum gemmatum etiam detinens: ſub iſtis figuris quædam apparent aliarum imaginum reliquiæ duæ, nempe manus duæ tenentes eleuatas coronas. Quamobrem ſi conſiderentur figuræ in iſto arcu expreſſæ, ex illis, arcum eundem minimè integrum, ſed mutilatum

B eſſe conijcitur. Nam duo alij deficiunt Euangeliſtæ ſub forma animalium delineati. Item viginti quatuor deſunt ſeniores, duodecim videlicet pro vtraque parte, vt in arcu Eccleſiæ S. Pauli, de quo fati ſumus in noſtro opere Vet. Monim. parte I. cap. 24. & in Arcu S. Praxedis, ac S. Cæciliæ, quos infra exponemus, expreſſi conſpiciuntur. Conſueuere noſtri antiqui Patres in Templorum

C ornatibus non feras, non profanas hiſtorias, neque fabulas repræſentare, vt cæci faciebant Gentiles, noſque oſtendimus in dicto noſtro opere Vet. Monim. cap. 7. ſed ex ſacræ Scripturæ textu aliquid depromere; præſertim â B. Ioannis Euangeliſtæ Apocalypſi, vt in eodem opere. cap. 24. narrauimus, ac in præſenti, & nonnullis alijs infra referendis figuris apparebit.

D Agnus igitur ſic iacens, illum repræſentat Agnum, de quo in Apocal. cap. 5. num. 6. *& vidi, & ecce in medio troni, & quatuor Animalium, & in medio ſeniorum Agnum ſtantem, tanquam occiſum.* Myſticus huius hieroglyphici ſenſus apertus eſt; cum Chriſtum in Agni ſpecie â Priſcis fidelibus appingendi mos fuit; præſertim iuxta crucem, quem morem

TAB. XV



pag. 58



rem adhuc seruamus. Vnde S. Paulinus Ep. 12.

Sub Cruce Sanguinea niueo stat
Christus in Agno,
Agnus vt innocua in iusto datus
hostia letho

De Christo sub specie Agni, plura habes apud Aringhum in sua Roma subter. lib. 6. cap. 2. Tom. 2.

Septem vero candelabra in hoc musiuo opere appicta septem illa candelabra in cap. 1. num. 12. eiusdem Apocal. enunciata indicantur, vbi sic: *& conuersus vidi septem candelabra aurea*. Qualis autem istorum candelabrorum sit mysticus sensus, sic eundem explanat Ambrosius Ansbertus in eodem Apocalipsis loco, vbi hęc: „ Et quid per septem candelabra aurea, nisi apertissimè ipsa septiformis Ecclesia designatur, in cuius medio similis filio hominis apparuisse describitur, Dominus videlicet Iesus Christus, qui natus ex Virgine, sæpè se ipsum filium hominis vocauit &c. & infra: rectè quoq; septiformis Ecclesia, in septē aureis designatur Candelabris, in quibus, & septiformis Spiritus Sancti operatio, per numerum, & æternæ Sapientiæ claritas per aurum figuratur. Non solùm autem, sed etiā effectus Candelabrorum, longanimitatem Ecclesiæ inter mundi pressuras demonstrare videtur. Sicut itaque aurum per ignem probatū percussionibus productum candelabrum efficitur: sic Sanctorum Ecclesia igne tribulationis ad purum excocta, tentationum ictibus in longanimitatem extenta consummatur.

Angeli etiam quatuor hìc expressi ad eandem Apocalypsim relationem habent; nam in præcitato Cap. 5. num. 11. legimus -- Et vidi, & „ audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in Cœlo est, & super terram, & sub terra, & in mari, & quæ sunt in eo &c.

Locum hunc vberrimè præfatus Ansbertus declarat, ad quem breuitatis gratia benignum remitto Lectorem, cum satis hìc sit, eundem indicasse Ansbertum, de quo tamen hæc breuissimè tantùm, ne ieiunius ipse Lector remaneat, delibamus -- licèt „ Angelorum cælestis militia propriè possit vnito laudis præconio, cum animalibus, & senioribus de tanto nostræ Redemptionis munere congratulando ista conijcere, si tamen possibilitas admittit, vel saltem Angelorum vocabulum, in hac reuelatione, iuxta literam accipiamus. Non enim dubium, quòd de reparatione generis humani ipsi quoque Angelici Spiritus in lætitiam fuerint conuersi, qui pridem homines à suo consortio deputabant extraneos. Quare figuras inter se mysteriorum cohærentiam habere dignoscimus; Idem etiam dicendum de senioribus, qui sub hisce expressi extabant imaginibus, de quibus Senioribus etiam in cap. 4. citatę Apocalypsis habetur mentio: deque huius sacri mysterij explicatione, aliqua notauimus in cap. 24. sepè citati no-

ſtri operis Vet. Monim. parte 1. & A infra etiam dicturi ſumus, quando de alijs Eccleſijs, vbi ſimiles viſuntur Seniores, agemus.

In Arcus faſtigio, ac facie, quæ pauimentum reſpicit, erat monogramma, ☧ quod delapſum, in noua reparatione, omiſſum fuit; vtpote etiam in Tribuna ſupra Saluatoris caput erat corona cum Cruce, ac in pede Crucis gemma, quam coronam inviſibilis hominis, ſiue potius B Angeli manus tenebat. Hanc in annexa tabula XVI. delineare fecimus; licèt minimè adſit, cum illius loco ouale foramen apertum fuerit, ad luminis claritatem introducendam; eiuſdem coronæ formam nobis communicauit quondam Narciſus Spina Muſiuarius, qui antequam eadem dirueretur, illam delineauit, ex vtraque manus parte coronam ſtrictam tenentis lemniſcus volitat. Subtus coronam C Saluatoris Noſtri D. IESV Chriſti ſtantis imago inter nubes veluti ad Cœlos aſcenſuri cernitur. Chriſtus dalmatica rubri coloris, pallioque albi etiam coloris, veſtitus eſt, in cuius pallij limbo, ſeu ora eſt monogramma T, brachium eleuatum, quaſi in benedicendi actu erigit, ſiniſtrâ tenet volumen, ſandaliaque in pedibus geſtat. Quare Muſiuarius hoc emblemate, Chriſtum aſcendentem in Cœ- D lum, nec non â ſupremo Patre corona victoriæ redimitum, quam ſibi per paſſionem, & mortem promeruerat, indicare voluit: forſan ducto exemplo ab Imperatorum triumphantium imaginibus, qui ab alata Victoria, laurea corona, præcingi conſpiciuntur, vt ſpectatur adhuc hìc Romę in marmoreo arcu Titi, inter Forum, & Amphitheatrum. Non abſimilem coronam refert Baronius ad An. 351. num. 7. aſſeruari in Muſeo Lelij Paſqualini poſtea bo. me: Cardinalis Boncompagni, in qua corona, loco gemmatę Crucis eſt monogramma ☧

Ad Saluatoris dexteram ſtat quidam Vir ſimili formâ, vt Chriſtus veſtitus, qui in pallij limbo ſignum I. habet, & ſiniſtram eleuatam tenet, quaſi alteri viro ei coniuncto proximũ Chriſtum indicare volens; dexteraque eundem Virum ad gradiendum incitans. Primum Virum B. Paulum Tunica, pallioque albi coloris veſtitum eſſe iudico; ſecundum verò S. Coſmam, qui tunica ſubalba, pallioque ſubrubro indutus, manibus coronam floribus conſitam præfert, quam nihil aliud oſtendere puto, niſi panis illius oblationem, quam Priſci fideles in ſacrificij actu faciebant; quæ oblatio, corona denominabatur, fortaſſe à florum corona, qua ipſi fideles eam ornabant. Crura, pedeſque veſtitos habet, ad Apoſtolorum differentiam, qui tantum geſtabant ſandalia, vt expoſuimus in noſtro opere Vet. Mon. par. 1. cap. 2. Poſt hanc ſequitur tertia figura, quæ Pontificem Felicem III. ſiue IV. huius Eccleſiæ fundatorem deſignat, tunica, caſulaque induta eſt, ac ſuper caſulam, Pontificale habet pallium, Eccleſiamque manibus præfert, quæ fundationis, vel dedicationis ipſius met Eccleſiæ ſignum eſt, vt clariùs ex alijs ſimilibus infra exponendis figuris eluceſcet. De hac imagine Pompeius Vgonius in ſua hiſtoria Stationum Eccleſiarum Vrbis narrat, quod Gregorij XIII. tempore, ob nimiam vetuſtatem iam ipſa euanuerat; quare lacunar ad inſtar vermiculati

XVI



SANC
FELIX PAPA
HIERV SALEM
BETH LLEM
EDIGNVM
RCEPOLI
ISRADIAT SPECIOSA METALLIS
PLVS
LVX PRETIOSA MICAT
MARTYRIBV
VENITETE

pag. 60


TAB XVI
FELIX PAPA

lati operis pictura suppletum fuit, A Pontificis tamen immutata facie, de Felice in Gregorium Magnum; quæ postmodum, musiuo opere, Alexandri VII. tempore, studio, & cura gloriosæ semper memoriæ Francisci Cardinalis Barberini antiquitatum amantissimi restaurata fuit, restituta Felicis Pontificis facie. Ab huius figuræ tergo arbor Palmæ videtur, quæ etiam ab antiquis fidelibus in picturis, sæpè exprimi solebat, de quo ritu, eiusque B signo plura dixi in meo opere de Sacris Ædificijs â Constantino Magno constructis Cap. 10. ideo calamum suspendo.

Propè huius Arboris verticem cernitur Auis, è cuius capite veluti splendores erumpunt, vel caput ipsum stellæ medio inpositum tenet. Quid Auis, quidque splendores, siue stella significent; in illorum explicatione diu anceps fui; tandem post cogita- C tiones varias mea in mente reuolui, Auem istam, Phænicem illam à tot Scriptoribus pro vnica, & immortali decantatam significare posse; atque coniecturam hanc meam elijcio ex Constantis nummo, à Iacobo Oiselio Tabula LVIII. num. V. relato, vbi Phœnix, radiato capite, globo stellato insistens, cum sole iuxta splendente, ac epigraphe: *Felicium temporum reparatio*. Cuius hieroglyphi- D ci explanationem Oiselius desumit ex Oro Apolline lib. II. hieroglyph. cap. LIV. vbi: Ἀποκατάστασιν δὲ πολυχρόνιον βουλόμενοι σημῆναι, φοίνικα τὸ ὄρνεον ζωγραφοῦσιν. *Instaurationem autem diuturnam, & quæ post multa fiat secula, volentes indicare Phænicem auem pingunt*. Puto igitur, quòd Pictor tum animaduertisset relatum nummum, qui tunc per manus adhuc versabatur, quoniam centum octoginta circiter ante annos cussus fuerat, in illoque Epigraphem insculptam esse: *Felicium temporum reparatio*; hoc idem hieroglyphicum applicari posse iudicauit ad illam felicium temporum reparationem, in qua Genus humanum per Christi Domini nostri aduentum, illiusque passionem, ab æterna damnatione reparatum, scilicet redemptum fuit. Audiamus propterea, quid in proposito themate differit Christianus ille Appuleius S. Zeno Episcopus Veronensis in sermone de Resurrectione, qui sic ibi fatur: Phœnix auis illa
,, pretiosa resurrectionis euidenter
,, nos edocet iura: quæ nobilitatem
,, generis sui, non à parentibus acci-
,, pit; non liberis tradit: ipsa est, sibi
,, vterque sexus: ipsa omnis affectus:
,, ipsa genus: ipsa finis: ipsa princi-
,, pium: non ex coitu nascitur, nec
,, officio alieno nutritur, non inuita,
,, non imprudens moritur; sed cum
,, maturum leti tempus aduenerit,
,, à semet ipsa excitatis sacris ignibus
,, libentissimè concrematur; sepul-
,, crum nidus est, illi fauillæ nutri-
,, ces: cinis propagandi corporis se-
,, men; mors natalis dies. Denique
,, post momentum festo exultat in
,, tumulo, non vmbra sed veritas,
,, non imago, sed Phœnix, non alia,
,, sed quamuis melior alia, tamen
,, prior ipsa.

Ex relatis igitur de hoc musiuo hieroglyphico lucem aliquam desumi posse opinor. Si metam attigerim, tu videris Lector, nam fateor me OEdipum non esse, sed ne ieiunus remaneres, in tui gratiam illius tentaui explicatio-

cationem. Non absimilem Auem infra cap. XXV. videbis in Tribuna Ecclesiæ S. Praxedis. Et hæc de præfato hieroglyphico: Modo ad alteram partem, nempè ad læuam accedo.

In hac igitur parte apparet Vir cum capillitio in coronæ formam, barbaque rotunda, nec non sandalijs, dexteram eleuatam, ac sinistram super socij sinistrum humerum, tenens, eundem alloquens, quasi dicens: pergamus ad Cristum Dominum, ac Saluatorem nostrum: me minimè fallere arbitror, si afferam Virum istum B. Petrum Apostolorum Principem demonstrare, præsertim ducto argumento ex eodem capillitio, quod peculiare signum B. Petri erat, vt exposuimus in nostro opere Vet. Mon. par. 1. cap. 28. Huic figuræ proxima est alia, ni fallor, S. Damiani, qui etiam oblationem in manibus defert, tunicam subalbi coloris, pallium verò subrubri, crura pedesque vestitos præseferens. Post hunc sequitur S. Theodorus, vt ipsa ostendit epigraphes, qui itidem oblationem fert, non Philosophicum pallium, sed chlamydem more nobilium, gestat, quæ gammadia nuncupari potest: huius gammadiæ exemplar cernes in dicto nostro opere de sacris Ædificijs â Constantino Magno constructis cap. 2. Pedes sandalijs nigris vestitos monstrat, qui color niger nobilitatis erat signum, vt ostendit Balduinus de Calceo. Quinam verò fuerit iste S. Theodorus, non abs re indagandum est, cum vsque ad viginti sex istius nominis, Sanctos Martyres referat Baronius in suo Martyrologio, & Bollandus in Actis Sanctorum ad diem 7. Februarij, ideo ab istis relata Auctoribus di-

A ligenter perpendi, & ni fallor, B. Theodori imago hæc repræsentare illum existimo, qui Dux exercituum erat, ac Martyrium sub Licinio Imperatore passus est, vt in eiusdem actis apud Surium, & apud laudatum Bollandum dicta die 7. Februarij. Hanc retro imaginem alia visitur palmæ arbor. Et hæc satis de huius Musiui operis prima, & superiori parte. Modò ad secundam, siue inferiorem.

B In huius inferioris partis medio, scilicet in rupe, ex qua veluti quædam flumina prosilire spectâtur, stat Agnus diademate coronatus, super eiusdem Agni caput legitur IORDANES. Sex ad huius Agni dexteram, totidemque ad sinistram sunt oues, eleuatis capitibus versus Agnum. Quid per hoc indicetur Hieroglyphicum, minimè nobis immorandum est, cum iam illud exposuerimus in nostro opere Vet. C Monimentorum par. 1. cap. 23. & 26. Agnus enim dicitur Iesus Christus Dominus noster, oues verò, duodecim sunt Apostoli ad Christum Magistrum gradientes, eumque prędicantem ausculantes; flumina è rupe defluentia, sunt illa quatuor è paradiso terrestri erûpentia, quæ sacra narrat Scriptura, Genes cap. 1. In angulis duæ cernuntur Ciuitates, nempe Hierusalem, & Bethleem, de quibus D etiam disseruimus in eodem nostro opere Vet. Mon. parte prima cap. 21. ideo hic illa repetere, breuitatis gratiâ ommittimus. Sub istis ouibus, eodem musiuo opere, ferè palmaribus aureis literis infrascripta leguntur carmina, quorum non nullæ sunt abbreuiatæ voces.

AVLA DEI CLARIS radiat speciosa metallis,

In

TAB XVII



TAB XVII



In qua plus fidei lux pretiosa micat. A
Martyribus Medicis populo Spes certa Salutis,
Venit, & ex sacro creuit honore locus.
Obtulit hoc Domino Felix antistite dignum,
Munus, vt ætheria viuat in arce poli.


CAPVT VII.

De Ecclesia S. Michaelis Archangeli Rauennæ Anno 545. *ædificata.* B

BEatum Michaelem Archangelum sæpe hominibus apparuisse, & sacrorum librorum auctoritate, & veteri Sanctorum traditione comprobatur. Quanta autem Priscorum Fidelium erga ipsum Archangelum Michaelem, animarum tutelarem fuerit deuotio, ipsa templa in eius honorem erecta, abundè testantur. C Celebre enim illud fuit Sipontinum, siue in monte Gargano. Celebre etiam illud hic Romæ, quod in Ianiculo, siue monte Vaticano adhuc cernitur. Nec minoris famæ est magnificum illud Rauennatum, de quo hic sermo.

In honorem huius cœlestis Militiæ Ducis, Rauennæ constructum fuisse Templum, narrat Rubeus in sua Rauennatum historia lib: 3. vbi sic: *Iisdem diebus Bacuda Iuliani* D *Gener, socero opem ferente in regione Rauennatis Vrbis, cui Regioni Aphricisca cognomentum est, Diuo Michaeli Archangelo Templum, quod adhuc superest ædificauit.* Huius ædificationis tempus eadem in Ecclesia, marmoreoque antiquo lapide inscriptum habemus, quod ann. 545. demonstrat.

Olim Monachorum ordinis S. Benedicti iuxta templum hoc fuisse Monasterium, narrat Fabri in suis sacris Memorijs Rauennæ antiquæ, italico idiomate, expressis. In hoc eodem Monasterio celebris extabat Bibliotheca, nunc verò Parrochialis est, in qua Absis, siue tribuna antiquo Musiuo opere ornata adhuc cernitur, vt in Tab. XVII. quod Musiuum eodem tempore, quo Ecclesia constructa fuit, factum fuisse, ambigendum minimè est, cum figuræ ibi expressæ prædictum redoleant tempus. In Absidis, siue Tribunæ medio visitur Christus stans, vestibus violacei coloris indutus cum stola; monogramma I in pallij limbo aurei coloris expressum est, Crucem gemmatam dexterâ, sinistrâ verò librum apertum tenens, in quo hæc leguntur inscripta, quæ sunt iuxta antiquam versionem.



Verba ista, ex cap: 10. 30. & 14. 9. Euangelistæ Ioannis desumpta sunt. Eiusdem Christi Caput diademate, in quo Crux gemmata cernitur, ornatum est. Pars vestis cum pedibus desideratur, cùm à temporis dente consumpti sint. Ad eiusdem Saluatoris dexteram stat Beatus Michael Archangelus, vt ipsa epigraphe designat, qui arundinem, siue baculum aureum, cum parua Cruce in summitate gestat. Baculum hunc nil aliud innuere autumo, nisi baculum viatorium, cuius forma etiam apud Episcopos, pro cambuca inseruiebat; De huiusmodi

baculis

baculis disseruimus in nostro opere A Vet. Mon: parte 1. cap. 15. Ad eiusdem Saluatoris sinistram pariter stat Gabriel Angelus, eâdem formâ vt alter vestitus, baculumque itidem manu perstringens.

Sequitur arcus, varijs columbis, gemmisque ornatus. Extra Arcum duæ sunt figuræ; ad dexteram est S. Cosmas, veste albâ, pallioque violaceo, cingulo verò nigri coloris indutus; ad sinistram autem S. Damia- B nus pariformâ amictus, vterque volumen præ manibus præsefert. Peculiarem enim Catholica Ecclesia erga hos sanctos semper habuit venerationem, vt ex varijs in eorundem Sanctorum honorem constructis Ecclesijs deducitur,

In huius Arcus summitate stat Agnus diadematus, de quo symbolo disseruimus in Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani; & alibi etiam aliqua no- C tauimus, vnde breuitatis gratiâ hìc plura fari omittimus. Supra eundem Arcum spectatur æternus Pater sedens, qui dexteram in actu benedictionem impartiendi tenet, sinistra veluti librum gestat; at hanc sinistram partem, prout littera D. indicat, longa temporum series pœne dimidiam deleuit; tàm vestes, quàm pallium violacei, stola verò aurei coloris, sunt: propè Saluatorem duo cernuntur An- D geli, alter scilicet ad dexteram, alter verò ad sinistram, vestibus, pallijsque albis induti, cum alis verò, & stolis violacei coloris, auream arundinem manibus tenentes, de quibus arundinibus infra differemus in Ecclesia S. Vitalis. Quatuor itidem ad dexteram, tres ad sinistram sunt Angeli, simili forma induti, qui tubas aureas in sonandi actu ori admotas retinent: quid per hoc hieroglyphicum denotetur, facilè expiscabimur ex Apocalypsi; cum prisci fideles multa ex ipsa Apocalypsi mysteria ignoranti plebi, ad illam erudiendam picturis demonstrarent. Hoc igitur mysterium ex eadem Apocalipsi cap. 8. & 2. desumptum est ibi: *At vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ.* Et paulò infra: *& septem Angeli, qui habebant septem tubas præparauerunt se, vt tuba canerent, & primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando, & ignis mista in sanguine &c.* Hunc eundem locum exponit Ambrosius Ansberti, qui octauo floruit seculo, vbi sic -- Quid itaque in septem Angelis intelligimus, nisi sanctam Ecclesiam in suis Prædicatoribus: Bene autem per Angelos veritatis Prædicatores designantur: quia nimirum æternæ vitæ annunciatores ordinantur. De his namque scriptum est: Et Angeli pacis amarè flebant. Rectè enim septenario numero terminatur, quia profectò vniuersitati credentium præponuntur, septenarius enim numerus, & perfectionem, & vniuersitatem designat. In conspectu quoque DEI stare perhibentur, quia procul dubio calcatis terrenis cupiditatibus, diuinæ contemplationi inhærere probantur. An non in conspectu Dei Paulus stabat, cum diceret: Tanquam ex Deo in Christo loquimur? & rursum: siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis. Hinc & Elias. Viuit Dominus in cuius conspectu sto. Quid quoque per septem Angelorum

" tubas, quas ijdem accepiſſe refe-
" runtur, niſi perfecta veritas, ac no-
" ui teſtamenti prædicatio declara
" tur? Hinc namque prædicatori di-
" citur: Quaſi tuba exalta vocem
" tuam. Has certe Angelorum tubas
" illæ præſignabant, quæ in iubilei
" vſibus per Moyſen factæ fuiſſe me-
" morantur. Quibus ſeptem dierum
" circuitu clangentibus, in typum
" huius ſæculi, muri Iericho cecidiſſe
" narrantur. Et illis quidem Sacer-
" dotes, iſtis verò Angeli ceciniſſe
" perhibentur. Quod omnino con-
" trarium eſſe nequaquam videtur.
" Nam Doctores Eccleſiæ, & Sacer-
" dotes, & Angeli ſunt. Sacerdotes,
" quia ſpirituales hoſtias immolant:
" Angeli, quia ventura quæque an-
" nuntiant. Quod vtrumque Mala-
" chias Propheta breuiter inſinuat
" dicens: Labia Sacerdotis cuſtodiunt
" ſcientiam, & legem requirunt de
" ore eius, quia Angelus Domini
" exercituum eſt -- Si plura benignus Lector deſideret, adeat magnum illum Inſubrum Antiſtitem Ambroſium, qui in eodem capite plura etiam de hac ſacra viſione exponit. Et hæc ſatis de hoc muſiuo, modo ad alia explicanda calamum conuertimus.

CAPVT IX.

De Eccleſia S. Vitalis Rauennæ circa Annum Domini 547. *Muſiuis decorata Picturis.*

RAuenna ſua ipſa vetuſtate inclyta, Galliæ Togatæ, ſiue Emiliæ Ciuitas, quæ ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, Euangelica veritate illuminata, Martyrumque conſecrata ſanguine, nec non Ædificiorum, Templorumque ſtructuris, Imperatorum, ac Regum, Exarcorumque ſedes, à cunctis admirabilis facta Nationibus, inter conſpicuas Italiæ Vrbes enumeratur. Adhuc â temporum iniurijs nonnullę ſuperſunt parietinæ, quæ eiuſdem Ciuitatis magnificentiam teſtantur. Inter antiquiora, ac auguſtiora, quæ vſque ad præſentem diem ſacra viſuntur Templa, celebre illud eſt S. Vitalis, de cuius fundatione Hieronymus Rubeus in ſua hiſtoria Rauennatum, lib. 3. ad ann. 541. fusè narrat, nempe: quòd cum Byzantij Iuſtinianus ædem ſacram D. Sophiæ extruxiſſet ſummâ impenſa, atque arte, idem per Iulianum Argentarium Rauennę D. Vitali iuſſit, diligenter conſtrui. Sed cum ego haud ita facilè adducar, vt putem, Cæſarem in ſubiecta Gothis ciuitate templum ædificaſſe, nullo repugnante, aut certè ædificare voluiſſe; fortaſſis abs re non fuerit opinari, huius auguſtiſſimi Templi ædificationem poſt expulſos Gothos factam, cum non Rauennâ ſolum, ſed vniuersâ Italiâ potiretur Iuſtinianus. Vtcumque tamen ſit, quo loco ædificatum fuit D. Vitali Templum à Iuliano Argentario, Iuſtiniano Cæſare iubente, erat Templum quidem illi Martyri Ciuitatatis Patrono, ſed exiguum atque ignobile. Neotericus verò ſcriptor Hieronymus Fabri in ſuis Memorijs Rauennæ àntiquæ, patrio ſermone exaratis parte 1. enarrat, deſumpta auctoritate ex ſupracitato Rubeo; quod Conſtantinopoli, ortâ populi ſeditione Iuſtinus Imperator occubuit, proptereaque Iuſtinianus, adhuc puer, Cæſaris filius, vel vt alijs placet, Nepos,

ad euitandum populi furorem, â Nutrice clâm Rauennam delatus, in Iuliani Argentarij domo hoſpitatus non tamen pro Imperatoris filio agnitus fuit. Permanſit in hoſpitio per annos quinque, quo tempore, quadam noćte, Iuſtinianus ad Deum fundens preces vouit, ſe ædificaturum Eccleſiam Rauennæ in Vitalis honorem, ſi Imperialem ſibi debitam aſſequeretur Sedem; voti deinde compos factus illam ædificauit. At hiſtoria hæc nullius innixa eſt celebris illorum temporum Scriptoris auctoritate, quare de ea valde dubitandũ (vt infra fuſius in Eccleſia S. Appollinaris in Claſſe dicã) cum Procopius omnia ædificia, etiam minima, ab iſto Imperatore conſtructa, deſcripſerit; nec vllam de hac Eccleſia mentionem fecerit. Quamobrem non nulli autumant, â laudato Iuliano Argentario cxſtructam fuiſſe, vt antiqua indicabat inſcriptio, quæ in Porticu ſic legebatur. *Mandato Eccleſij Epiſcopi Iulianus Argentarius ædificauit, ornauit, atque dedicauit, conſecrante verò Reuerendiſſimo Maximiano Epiſcopo die* XIIII. *Kal. Maij ſexies P. C. Baſilij Iun. V. C. Indictione X.*

Annus iſte, vt ex Caluiſij Chronico, recurrebat 547. â Chriſti Natiuitate, quo anno in humanis agebat S. Maximianus Eccleſiæ Rauennatum Archiepiſcopus; etiam antea Eccleſius obierat Anno 541. cui ſucceſſit Vrſicinus, & poſt hunc Victor, quo defuncto Maximianus Archiepiſcopus electus fuit, qui præfatam Eccleſiam conſecrauit, vt ex ſupramemorata inſcriptione colligitur. Idem etiam Fabri ſequens refert monogramma.




Quod in columnarum ſummitate viſitur, ac ab aliquibus interpretari, aſſerit, NARSETES; ab alijs verò IVSTINIANVS. Ex hoc igitur monogrammate Eccleſiam hanc à Narſete abſolutam fuiſſe, iudicatur. At quàm leuis hæc ſit coniectura, nemo non videt, cum literæ A, & R in eodem monogrammate, pro formanda voce *Narſetes* deſint, & pro formando nomine *Iuſtinianus* deſit litera A. Inſuper litera O cernitur, qua vtrumq; caret nomen. Quamobrẽ potiùs NEONTIVS denotatur, & fortaſſis NEO ille Epiſcopus, qui paulò ante in Rauennati Sede Eccleſium præceſſerat: Quem Sanctus Leo Magnus in epiſt. 135. Queſnelianæ editionis Neonam appellat, ibique in margine notatur, aliquibus in Codicibus etiam Leo, ſiue Neonia reperiri ſcribitur; Quare, cum nomina ſint ad placitum, Neo, ſiue Neontius, aut Neona, aut Leo denominari poteſt. Crux in hoc monogrammate expreſſa, non ad ornatum, neque caſu inciſa fuit, ſed ad aliquid ſignificandum; cumque Crux proprius ſit Epiſcopi character, ideo *Neontius Epiſcopus*, hoc monogrammate exprimi arbitror; nec aliquam contradictionem inter nomen *Neo*, & *Neontius* oriri poſſe iudico, cum idem ſignificent. Neo Eccleſiam

S. Petri



TAB. XIX



SCS· VITALIS

ECLESIVS EPIS·


S. Petri Maioris à S. Petro Chrisolo- A
go inceptam absoluit; Ecclesiam ve-
rò S. Ioannis in fonte restaurauit, nec
non Tricollis ampliauit ædificium: ex
quibus deduco ipsius Neonis animum
ad ædificia procliuem. Potuit igitur
Ecclesiæ S. Vitalis, de qua agimus,
fundamenta iecisse, & deinde Argen-
tarius eam de ipsius Ecclesij Episcopi
mandato continuasse, cùm aliquando
verbum *fecit*, vel *ædificauit* sumatur
pro dedicauit, vel restaurauit, non B
autem â solo extruxit, vt in meo ope-
re, Veter. Mon. par. 1. cap. 27. de-
monstraui. In hac mea precipuè con-
firmor sententia, ex musiuo opere,
quod adhuc visitur, & infra in Tab.
XIX. refero, vbi cernitur Ecclesius
Episcopus, qui nudo capite Eccle-
siam manibus tenet, quæ signa viuen-
tis sunt, vt infra in alijs Musiuis ope-
ribus fusiùs demonstrabo. Nam si
mortuus fuisset, caput aliquo Eccle- C
siastico indumento coopertum habe-
ret. Vlteriùs omnes illi Pontifices, qui
hìc Romæ aliquam fundauerunt, vel
restaurarunt Ecclesiam, eandem præ
manibus tenent: quòd illa, quam in
manibus tenet Ecclesius Episcopus, S.
Vitalis sit, ambigendum minimè est,
cùm rotundæ sit formæ.

Quidquid igitur de primo huius
Ecclesiæ Fundatore sit, ambiguum
redditur; concludendum tamen, aut D
in fine seculi 5. aut in principio 6. hoc
celebre templum constructum fuisse;
quod postmodum absolutum fuit à
Maximiano, itidem Archiepiscopo,
qui floruit Anno 553. de cuius ædifi-
cij absolutione, eiusque formâ, sic lau-
datus Rubeus scribit: -- Huius Ar-
„ chiepiscopatus initio (scilicet Ma-
„ ximiani) absolutum est Augustis-
„ simum D. Vitalis Templum, in-
„ genti quidem, sed erudito sum-
„ ptu. Nam totum orbiculare est,
„ duplici ordine columnarum; alter
„ superior, qui testudinem sustinet,
„ & porticum efficit, è quo quasi ad
„ Theatri simulacrum in templi pa-
„ uimentum, quod erat tessellati,
„ & vermiculati operis, spectatur.
„ Inferiores columnæ, superiores,
„ & Theatrum fulciunt, sectoque
„ lapide pretioso vestiuntur; quo
„ eodem genere lapidum vniuersi
„ parietes incrustabantur; nunc ali-
„ qua in parte absunt -- De hac
etiam Ecclesia scribit Quaresmius, in
suo Elucidario Terræ Sanctæ, lib. 5.
cap. 7. eamque vetustissimam appel-
lat, ac persimilem illi (in qua se-
pulcrum Dominicum continetur)
duasque in partes diuisam esse asserit,
nempe in superiorem, & inferiorem,
vtrasque pretiosis marmoreis colum-
nis fulciri, lucidissimis marmorum
tabulis vestitas, & exornatas, vt olim
erat Ecclesia S. Sepulcri; nec se, li-
cèt alias plures vidisset Ecclesias, vl-
lam huic similem inuenisse. Lauda-
tus vero Fabri eandem assimilat Ec-
clesiam celebri S. Sophiæ Constan-
tinopolis templo. Huius Iconem ha-
bes apud Du Cange in sua Constan-
tinopoli Christiana; Sancti Sepulcri
verò exemplar apud Bernardinum de
Amico in suo tractatu Italico idioma-
te; *Delle piante, & imagini de Sagri
Edifizij di Terra santa* p. 24. apud quos
Auctores Lector curiositati suæ satis-
facere poterit. Concludo igitur, Ec-
clesiam hanc à Neone fuisse inceptam,
ab Argentario de mandato supradicti
Ecclesij Episcopi continuatam, à Iu-
stiniano verò ad preces fortasse Ma-


ximiani marmoreis incruſtationibus, A musiuiſue operibus ornatam, vt ipſæ indicant picturæ, quas infra referam.

Noſtri operis inſtitutum poſtulat, vt ad ipſa deſcribenda muſiua calamum conuertamus. A Presbyterio igitur initium ſumo, quod concameratum eſt, cuius fornix Muſiuo, & eleganti opere ornatus cernitur, & ad formam Crucis diuiſus, cuius brachia Crucem conſtituentia ad inſtar magni funis formata, varijs B frondibus, fructibuſque viridis, venetique coloris ornata conſpiciuntur: A funis lateribus hinc inde, duæ magnæ aureæ lineæ, veluti faſciam conſtituentes, ipſum exornant funem. In Crucis centro eſt circulus, pari forma, frondibus, fructibuſque ſeptus, cuius in medio apparet Agnus, diademate coronatus; planique ſuperficies, in qua ipſe Agnus expreſſus eſt, varijs ſtellulis albi coloris diſtincta renidet: In cuius ſingulis ipſius C Crucis angulis Angelus ſuper ſpheram ſtans, veſte alba indutus, alis coccinei coloris, manibus eleuatis, veluti ipſum circulum ſuſtentans, cernitur; & cum quatuor ſint anguli, quatuor ſunt Angeli, vt ipſum exemplar oſtendit in Tab. XVIII. expreſſum; reliqua ipſius fornicis ſuperficies, quadrifariam partita varijs frondentibus ramis, ac nonnullis animalibus eſt circumdata. Vna ex his parti- D bus, ſicut & in oppoſita, ramos exhibet aurei coloris; area verò colore viridi ſuffuſa vndequaque eſt; in altera verò, vti etiam in oppoſita parte, rami colore viridi pariter; area autem aureum proponit. Ad huius picturæ folioſæ imam partem, quam Agni caput reſpicit, quindecim cernuntur Orbiculi: in eo, qui medium obtinet locum, Saluatoris imago, cum Cruce retro caput elata, ac ſtola picturâ expreſſa cernitur, quam poſterioris æui eſſe autumo, ibi appictam in alterius locum Muſiui operis, olim exſtantis, ob temporis iniuriam collapſi. Ad Saluatoris dexteram, in eiſdem orbiculis expreſſi ſunt, vt ex ipſis met deſcriptionibus deducitur, Paulus, Iacobus, Philippus, Thomas, Iacobus Alphæi, Matthias, & Protaſius; in ſiniſtra verò parte Petrus, Andreas, Ioannes, Bartholomæus, Mathæus, Thaddæus, Geruaſius. Omnes delineati albis indumentis cernuntur. Area veneti, circuli verò, ſiue encarpia viridis coloris: ab huius fornicis lateribus, vbi ille deſinit, duo alia perſpiciuntur ornamenta ad conchyliorum formam figurata crocei coloris.

E fornice pauimentum verſus deſcendendo, in muro Presbyterij ad latus Euangelij ſubtus feneſtras alia viſuntur muſiua opera, vt in Tab. XX. Ad feneſtræ latus num. 1. apparet imago B. Ioannis Euangeliſtæ ſedentis, alba veſte induti, qui librum apertum geſtat, in eoque legitur: *ſecundùm Ioannem*. Ante imaginem hanc, eſt menſula ſcriptoria, cum atramentario, theca arenaria, & ſtylo. Supra, ac propè ipſius Sancti caput, ſtat aquila, nigri coloris, vtpotè ipſius Euangeliſtæ ſymbolum. In oppoſita parte, num. 2. expreſſus eſt S. Lucas, pariter in alba, qui itidem librum apertum ſiniſtra tenet, in quo legitur: *Secundùm Lucam*, ſiniſtram eleuatam in actu benedicendi ritu Græco extendit. Nam Græci in benedictionibus medium digitum cum pollice, & annulari coniungunt. Poſt caput imminet Bos albi coloris, qui clarum iſtius veritatis eſt ſignum. Iuxta pe-


IACO BVS

TAB. XVIII



pag 68

TAB. XX.







TAB. XX.





pag. 69

ta pedes ſtat pluteus, voluminibus A
repletus Romanorum more, qui Vi-
rum literis addictum demonſtrat.
Sub his imaginibus extenditur arcus,
cuius in ſummitate ſunt duo Angeli,
volatum præſeferentes, qui manibus
circulum tenent, vt num. 4. In huius
medio refulget Crux gemmata, &
ad Crucis pedem ſunt duæ græcæ li-
teræ, ſcilicet A, & Ω; de quibus in
Apocalipſi cap. 22. num. 13. *Ego
ſum* A, *&* Ω; *primus*, *&* *nouiſ-*
ſimus, *principium*, *& finis*. B Harum
literarum myſticum ſenſum declarat
Primaſius Epiſcopus in Commenta-
rijs ad idem caput, vbi ſic: Quod
,, autem in præſenti libro toties A,
,, & Ω repetitum video, non ina-
,, niter factum fuiſſe cognoſco. Siue
,, enim propter vnius Chriſti Diui-
,, nitatem, & humanitatem ſæpius
,, inſinuandam, in qua totius Chri-
,, ſtianæ fidei ſumma conſtare præ- C
,, miſimus, ſiue vt vnius naturæ to-
,, ta Trinitas intimetur, qui per Pro-
,, phetam dicit: Ante me non eſt
,, formatus Deus, & poſt me non
,, erit. Ego ſum Deus, & non eſt
,, abſque me Saluator, vel cui per
,, Prophetam Dicitur: Tu es Deus,
,, & ante, & præter te non eſt alius
,, Deus, ſiue aliud aliquid melioris
,, lateat, ſecretioriſque myſterij, non
,, tamen dubito, ad hoc ſæpius itera- D
,, tum, vt intelligendi gratia fideli-
,, bus maneret fructuoſa. Nam, &
,, ipſa elementa Græci alphabeti. A
,, & Ω cuiuſdem numeri conficiunt
,, ſummam, quam columbæ no-
,, mine in Græco nouimus compræ-
,, hendi. Columba enim dicitur A,
,, quo numerus octingenteſimus, &
,, vnus numerus ſubſummatus, quem
etiam adimplent.

LXXX V C X CC CCC V C I
π ε ρ ι σ τ ε ρ α
α & ω
I DCCC

,, In Columbę autē ſpecie rectè nobis
,, Sancti Spiritus nouimus ſignificari
,, perſonam, in cuius ſpecie deſcen-
,, densvoluit apparere, vt ſcilicet Ar-
,, rianorum aliorumq; hæreticorum
,, fruſtraretur inſania, qui eum â Pa-
,, tris, & Filij natura aſſerunt alie-
,, num, cum etiam per huius conue-
,, nientiam numeri hic quoque reue-
,, latio cœleſtis, conſubſtantialem,
,, & coæternum Patri, & Filio ſan-
,, ctum Spiritum manifeſtet, & in
,, ſtolis lotis diuinorum dicens cuſto-
,, diæ mandatorum. Nam, & exor-
,, dium Euangelij ſui iiſdem Ioannes
,, ſenſibus, licet diuerſo orſus ſer-
,, mone compoſuit, dicens: In Prin-
,, cipio erat Verbum, & Verbum erat
,, apud Deum, & Deus erat Verbum,
,, & poſt pauca: Et Verbum Caro fa-
,, ctum eſt. Vbi totius fidei ſumma
,, conſiſtit, vt in vno, eodemque
,, Chriſto perfecta Deitas, & vera
,, credatur humanitas.


At, vnde digreſſa fuerat, oratio re-
uertatur. Supra eundem Arcum in
angulo ſpectatur vir Diadematus,
volumen expanſum præ manibus te-
nens, veſte alba circumdatus: ante
ipſum ſtat turris, ſupra quam coro-
na aurea, & ſuper ipſum nomen *Ie-*
remias, quod nomen niſi pictor ap-
poſuiſſet, diuinare admodum difficile
eſſet. Cur autem appoſita fuerit tur-
ris coronata, diù mea mente reuolui;
ſed nihil certi adinueni; excogitaui
tamen pro turri coronata Pictorem
Ieruſalem totius Palaſtinæ Regiam
ciuitatem exprimere voluiſſe; nam Ie-
remias,


Ieremias in Ciuitate Ierusalem prophetauit, vt habetur in historia Flauij Iosephi, lib. 8. cap. 9. Cur autem diadema in capite gestet, diximus in nostro opere Veter. Monim. par. 1. cap. 14.& 22. In apposito angulo sub num. 6. visitur alius Propheta, qui sinistram ad cœlum extollit, & è nubibus manus inuisibilis Viri egreditur, ac in inferiori parte multi spectatores sursum aspicientes, albis tunicis, pallijs vero rubeis vestiti. Quid Hieroglyphicum hoc significet, nobis sacra patefacit Scriptura in Exodo, cap. 2. vbi narratur: Moysen solùm in montem ascendisse, ibique cum Domino quadraginta permansisse diebus, cæteris ad montis radicem manentibus.

Ex superiori arcus parte ad inferiorem descendamus, vbi tres discumbentes sunt cum albis tunicis, & alius, qui cibum in mensam defert, coccinea veste amictus, post ouem, stat veluti mulier, albâ veste circumdata, num. 7.8. & 9. numerus enim septimus tres exprimit Angelos, quos Abraham hospitatus est. Ipse Abraham designatur num. 8. & Sara eius vxor num. 9. quæ in sacra legitur historia Genesis cap. 18. similemque retulimus in Tab. LI. nostri operis Vet. Mon. par. 1. cap. 22.

Figura 10. Abrahæ sacrificium proprij filij Isaac indicat, de quo in Genesi cap. 22. Manus verò in aere suspensa, in musiuo expressa, Angelum demonstrat Abrahæ dicentem. *Abraham Abraham, non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam*. Hæc satis de istis sacris historijs, cum per se notissimæ sint, modò ad alteram partem, nempe ad cornu Epistolæ nos conuertamus. Pari forma, vt altera relata, hæc se habet Tabula XXI. Nam in angulo supra arcum, vt num 1. aspicitur Euangelista Matthæus in actu scribendi, ante se habens paruam mensam scriptoriam cum atramentario, & stylo, & ad pedes pluteum, voluminibus repletum; sicut Euangelistæ, ita & Angeli vestes albæ sunt; huius autem alæ, coloris violacei: altero verò angulo num. 2. apparet S. Marcus, alba veste indutus, librum apertum demonstrans, erecta dextera, & ante se, paruam mensam scriptoriam habens; super eius caput Leo coccinei coloris delineatus est. In inferiori parte, scilicet subtus S. Matthæum, duæ aliæ sunt figuræ, vt num. 3. & 4. quæ ni fallor, Moysen Iethro pascentem oues significat, 3. verò figura eundem Moysen demonstrat, cui Dominus per manum designatus dixit: *solue calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est*, vt in Exodo cap. 3. Subtus S. Marcum, vt in num. 5. visitur Propheta Isaias, alba tunica etiam opertus, prope hunc est corona, redimens Turrim, quæ cum annexo muro Regiam Ciuitatem Hierusalem, vt diximus de Ieremia, repræsentat; Isaias enim illi prædixerat, cum à Syris obsideretur, eos non futuros esse præualidos, vt cap. 7. ipsius Prophetæ. Subtus Arcum, vt num. 6. duæ extant imagines, quibus nomina indita sunt: nempe *Abel, Melchisedech*: ante istum parata exurgit mensa cum vrceolo, ac duobus panibus; quamobrem sacræ Genesis, cap. XIV. figuram hanc concordem esse crederem; ibi enim narratur, Melchisedech Abrahæ redeunti quinque

Regum


1
3
4


CD
1
2
3
4
5
6
ABEL
MELCHISEDEC
HAIAS

Regum profligatione Victori occurriſſe, necnon panem obtuliſſe, & vinum. At alia figura Abel minimè concordat in tempore Melchiſedech; quoniam Abel præceſſit Melchiſedech per duo millia, & vltra annorum. Nullo ergo pacto poſſunt hi ſimul conuenire in vno, eodemque tempore. In alijs antiquis muſiuis operibus obſeruaui Priſcos fideles; quando in vno exprimebant loco aliquam hiſtoriam, eiuſdem hiſtoriæ continuationem eos appingere conſueuiſſe; id circo in appoſito muſiuo, in præcedenti tabula duæ viſuntur expreſſæ hiſtoriæ Abrahæ, nempe vna quando tres Angelos hoſpitatus fuit; altera, quando proprium filium Iſaac ſacrificare voluit. Ex relata ratione eiuſdem Abrahæ hiſtoriam præſens Tabula continere deberet, ſcilicet, quando ipſi victori è prælio reduci, Melchiſedech occurrit. Hanc meam aſſertionem, picturæ conſonam eſſe, primo aſpectu iudicaui, putauique Muſiuarij fuiſſe errorem, qui loco Abrahæ, Abelis nomen inſcripſit: vt me certiorem redderem per epiſtolam exoraui R. D. Abbatem Seraphinum Paſqlinum, vt ipſe attentè rimaret nomen illud; Hic mihi reſponſum dedit, apertiſſimè nomen Abel legi: quamobrem ad aliam confugi coniecturam, nempè ad figurarum ſpeciem; an iſta cum nomine Abel, quandam haberet ſimilitudinem cum duabus alijs figuris Abraham exprimentibus, in Muſiuo appoſito expreſſis. At diſcrepare obſeruaui, dum illa cùm nomine Abel repræſentat iuuenem, aliæ duæ ſenem, ſed diuerſis veſtibus amictos. Inſuper aliud etiam inſurgit dubium, quòd ſi ean-

A dem figuram Abel pro Abraha ſumere velimus; quomodo è domo exeuntem Pictor expreſſit? dum eum militibus aſſociatum indicare debebat. At Muſiuarius eundem appinxit in alia ſimili tabula in Eccleſia S. Mariæ Maioris de Vrbe, quam retulimus in noſtro opere Veterum monimentorum par: 1. Tabula L, figura 1. Quare concludendum exiſtimo, magnam iſtius ſeculi fuiſſe imperitiam, cum Pi- B ctori libera data fuerit facultas, arbitrio ſuo, ſacras depingendi hiſtorias, qui loco Abraham militibus aſſociati Abelem è domo egredientem efformauit.

At ſi huius ſacri Emblematis literalem ſenſum omittere, & tam Muſiuarium, quàm Eccleſiaſticos Patres, qui Rauennæ, muſiui conſtructionis tempore, degebant; ab ignorantiæ labe vindicare velimus, prout vindi- C candi ſunt, ad allegoricum ſenſum nos reflectere debemus, nempe. Per has figuras, ſacrificij Dominici Sacramentum præfiguratum eſſe. Nam Abel Chriſtum demonſtrat, vt S. Maximus in Homilia I. in feſto Paſchæ declarat. Melchiſedech cum nimbo, ſiue diademate, primum omnium Sacerdotem ipſum eſſe, oſtendit, vt exponit Theophilus Patriarcha Antiochenus ad Autolycum, lib: 2. cir- D ca finem. Per menſam repræſentatur Altare, vt manifeſtat S. Eutherius Lugdunenſis Epiſcopus, Formarum ſpiritualium libro, cap. 8. Per panem, & Vrceolum ipſum Sanctiſſimum Sacramentum, vt S. Nilus epiſt: 264. longèque ante ipſum, magnus ille Chriſti Athleta S. Cyprianus in epiſt. 63. ad Cæcilium de Sacramento Domini palam faciunt. Sicque hiſce Hie-

roglyphicis

A

roglyphicis pictor sacrum, & augustissimum Sacrificium, quod Deo, ac Saluatori Nostro IesuChristo offertur, intuentibus declarare voluit. Alio etiam modo explicari posse iudico; nempe, per ambas istorum Priscorum Patrum ipsi Deo factas oblationes, de quibus in Canone Missæ mentio habetur, quando sacerdos extensis manibus super calicem profert: *Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris,*

B

& accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Hæc sunt, quæ pro huius Emblematis explicatione afferenda esse putaui. Alijs relinquimus locum meliora, certioraque interpretandi.

C

Sub Absidis fornice, siue, vt appellari solet, Tribunæ, aliud pulcherrimum est Musiuum, quod in annexa tabula XIX. expono. Supra ipsum Musiuum duo cernuntur Angeli in aere suspensi, albis vestibus induti; alisque violacei coloris, quandam rotam prę manibus tenentes, cuius radij albi sunt, area verò veneti coloris. Sub istis magnus extenditur semicirculus, varijs cornucopijs, viridi, venetoque colore designatus, in cuius

D

medio hoc est monogramma.



gemmatum, siue potius radiata Crux, cuius radij veneto efformantur colore; area verò aurea fulget. Sub hoc semicirculo, quinque sunt figuræ, in quarum medio stat Episcopus Dominus noster in magno sedens globo, rubea veste, pallioque violaceo, cuius caput diademate, cruce gemmata præcingitur. In globo Saluatorem sedentem Pictor expressit, ad supremum significandum Dominium, quod ipse Saluator per totum terrarum extendit orbem; sinistra librum, dextera coronam stringit, illamque proximo S. Vitali porrigit, quasi dicat: Accipe coronam, quam meruisti, de qua B. Iacobus Apostolus in sua Epistola, cap. 1. num. 12: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Ad eiusdem Saluatoris dexteram, stat Angelus alba septus veste, arundinem auream sinistrâ gerens; quid per hanc ostendatur arundinem, in meo opere Veterum Monumentorum indicaui, par. 1. cap. 15. & 20. vbi similem retuli figuram. Idem Angelus dexteram super beati Vitalis humerum, imponit, quasi dicat accipe coronam, quam tibi Domiuus concedit. S. verò Vitalis amictus tunica alba, cinguloque albo, & nigro, auroque permixto, nec non chlamyde violacei leochophæi coloris, varijs perfusa floribus clamydem ipsam vlnis sustentans, quasi in ea accepturus, traditam â Domino coronam. Ad eiusdem Saluatoris sinistram alter est Angelus, pari modo indutus, paremque arundinem tenens, ponè quem S. Ecclesius Rauennatensis Episcopus tunica violacea, casula alba, super quam visitur Archiepiscopale pallium, ac manibus, Ecclesiæ S. Vitalis

talis



1

10 9 1 2 3 4 5 6 7 8

1 MAXIMIANVS 2 3 4

talis exemplar sustentat; quod signum est, ipsum Antistitem hanc ædificasse, seu ædificari mandasse Ecclesiam, vt clariùs ex alijs similibus infra afferendis exemplis comprobabitur. Angelus videtur Ecclesium Episcopum alloqui, & dicere: procede, & offer Ecclesiam, quam ædificâsti: Et hæc de hoc Emblemate satis; modo ad aliud.

Duo alia supersunt referenda Emblemata, Musiuo opere constructa, & adhuc in choro extantia; quod à cornu Euangelij est, sequens demonstrat Tab. XXII. Exhibetur in ea Iustinianus Imperator, vt fig. 2. Caput diademate, gemmisque ornatum, vestem albam, chlamidemque Imperialem, violacei coloris habet, dextera aureum vas gestat. Próximus Imperatori stat S. Maximianus Rauennatis Ecclesiæ Præsul casula aurea, vesteque alba indutus, palliumque etiam album cum crucibus, super humeros circumuolutum gerens, vt figura 2. qui crucem gemmatam manu dextera tenet: ponè hunc, vt figura 3. est alius Vir, etiam Dalmatica alba amictus, aureum, gemmatumque librum deferens. Sequitur, & alius huic proximus, item cum Dalmatica alba vestitus, & quodam pendente vase, violacei coloris, quod thuribulum indicare puto, vt figura 4. Ad Imperatoris dexteram duo Viri, & vnus ad sinistrã adsunt, vestibus albis ornati, quos Imperatoris Aulicos nec non Viros sæculares esse cõijcio ex chlamide supra dexterum humerum alligata, quam secularibus tãtum decere, nemo inficiabitur; tum etiam ex capillis longè collum versus fluentibus; alij verò propè Episcopum clericalem habere coronam, ostendũt, atque ideò Ecclesiasticos Viros se se exhibent. Deinde non nulli sequũtur milites hastati ad Imperatoris præsidiũ, & decus, omnes viridibus circumdati amictibus. Vnus ex illis clypeum gemmatũ gestat hoc monogrammate ☧ gemmis referto insculptum. Quid hæ Sacræ repræsentent figuræ, nobis patefacit laudatus Rubeus in lib. 3. suæ historiæ, vbi sic: *in Sacelli maioris testudine Ecclesij, & Maximiani, Iustinianique Cæsaris imagines vermiculato opere conspiciuntur. Nam Ecclesius, vt diximus, ædificationi, donec vixit, præfuit. Maximianus ædificatam ædem sacrauit.* Quare ipse consecrationis actus in hoc emblemate indicatur; vas autem, quod Iustinianus Imperator defert, quid significet, in sequenti Iconismo meam proferam coniecturam. Modò ad alia apposita musiua.

Hoc Emblema à cornu epistolæ situm, Theodoram, ipsius Iustiniani Vxorem, in præfata consecratione præsentem exponit: sic de hoc actu præfatus Rubeus scribit: Cùm „ autem consecraretur, cuius conse„ crationis dies fuit, XIII. Kal. Maij, „ interfuisse Iustinianum, atque „ Theodoram vxorem, ferunt, con„ tingisseque, vt cùm in templum „ Theodora ingrederetur, accurris„ sentque puellæ aquam lustralem „ in faciem illius, vt de more, spar„ gerent dimouentes carbasea vela, „ quibus contegebatur, atque cir„ cumdabatur aquæ vas, nequid in „ eam impurum decideret, visa fuerit „ columba candidissima cœlitùs de„ missa, inter vela, ad aquam se „ conferens, & Theodoram alarum

,, in aquas concussione aspergens, A
,, summa omnium, qui aderant, ad-
,, miratione. Huius rei testimonium
,, pictura facit, in testudine maioris
,, sacelli, vermiculato opere elabo-
,, rata, quæ nunc visitur. Quam-
,, quam, quod in me est, adduci nulla
,, ratione possum, vt id credam,
,, Theodoræ contegisse, fœminæ im-
,, probæ; quæ & Anthemium hære-
,, ticum tueretur, & Vigilium Pon-
,, tificem ob id, vti supra memora- B
,, uimus; summis crucitatibus, car-
,, cere, & exilio impiè affecerit. Et de
,, pictura columbæ quod dicitur, eam
,, ego non ob misterium significan-
,, dum, sed ornamenti causa puta-
,, uerim adiectum, quòd scilicet Scul-
,, ptores ad ornatum in vasis medio
,, eam auem, qua significari simpli-
,, citatem, ac puritatem scribitur, ap-
,, posuerint. Pictura verò eius vasis
,, simulacrum refert. Nisi fortè; si C
,, tamen assentiri vulgatæ illi famæ,
,, ac inueteratæ velimus, id eo tem-
,, pore factum putemus, quo Vigili-
,, us est in sedem restitutus, conijce-
,, reque fortasse possumus, Theodorã
,, resipuisse; Deo commonstrante
,, hoc exemplo, quam procul à vera
,, religione abfuerit. Nam Iustinia-
,, num quoque, scimus, aliquando
,, sensisse cum Eutychianis, & ab
,, Agathone Pont. Max. reuocatum D
,, de sententia. Cum itaque interes-
,, sent sacris Iustinianus, & Theodora,
,, vna cùm innumeris Proceribus,
,, ac Matronis, frequentique propte-
,, rea populi multitudine, Maximia-
,, nus Archiepiscopus summa pompa
,, ædem sacrauit, atque inter cætera,
,, Diuinis Nazario, & Celso sanctis-
,, simum illud sacellum, de quo di-
,, ximus, quòd valuis ex ære mirè
,, sculptis, ac cælatis claudebatur. Sa-
,, cello hæc erant inscripta.

Ardua consurgunt venerando culmine templa,
Nomine Vitalis sanctificata Deo;
Geruasiusque tenet simul hanc Protasius arcem.
Quos genus, atque fides, templaque consociant.
His Genitor natis, fugiens contagia mundi,
Exemplum fidei, Martyrijque fuit.
Tradidit hanc primum Iuliano, Eclesius arcem.
Qui sibi commissum mira peregit opus.
Hoc quoque perpetua mandauit lege tenendum.
Hoc nulli liceat condere membra loco.
Sed quæ Pontificum constant monumenta priorum,
Fas sibi sit tantum ponere, vel simile.

Consecratum templum Iustinianus, ac Theodora egregijs muneribus exornauerunt, & confestim Iulianus Argentarius consecrationis mysterium, quod extat adhuc, vermiculato opere pingendum curauit.

Supra relatam de Columba potius fabellam, quàm historiolam esse iudico, ideo eam expungendam esse, existimo, cum apertè Iconismus ipse demonstret; nempe illud, quod in vasis medio propè Ianuam delineatum non columbam ostendit, sed aquam è medio in altũ prosilientẽ, quę recidendo inversi crateris formam exprimit. Hęc colorum, vmbrarumque quidem varietate à pictura facilè efformari potuisset; At musiuo opere inexpressibilis fuit, de quo nos fusiùs diximus in cap. 12. nostri operis Vet. Mon. par. 1. Ideo Musiuarius meliori, quo potuit

modo

modò, aquam è fistula surgentem, & ad quandam elatam altitudinem, in duas diuisam partes, ad surgentis latera decidentem expressit, vt ipsa clariùs ostendit figura sub num. 1. Hoc firmato, indagandum est, quid hoc nobile, vetustumque indicet emblema: De figuris in eo expressis, nulla dubitandi ansa relinquitur; cum celebres Scriptores in vnum conueniant, Theodoram, scilicet Imperatricem Iustiniani vxorem, cum famulatu repræsentare. Iconismum hunc refert clariss. Vir Du Cange in sua Costantinopoli Christiana, & ante ipsum Alemanus in sua ΑΝΕΚΔΟΤΑ, siue Arcana historia, vbi tantum ipsius Theodoræ refert imaginem. In huius historiæ explicatione tota difficultas in eo vertit, scilicet in vase, quod ipsa & laudatus Iustinianus Imperator deferunt. Diù ergo cogitaui, ne rem intentatam relinquerem, quid emblema hoc significare posset. Tandem duo consideratione digna mihi occurrerunt. Primum, quòd in Ecclesiarum dedicationibus Sanctorum requiruntur reliquiæ, & frequentius in altaribus, quòd innuit Venantius Fortunatus in suis carminibus de Dedicatione Ecclesiæ, & in honorem eorum, quorum ibi reliquiæ continentur. Citaui Venantiũ Fortunatum, quia Synchronus cum eodem Iustiniano fuit, & fusiùs, legitur in libro Sacramẽtorum S. Gregorij, in ordine ad Ecclesiam dedicandam, nec non in recenti Pontificali, vbi sic legitur in Rubrica: *sanè præcedenti sero ante diem Dedicationis; Pontifex parat reliquias in Altari consecrando includendas, ponens eas in decenti, & mundo vasculo: cum tribus granis thuris: ponit etiam in eo*

A *chartulam de pergameno scriptam, de grossa litera, continentem huiusmodi reliquiæ sint ibi inclusæ, & ad cuius Sancti honorem, & nomen, Ecclesia ipsa, & Altare dedicantur.* Legitur etiam in eodem Pontificali processionaliter reliquias in Templum esse inferendas his verbis: *deinde procedit processionaliter cum Clero ad locum, in quo reliquiæ nocte præteritâ conseruatæ fuerunt, & deferatur* B *Chrisma vsque ad fores Ecclesiæ.* Et paulo post: *Tum Pontifex assumpta Mitra imponit incensum in Thuribulo, & fit processio hoc ordine: Procedunt duo Ceroferarij cum luminaribus. Deinde Crux. Tum Clerus cantans antiphonas subsequentes. Post hos Sacerdotes portantes feretrum cum reliquijs, & iuxta eos Thuriferarius continuò reliquias ipsas incensans*: Ex hac igitur narratione conijci potest, C ambo emblemata processionem solennem cum reliquiarum delatione indicare, vbi loco sacerdotum, qui reliquiarum feretrum deferunt, non feretrum, sed ipsa vasa reliquias continentia tam Imperator, quàm eius Vxor maioris honoris causa deferre conspiciuntur. Ad hoc etiam conijciendum adducor, quòd Processio incipit extra Ecclesiam, deinde eam ingreditur. Pro Ecclesiæ ianua, illa designatur, vbi est fons, quem in Ec- D clesiæ atrijs antiqua fidelium deuotio construere solebat, ad similitudinem ritus illius Hæbreorum, qui labrum æneum in templo tenebant. In hoc enim fonte fideles priusquam Ecclesiam ad orandum intrarent, manus, faciemque lauabant. Vnde Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus sic cecinit.

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lauat amne ministro.

Plura de hoc ritu refert eruditissimus Baronius ad Annum 57. num. 106. & sequentibus. Quod ianua illa esset Ecclesiæ, argui potest ex eo, quòd in Ecclesiæ ianuis vela suspendebantur, vt in præsenti conspicitur iconismo, & breuiter diximus in nostro opere Vet. Mon. part. 1. c. 1. & 2. & fusiùs infra dicturi sumus in Ecclesia S. Apollinaris, quando de Musiuo opere Palatium Regium repræsentante agemus. Reliquiæ verò, quæ deferebantur erant fortasse Sanctorum Vitalis Patris, & Geruasij, & Protasij filiorum, huius Ecclesiæ Patronorum. Et hæc de prima: modo ad secundam coniecturam.

Retulimus hucusque, præfata vasa sacras potuisse continere reliquias, nunc autem asserimus fortasse ipsa vasa posse illa repræsentare donaria, quæ in similibus æncenijs offerri solent: expresse enim legitur apud Sozomenum lib. 2. cap. 26. quod Episcopi Hierosolymæ degentes, Ecclesiam in Golgotha, de Constantini mandato constructam, consecrarunt, simulque ornamenta, & donaria ab Imperatore transmissa, quæ in eadem Basilica, non sine ingenti stupore, spectabantur, adferrent; & in citato sacramentario S. Gregorij etiam legitur benedictio, quæ super munus, quod quis Ecclesiæ offert, impartitur.

Vltra superius narrata in posteriori hoc emblemate, animaduersione digna sunt, quod eadem Theodora caput cũ diademate ornatũ habet, de quo ornatu disseruimus in nostro opere Vet. Mon. par. 1. cap. 14. & 22. Item obseruatione dignæ videntur mulierum vestes, quæ adeò corpori sunt accommodatæ, vt omnes tegant partes, præter collum, faciem, & manus, ex quo inferri valet, quanto fuerit illorum temporum in mulieribus modestia. Imperatricis enim amiculi color, violaceus est. Circa limbum zona aurea, vt etiam vas, quod in manibus sustinet gemmis contextum; vestis verò est candida; pectus autem, vtpote etiam humeri, varijs vnionibus ornati apparent. Mulier, quam indicat numerus 2. Amiculum album vestem violaceam præsefert. Zonæ verò, quæ prolabuntur ex auro gemmis inter distinctæ cernuntur. 3. verò vestem floribus distinctam aurei, veridisque colorum defert. 4. amiculo albo, veste verò floribus viridis coloris ornata, sudariolum in manibus tenet. 5. amiculum coccineum, vestemque itidem viridis coloris habet, ac sudariolum præmanibus gerit. 6. veste floribus aurei coloris texta induit. 7. & 8. figuræ vestes minimè conspicuæ sunt, sed sola spectatur facies. Due aliæ mulieres ad Imperatricis dexteram, illa sub num. 9. alba, altera verò sub num. 5. coccinea vestibus indutæ apparent. Fons autem ex pario marmore videtur constructus, nec non velum ad ianuam album est, floribus conspersum. Hec satis de hoc emblemate.

Huc vsque factas explicationes allatis figuris accomodare studuimus, cum Rubeus, ac Fabri ambo Rauennates in suæ patriæ decus, & gloriam idem asserant, nempe Iustinianum, & Theodoram supra laudatos præfatæ interfuisse Ecclesiæ consecrationi; in illorum etiam sententiam iuisse

vide-

videtur eruditissimus Du Cange, in sua historia Byzantina, de Familijs Augustis Byzantinis; pag. 97. At si tempus ad trutinam reuocetur, narratum perlegemus, eodem consecrationis anno, scilicet 547. Iustinianū Constantinopoli degisse, quod Nicolaus Alemanus in sua ANEKΔOTA, siue Arcana Historia Procopij Cæsariensis in notis ad pag. 34. lin. 27. animaduertit, vbi sic: In Italiam venisse Ciues Rauennates haud probare possunt; & si dedicationi Ecclesiæ S. Vitalis Iustinianum, cum Theodora credant interfuisse, nempe Anno post consulatum Basilij sexto, indictione decima, vt refert Hieronymus Rubeus lib. 3. Nam Theodora eodē illo anno, ijsdemq; diebus, Byzantij grauiter ęgrotans, suæque vitæ timens, in Italiam Belisario scribebat, de Ioanninæ illius filiæ, & Anastasij nepotis sui coniugio maturando, & tandem quarto nonas Iulias diem clausit extremum. Vide Procopium lib. 3. bell. Gotth. & hìc pag. 24. Theophanem ad annum primum, & vigesimum Iustiniani, & has notas ad pag. 24. Venit quidem Rauennam Iustinianus planè adolescens, eoque misus est obses ad Theodoricum Gotthorum Regem à Iustino auunclo exercitus duce, vt Theophilus Iustiniani præceptor exponit.

Quare huic Alemanni obiectioni responderi posse iudico, Iustinianum cum Theodora pręfato Anno 547. Constantinopoli degisse, concedendum esse; At non ita strictè, ac limitatè, vt per breue tempus, nempe per mensem circiter, ab ęadem Ciuitate ipsi abfuerint; scilicet mense Aprilis, quo tempore Ecclesię consacratio celebrata fuit. Non obstat locorum distantia, nempe Constantinopolis à Rauuenna, quæ licet magna sit, nihilominus maritimum est iter, quod breuissimo quandoque completur tempore, quando venti propitij sunt, vt Verno accidere solet: quare peracta consecrationis festiuitate, illicò Iustinianus, & Theodora Constantinopolim rediere, quę post reditū cæpit morbo detineri, ex quo postea decessit. Hęc mea coniectura; si benigno Lectori non arriserit, addo, quòd res difficillima sit, antiquissimæ Historiæ veritatem è tenebris eruere, eò magis, quo vna explicata difficultate, alia insurgit, nempe quod Iustiniani, ac Theodoræ facies, ambos in iuuenili ætate eos repræsentat. Et nihilominus præfato anno 547. Iustinianus erat annorum 64. & per consequens, etiam Theodoram prouectæ ætatis etiam fuisse, asserendum est. Quidquid igitur sit; allatas difficultates Eruditioribus explicandas relinquimus: cum contenti simus orta dubia indicasse. Hìc benignum Lectorem admonitum volo, si hasce tabulas cum illis ab Alemanno, & Du Cange allatis contulerit, pro certo habeat, meas fideliter, & iuxta prototypum fuisse delineatas.

CAPVT X.

De Ecclesia S. Mariæ in Cosmedin, in Rauennati Ciuitate, Anno 553. musiuo ornata opere.

Inter antiquiores Ecclesias Vrbis Rauennæ, quæ flos Italiæ, firmamentum

tum Romani Imperij, ornamentum- **A** que dignitatis erat, iure hoc annumeranda venit Sanctæ Mariæ in Cosmedin Ecclesia, sic à græco verbo Κοσμέω, quod orno significat. Quamobrem in Cosmedin, quasi in ornatu, propter eius miram pulchritudinem denominata fuit. De huius Ecclesiæ fundatione, sic sæpe laudatus Rubeus in sua Rauennatum historia lib. 1. narrat: *Sub id tempus* (scilicet anno 201.) **B** *Rauennę D. Theodoro Martyri, & D. Mariæ Virgini in Cosmedin* (ita eam Rubeus appellat) *templa ædificantur. Quod autem nunc D. Mariæ in Cosmedin vocamus, fons erat, quo aqua Sacri Baptismatis abluebantur pueri, sequentibus temporibus Theodorico regnante, ab Arianis, vt putant aliqui, extructus. Eius rei rota ex marmore quæ in pauimento est, & D. Ioannis Baptistæ, Christum Deum Baptizantis imago in te-* **C** *studinis centro, argumento sunt.* Hæc de fundatione ab eodem Rubeo relata, modo ad Musiuum in eadem testudine formatum transeamus. Testudo hęc ad crateris formam extendebatur, reliqua ædificij pars octangularem præseferebat figuram, vt scribit Fabri in suis memorijs antiquæ Rauennæ, addens; Musiuum ab eodem Theodorico pro suorum Sacerdotum Arianorum vsu fuisse constructum; in **D** eodemque S. Ioannis Baptistæ Christum Baptizantis, & Prophetæ Moysis, ac in girum duodecim Apostolorum imagines affabre insitæ circumspiciuntur, quas Rauennates putant, ab Archiepiscopo Sancto Agnello, qui vt placet eidem Fabri, in Episcopum creatus fuit Anno 553. post expiatam ab omni Ariana labe Ecclesiam, fuisse additas. Præstat nunc singulas eiusdem Musiui operis partes perpendere.

In huius crateris centro stat Christus Saluator Noster in medio Iordanis flumine, vmbilico tenus immersus; ad sinistram veluti in rupe eminet B. Ioannes Baptista, pelle cameli circumdatus, sinistrâ cambucam, dexterâ pateram aquâ plenam detinens; quam supra Saluatoris caput effundit, supra quod columba, Spiritus Sancti symbolum, alas expandit, radiosque gratiæ immittit. De huiusmodi per aspersionem, & immersionem Baptismi mysterio, egimus supra cap. IV. De sacris fontibus Baptismalibus similemque iconem retulimus in nostro opere Vet. Mon. par. 1. cap. 25. vbi egimus de Ecclesia S. Ioannis in Fonte huius ciuitatis Rauennæ. Ad dexteram Saluatoris stat vir quidam sedens, quem Moysem designare laudatus putauit Fabri: at iste sinceræ veritatis sensus non est; nam non Moysem, sed flumen Iordanem repręsentat; consueuit enim cæca Gentilitas fluminum capita binis cancrorum brachijs, quæ denticulatis forcipibus sunt instructa, ornare, at capillorum loco, arundinum frondes exprimere, nec non in manibus arundinem, iuxtaque corpus vas inclinatum aquam fundens ponere, quæ omnia symbola ad ipsa spectant flumina; nam cancrorum brachia propriè Iordanem fluuium denotant, cum fluuius hic æstiuis mensibus plenior factus, eodem modo, quo & Nilus, agros plurimos inundet, vt narrat Aristea, seu quidam alius Auctor ad Philocratem fratrem in historia 70. Interpretum. Sol enim quando ingre-

ditur

TAB.XXIII



pag 78



diturCancri signum, tunc verã inchoat æstatẽ; & cum æstas calore abundet, & aquâ etiam indicata per piscem cancrum ostendat humidum, ex quibus rerum omnium generatio resultat, cum tota generationis vis non nisi in humido, & calido consistat. Insuper arundines ad fluminum ripas nasci solent; vas ex quo aqua effluit, ipsum amnem fluentem significat: & hæc satis de hac figura. Modo exteriores consideremus, ac incipiamus à numero I. vbi gemmatum cernitur solium, supra quod est puluinar, & supra hoc gemmata attollitur crux: non valdè absimilem retulimus iconem in cap. 22. nostri operis Vet. Mon. par. 1. vbi aliqua de Cruce gemmata, & throno exposuimus, ideò breuitatis gratiâ calamum suspendimus, & benignum Lectorem ad eundem remittimus locum. Ad eiusdem throni sinistram stat S. Petrus duas claues manibus stringens, quæ duæ sunt illæ claues, quas Christus Dominus noster ei tribuit, dum dixit: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram erit solutum & in cœlis*, vt Matthæus cap. 16. num. 19. scribit. Ad dexteram verò prædicti throni est S. Paulus volumen manibus gestans; quid per volumen indicetur, nil aliud esse puto, nisi illam doctrinam, quam Christus ei infuderat, dum dixit: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel.* Aliqua etiam dicenda essent, cur Sanctus Paulus â dextris, & Sanctus Petrus à sinistris expressi sint, prout etiã hodie in sigillis plumbeis, quæ Bullis Pontificijs appenduntur, obseruatur, quæ cum sit à pluribus agitata quæstio; Ideo breuitatis gratia prætermittitur; solummodo sat sit indicare, B. Petrum Damianum in Epistola ad Desiderium Abbatem Montis Casini, Bellarminum Tom. 1. lib. 1. de Rom. Pon. cap. 27. & quoad Bullas Pontificias Pyrrhum Conradum in sua Praxi Dispensationum Apostolicarum, lib. 2. cap. 4. num. 7. hanç fusè tractare quęstionem. Reliquæ autem imagines cęteros decem Apostolos repręsentant, qui coronas aureas manibus deferunt, quasi in actu oblationis. Similia ferè Hieroglyphica retulimus in cap. 25. dicti nostri operis Vet. Mon. par. 1. ideò ne appareat nos velle refrigere crambem, & cum gaudeant breuitate Moderni, ad alia properamus.

C A P V T XI.

De Ecclesia S. Apollinaris in Classe Rauennæ, ornata musiuo opere, circa Annum 567.

EVntes in Vniuersum Mundum, prædicate Euangelium omni Creaturæ. Marc. 16. 15. Præceptum Domini Saluatoris Nostri est, suis Apostolis datum, quod cum B. Petri Apostolorum Principis cordi insitum esset, eidem ipse Dominus animarum tradidit curam: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in Cœlis. Matt.* 16. 19. Volens propterea idem B. Petrus Dominicum mandatum executioni committere, quod per se ipsum facere non potuit, per alios

excqui

exequi curauit. Beatum igitur Appollinarem ad hoc explendum munus Rauennam misit; vt Verbi Dei Præco esset; Iste Apostolico obtemperans mandato eadem in Ciuitate Euangelicam promulgauit veritatem, illamque ab Idolorum cultu reuocauit, ac ad Christianam conuertit fidem. Tanti ergò beneficij ipsa memor Ciuitas, quatuor in eiusdem Appollinaris honorem, diuersis temporibus, erexit Templa; quorum primum, & celebre est, quod in Classe denominatur, de quo nunc sermo; sic dictum, quia ibi Populi Romani Classis portus erat, Portusque nouus appellabatur, vt fusè demonstrat Cluuerius in sua Italia antiqua. De huiusmodi Classe celeriter perficienda, pulcherrima est Theodorici Regis epistola, ad Abundantium Præpositum, apud Cassiod. lib. 5. Epist. 17. cuius pars est:

A B C D

„ Nunc prædictis rebus armamenta „ procura, Vela præcipuè alas na„ uium facientia, Linum Volatile, „ quidam Spiritus currentium Cari„ narum, prænuntia mercium, au„ xilia quieta Nautarum, quorum „ beneficio conficiunt otiosi, quod „ à celerrimis auibus vix probatur „ impleri. Hoc Isis rati prima suspen„ dit, cum per maria Apochran fi„ lium suum audaci fœmina pietate „ perquireret. Ita dum Materna cari„ tas suum desideriũ festinat explere, „ mundo visa est ignota reserare. At„ que adeo diuino nobis auxilio suf„ fragante, cuius virtutis est homi„ num Vota perficere, proxima die „ Iduum Iuniarum ad Vrbem Ra„ uennatem congregatio Nauium „ cuncta conueniat: quatenus res de „ vicino fine gaudentes, ad pleniſ„ simum perducantur effectum. Sed „ quoniam Dromonum numerum „ Iuuante Deo cupimus ampliari, si „ qua ligna fabricis eorum necessa„ ria per vtramque Padi Ripam po„ tuerint inueniri, nullo obsistente, „ iubemus abscindi. Quia sine præ„ iudicio Dominorum operi tantum „ præsenti volumus iniuncta conce„ di. Mittat Padus noster indigenas „ Pelago Naues, & abies, quæ flu„ entis amnicis nutrita surrexit ma„ rinarum superare cumulos discat „ vndarum. Hæc Cassiodorus: At vnde discesserat sermo reuertatur. De Laudati Templi fundatione, sic Rubeus in sua Rauennati Historia lib. 3. ad Annum 545. fatur. Per „ idem tempus Virſicinus Archiepiſ„ copus Rauennas, Iulianum Argen„ tarium in Ædificationem Augu„ stissimi Templi D. Vitalis incum„ bentem, hortatur, vt ad vnius Pa„ troni Ciuitatis Templum, alterum „ adiungeret D. Appollinari, & ge„ minata pietate ambos Rauenna„ tum Diuos Tutelares honore effi„ ceret. Id cum Iustiniano Argenta„ rius significasset, & Cæsar fuisset „ assensus; ad Classem, vbi Templum „ ignobile D. Appollinari exstru„ ctum erat, maius ac Nobilius Tem„ plum edificauit, quod ad hanc „ diem exstat, ipsam egregij operis „ admirabilem antiquitatem præse„ ferens. Non me latet, hoc ab Nar„ sete ædificatum plerosque scribere, „ sed Ricobaldo, & alijs, Iustinia„ no per Argentarium, Argentario„ ue ipsi adscribentibus, ego pluri„ bus de causis libentiùs assentior: „ accedente ad hæc vetustissimo la„ pide in ipso Templi medio, lit-

teris

TAB. XXIV

MOSES

HELIAS

SALVS MVNDI

SANCTVS APOLENARIS

MICAEL

GABRIEL

MATHEVS

A

B







pag. 81

„ teris eius sæculi sculpto, in quo le-
„ gitur, Maximianum Archiepisco-
„ pum Rauennatem, templum illud
„ ab Iuliano Argentario mandato
„ Vrsicini Archiepiscopi ædificatum,
„ consecrasse. Blondus omnium sen-
„ tentia decipitur, qui de illustrata
„ Italia scribens, id ab Theodorico
„ ædificatum putat; Hæc Rubeus,
„ qui paulò post ad annum 549. in
„ supra relato lapide contenta sic re-
„ fert.
„ D. Apollinaris Sacerdotis Ba-
„ silicam mandato Beatissimi Vrsi-
„ cini Episcopi à fundamentis Iulia-
„ nus Argentarius ædificauit, orna-
„ uit, atque dedicauit, Consecrante
„ verò B. Maximiano Episcopo die
„ nonarum Maij indictione XII.
„ octies P. C. Basili.

Asserit autem Fabri in suis memorijs Rauennatum fundationem hanc factam Anno 545. ac quatuor post annos à Sancto Maximiano Archiepiscopo consecratam fuisse, vt ex supradicta inscriptione. Breuiter huc vsque Classici templi fundationem descripsimus, vt nobis laudatus suppeditauit Rubeus; modò ad Musiui operis enarrationem deuenimus, cuius exemplar sub oculis pono in Tabula XXIV. In cuius medio, ac Tribunæ summitate, in circulo Saluatoris imago veste violacei coloris induti, cernitur, vt figura 1. Ad eius dexteram S. Matthæus & S. Ioannes, vt figura 2. & 3. Ad sinistram S. Marcus, & S. Lucas, vt figura 4. & 5. omnes Euangelistæ sub animalium, ac Angeli symbolis, expressi sunt. Cur autem in hisce repræsententur figuris, diximus in nostro opere Vet. Monim. part. 1. cap. 21. & alibi, ideò ad alias ex-

A

plicandas Imagines calamum conuertimus. Sub hisce animalibus quinque ad eiusdem Saluatoris dexteram, sex ad sinistram oues delineatę cernuntur, erectis capitibus Saluatorem versùs gradum facientes: iuxta eas duæ apparent Ciuitates, à quibus ipsæ egrediuntur oues; quidue per Ciuitates indicetur, disseruimus itidem in dicto nostro opere Vet. Monim. cap. 21. & 23. nempe oues significare fideles; ciuitates verò vna Hierusalem, alteram Bethlem.

B

E nubibus egrediens manus apparet in ipsius arcus sublimitate, vt figura 6. quæ in alijs pariter Musiuis operibus obseruatur. Quid autem fideles per manum hanc significare intenderint, nobis patefacit Isaias cap. 66. num. 2. *omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt omnia, cuius summa potestas* Ieremias verò cap. 18. nu. 6. sic declarat: *sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea Domus Israel*;

C

Quam auctoritatē B. Eucherius Episcopus Lugdunen. qui quinto floruit seculo, in lib. formularum spiritualium cap. 1. exponit: scilicet, Quòd *per manum Domini ipsius potestas demonstretur*. Idem etiam confirmat S. Prosper Aquitanicus in expositione Psalmi 118. Verbo Iob. Sacro huic symbolo aliud annectitur, nempè transfiguratio Christi Domini, in qua

D

Moyses, & Helias adstiterunt, vt narrat Euangelista Matthæus cap. 17. n. 3. *& ecce apparuerunt illis Moyses, & Helias cum eo loquentes*. Christus ergò per crucem gemmatam, inter eos medium locum occupantem adumbratus est, quæ à circulo pariter gemmato, veluti corona circumdatur, cuius in superficie variæ dispersæ

 efful-

effulgent aureæ ftellulæ, vfque ad nu- A merum nonum fupra nonaginta, veluti Cœlum repræfentantes: in cuius fummitate hæ perleguntur literæ. IMDYC. quas fic interpretor: Immolatio Domini Iefus Chrifti, quæ Immolatio ad B. Pauli Apoftoli Verba, in epift. 1. ad Corinth. cap. 5. n. 7. refertur. *Et enim Pafcha noftrum immolatus eft Chriftus.* Ad explicationem hanc alludere videntur Voces, in eiufdem Crucis calce expofitæ, fci- B licet, *Salus mundi*: itidem ad dexteram lit. A & finiftram lit. Ω, quarum prima Alphabethi Græci initialis eft, fecunda verò eiufdem alphabeti finis; quibus characteribus prifci fideles ipfum Deum figurabant, vt Euangelifta Ioannes in Apoc. cap. 1. num. 8. & 22. num. 13. fcribit: *Ego fum Alpha, & Omega, nempè principium, & finis.* Quamobrem hoc fymbolum ad ipfum Chriftum crucifixum, C & transfiguratum applicari, abfonum haud effet. Nolo hìc fub filentio præterire explicationem, quam huic hieroglyphico tribuit Vitalis Aqueductius Monachus Cameldulenfis in lib. M. S. qui in Archiuo Monafterij Claffenfis Rauennæ afferuatur, cui Titulus: *de ædificatione, & mirabilibus ædis Diui Apoftolici Apollinaris in Ciuitate olim Claffenfi*; vbi pag. 3. fic fcribit: liberatæ poftmodùm per D

„ Maurum XXXIV. Rauennati Ec-
„ clefiæ ex Romanornm iugo Repa-
„ ratus XXXVI. fuffectus eft, qui
„ fecit Sacrarium magnum, vt & ho-
„ diè vifitur opere Emblematico,
„ in cuius medio Crux eminet orna-
„ tu margaritarum fortiffima, cæ-
„ ruleo colore, fuper quam hæ vi-
„ funtur literæ teffelatæ XIDVC.
„ denotantes vndecimo anno Impe-
„ ratoris, vel Archiepifcopi quin-
„ gentefimo nonagefimo quinto Sal-
„ uatoris opus fuiffe expletum. Cir-
„ cùm circà effulgent aurata fijdera
„ XCIX. præfigurantia pecudes, de
„ quibus in facris Hiftorijs legitur;
„ fed & eadem circumdatur lapillis,
„ gemmifque variantibus, in cuius
„ medio Sudarium Chrifti vifitur,
„ diuina (vt fertur) arte fabrefa-
„ ctum: Infcripta hęc legimus Verba:
„ Salus mundi. à dexteris effigies
„ clara Moyfis, à Siniftris verò Helię.
„ In fuperiori parte, & inferiori, ma-
„ nus fummi Dei, vt in Euange-
„ lio habetur, transfiguratũ demon-
„ ftrans Chriftum; Hic eft filius meus
„ dilectus. A dextero latere eiufdẽ S.
„ Crucis ouis refidet fola, à finiftro
„ duę fignificantes Petrum, Ioannẽ, &
„ Iacobũ, Apoftolos. Ab hac Aque-

ductij explicatione primò recedo in literarum lectione fupra crucem expreffarũ, quoniam ipfe legit XIDVC. ego verò iuxta exemplum mihi tranmiffum lego IMDYC. quod cum originali conferri curaui, ac fideliter delineatum fuiffe, compertum fuit. Secundò Aqueductius Crucem, Sudarium nominat; quamobrem in hoc erraffe etiam iudico; quoniam Sudarium illud lentiolum propriè dicitur, quod Sudorem detergit, quodque nos fideles Sudarium Veronicæ appellamus; in reliquis eidem Aqueductio affentimur. Hæc de delineato facro fpherico fymbolo, eiufque adiacentibus figuris dicta fint fatis. Itaque ad alias infra pofitas defcendemus.

Subtùs circulo S. Apollinaris ftantis Imago repræfentatur, qui brachijs eleuatis, & capite redimito,

ac

ac veste, pallioque Pontificio albo, casulâ verò aureâ indutus stat.

In Area, à S. Apollinaris lateribus, veluti mons exurgit, arboribus, plantisque ornatus, super quem spatiātur aues. Ad eiusdem S. Apollinaris pedes sex ad dexteram, totidemque ad sinistram efformatæ sunt oues, duodecim Apostolos indicantes; vt innuit Matthæus cap. 10. n. 16. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.*

Extra Arcum ad dexteram, expressa est S. Michaelis Archangeli figura, alba veste, pallioque violaceo auro intermixto, induti; veluti Labarum dextra extollentis. Ad sinistram est Angelus Gabriel, habitu coloris crocei circumdatus. Ad Michaelis pedes semidiruta imago est, quæ S. Matthæum, crocei coloris vestimentis indutum repræsentabat; vt epigraphes ostendit. Ad alteram partem simili modo semidiruta est imago, quæ adeò deformata cernitur, vt vix, an imàgo sit, dignosci permittat. Propè S. Mattheum, veluti tentorium extenditur, lit. A. indicatum, intrà quod octo pariter semidirutæ imagines apparent, Sacerdotalibus, Clericalibusque vestibus indutæ, quarum duæ caput diadematum præbent, alia thuribulum regit. Quid per has indicetur figuras, infrà ostendam.

Præter has imagines, aliẹ sese offerunt in opposito angulo, lit. B. demonstrato vbi est Vir quidā barbatus, mensẹ insidēs, ac duo alij, & puer quidam stantes cernuntur. Ambo emblemata A. & B. laudatus Fabri in suo opere sacrarum memoriarum Rauennatum, part. 1. & hanc Ecclesiam sic describit: *Tota Tribuna nobili* A *nobili Musiuo opere redimita cernitur cum effigie in vna parte S. Vrsicini Archiepiscopi, cuius æuo ædificationis Ecclesiæ initium fuit. In altera verò est imago Constantij Imperatoris, qui actu porrigendi librum priuilegiorum Reparato Archiepiscopo stat; quæ priuilegia ipse Reparatus ab illo Imperatore, ab Apostolica sede alieno, Anno 662. cum Constantinopolim accessisset, petijt, facillimèque obtinuit,* B *quibus continebatur: Rauennatem Archiepiscopum, Romano Pontifici minimè subiectum esse.* Quod Fabri narrat, ex supramemorato Vitali desumpsisse, videtur; dùm ipse Vitalis sic recitat: *Iis temporibus, dum hæc construerentur, Reparatus Præsul Constantinopolim petijt, & ab Imperatore recessit votorum compos suorum; et si intentiùs oculis inspexerimus Imperatorem, tessellato ibi opere, Re-* C *paratum comiter suspicientem, atque ei Priuilegia, pro liberatione Rauennatis Ecclesiæ confirmantem, procul dubio videbimus. Ad pedes Reparati hæc carmina compacta legimus.*

His igitur socius meritis Reparatus vt esset
Aula nouos habitus fecit, fragransque per æuum

Et ad caput Imperatorum legitur.
Constantinus maior Imperator Hera- D *clij & Tiberij Imperatorum. Quæ quidem sic omnia habentur in Gestis Reparati &c.*

Allegatis enarrationibus acquiescere minimè annuo cum valdè de istis carminibus dubitandum sit, nullumque appareat vestigium, vbi nam fuerint, nullusque de illis scriptor mentionem faciat; vlteriùs si examinemus inscriptionem,

quæ super Imperatoris caput erat, vt vult Aqueductius, nullam habet significationem, quam plurimis obiectionibus demonstro. Qualis sit ille Constantinus Maior, & cur dicatur Maior, Aqueductius id minimè exponit. At subiungo, asserere fortasse voluit, senior, & si seniorem admittere, arbitramur, neque Constantinum Tertium filium Heraclij, qui Iuuenis erat, & quatuor tantum menses regnauit, â Nouercâ veneno sublatus. Quare dicendum est, fuisse Constantinum Pogonatum, qui â prolixa barba sic dictus fuit, ac duos fratres minores Heraclium, & Tiberium in Imperium adsciuit, quos posteâ necauit; propterea hunc esse Constantinum maiorem, fatendum est.

Secundò dico, quòd si hæc admittenda sit explicatio, dicendum est; Musiuum opus, non â Iuliano Argentario, tempore Vrsicini Episcopi fuisse factum, vt legitur in allata marmorea inscriptione, declaratque Vox illa *ornauit*; sed post Reparati tempora, & si post hæc tempora factũ fuisse asseratur; respondeo, quod nulla penitus de hoc insigni opere extat memoria; quando autem secunda inscriptio admittenda esset (quod non approbo) aliquid in ea desideratur, nempè vox *frater*, quamobrem sic eandem legendam esse, puto: *Constantinus Maior Imperator, Heraclij, & Tiberij Imperatorum frater*.

Tertiò obijcio, quòd figura mensę accumbens, ex exteriori indumento, quod in pectore ligatum habet, Imperatorem minimè repræsentat; Imperatores enim latini chlamydem gestabant, quæ suprà dexterum humerum fibulâ alligabatur. Græci verò A vtebantur veste Dalmatica, vt videre est apud Du Cange in suis Familijs Bizantinis.

Quartò obicio; mensam apparere cum cibis; quoniam visuntur in ea Vas ansatum, & duo panes, ac quid aliud.

Quintò nullum apparet signum, quòd Imperator aliquid porrigat adstanti, vt supramemorati innuunt Auctores: imò coniunctas habet manus B aliquid tenens.

Sextò obicio indumenta Adstantium ita se habere, vt ex illis nemo arguere possit, quòd Episcopus sit.

Septimò dico, figuram ad sinistram sedentis demonstrare se eidem sedenti offerre puerum.

Octauò obseruo, in eadem figura sedente capillos admodum in longum protensos, quos breuiores, vix aures tegentes in Nusmimatibus, tam Con- C stantinum Pogonatum, quàm alios Imperatores detulisse colligo, vt apud laudatum Du Cange in citatis Familijs Bizantinis videre, quisque potest.

His igitur obiectionibus, obseruationibusque factis, alia eidem emblemati dilucidatio requiritur, quæ vt clara sit, ab alto sermonis exordium sumendum est. Assero igitur, D. Agnellum ex Nobilissima prosapia Rauennæ ortum, eiusque Ciuitatis iam D senio confectum in Archiepiscopum à Clero, & populo fuisse electum; quem Musiui operis Auctorem agnosco; quoniam ergà Catholicam Religionem, zelum, nec non Pâtriam suã amorem ostendere volens, inter alia zeli, ac amoris pignora, quæ Posteris reliquit, ac de quorũ extat memoria; hoc est, quòd Arianorum hæresim à Theodorico Gothorum Rege,

Rauennæ introductam, studuit pro viribus extirpare, Templumque B. Georgij propè Argentam ædificauit, bonaque omnia à Gothis possessa, ac vsurpata Ecclesiæ Rauennati, ab Imperatore Iustiniano impetrauit restitui, Ecclesiasque omnes, ab ipsis Gothis detentas, ab omni Hæresis expiauit labe; pariterque Monasterium SS. Matthæi, & Iacobi in Classe, ac S. Marię in Cosmedin, nec non S. Mariæ in Cœlo aureo, ac S. Appollinaris noui, mirificè Musiuis ornauit operibus; & in Metropolitana Ecclesia marmoreum suggestum construxit, nec non eandem Ecclesiam magna illa argentea Cruce, quæ adhuc seruatur, ditauit. Ex ijs igitur monimentis clarissimè deducitur, qualis, ac quantus B. Agnelli, in ordinandis, ditandisque Ecclesijs, peculiaris amor fuerit.

His animaduersionibus admissis, alias probabiliores addere putabam. Ad quas fundandas operæ pretium exigebat, quod laudati Rubei Historiolam de Iustiniano Imperatore, antequâm Imperij habenas suscepisset, illiusque Rauennæ aduentum, referrem: Rubeus igitur ad Annum 526. præfatam narrat historiam, quam hìc integram exponimus, cùm eam in superiori Ecclesia S. Vitalis abbreuiatam retulerimus. Hoc loco (inquit Rubeus) putaui non omittendum, quod scribitur in Commentariolo de ædificatione Templi B. Vitalis à Ioanne Petro Ferretto conscripto, & apud Cassinates eius Templi Monachos adhuc seruato. Id enim, licet penes me haud omnino constet, examinaui tamen non ingratum futurum ijs, qui varias veterum sententias amant. Scribitur itaque seditione oborta, Iustino trucidato, eius filium Iustinianum, quamquàm plerique ex sorore nepotem dicant, cum impuber esset, ab Nutrice tumultum fugiente, ne quid puero mali accideret, Naui impositum, Rauennamque deuectum, apud celeberrimum Mercatorem, & ditissimum, cui Iuliano Argentario nomen erat, diuertisse; Nutrice nihil patefaciente de stato pueri, ne si cognosceretur, hostes paterni, qui maximè valebant, interficiendum curarent. Iulianus, cum ei filius non esset, Iustinianum vnicè diligebat, puerum optimæ indolis, & suauissimis moribus, studuitque bonis literis imbuendum. Atque hoc pacto, quinque annos, apud Argentarium vixit Iustinianus, quo toto temporis interuallo, Bizantij nunquam pluisse, decidisse rorem, ferunt; Deo Religiosissimi Principis mortem, & innocentis pueri calamitosum exilium vindicante. Cum autem vti consueuerat, Nutrice sic edocente, nocte quadam, certa hora, hymnis Deum esset veneratus, ac cum versa Nutrix, quid inquit, fili mi, moraris, cum Sanctissimus Christi miles Vitalis quotidiè innumeris penè miraculis hìc sit Illustrissimus, quin votum illi nuncupes, si ad Imperium, quod tibi hæreditarium est, reducaris, te illi templum ad D. Sophiæ, quod est Bizantij, imaginem ædificaturum in hac Vrbe, in qua tam pacatè, ac tranquillè exilij calamitatem huc vsque traduxisti. Fecit Iustinianus, quod consulerat Nutrix, quamquàm quomodò vouere potuit tẽplum

plum ad eius simulacrum, quod A Byzantij D. Sophiæ erat, cum nondum illud ædificatum esset. Ipse enim Iustinianus dum imperaret, Christo qui sapientia patris appellatur, admirabile templum Byzantij in Persicæ Vandalicæ, & Gothicæ Victoriæ monumentum, cum esset iam incendio combustum, vti testatur Procopius, restituit, ac ditauit; cuius figuram B. Vitalis templum augustissimum, ab eodem B ædificatum referre constat, atque idcircò plerique putant, duo templa vouisse, alterum Christo, si Diuina sapientia modum patefaceret, quo posset in Imperium restitui: D. Vitali alterum, si id sibi daretur eius precibus, alij verò D. Sophiæ Templum â Constantio Constantini primi Cæsaris filio ædificatum, â Iustiniano instauratum fuisse, affirmant. Sub id tempus Byzantij C imbrium tam diuturnam penuriá, vndè & fames acerrima, & rerum omnium indigentia prodijt, in scelera, quibus Illustrissimum Principem, aut interfecerant, aut interfici permiserant reijcientes, futurum rati, vt Deus placaretur, si filium eius, aut ex sorore nepotem quærerent, & in Imperium reducerent. Legatos varias in regiones emittunt, qui adolescentem diligenter D perquirant; inter eos principem locum habuerunt, qui venerunt Rauennam, quòd facile factu putarent in longè omnium nobilissima Vrbe, vt moraretur, hùc igitur cum accessissent, & per omnem Ciuitatem aduentus sui causam inuulgassent, Argentarius, qui Adolescentem nouerat, egregia præstantique indole, nescio quid Augustum præseferentem, ad Legatos rem omnem defert, de qua cum multus vtrinque sermo habitus esset, inter eos tandem sic constituitur, vt postridie domum Argentarij coenatum se conferant; facultatem habituros, vt libuerit Iuuenis mores, indolem, ac formam speculari. Quòd cum fecissent, iam accumbere parerent, accessit Iustinianus, manibus aquam infundens, quòd semper præstanti elegantia consueuerat, illum, cum esset intuitus, diligenter vnus ex Legatis, qui puero, viuente Iustino, familiaris fuerat, nouit Iustinianum esse, & confestim ingenti gaudio vocem tollens, prouoluitur ad eius pedes, eumque Cæsarem prædicat; vndique ab Rauennatibus certatim concurritur. Sed Iustinianus, vt erat ingenuo pudore, moderatè se gerere, renuere Cęsaris Titulum; sibi satis futurum, si in Patriam, omnium bonorum consensu, reditus tuto pateret. Obortas præ gaudio lachrymas non continent Nutrix, Iulianus Argentarius, & Ecclesius Archiepiscopus: Hanc narrationem, quam Rubeus ex supramemorato Ioanne Petro Ferretti descripsisse fatetur, puto Ferrettum ex antiqua consarcinasse traditione.

At quam fallax, pronusque ad errores sit ignarus vulgus, experientia rerum magistra abundè docet, nam veritatem opprimit, nec vllam defert certitudinem, vt allata Ferretti id nos docet historia, siue potius fabula, cuius nullus meminit Scriptor, ideò tanquàm fabularum congeries excipienda est. Hanc ad trutinam adducamus

ducamus; Quandonam igitur Iustinus trucidatus fuit ex vulnere sagittę in bello pedi infixæ; Iustinianus quomodo Iustini tempore viuebat Impuber, cum natus esset Anno 583. & Cęsar declaratus â Iustino Anno 527. sicque tunc ætatis annorum 44. quid dicendum de annis quinque, quibus Iustinianum Rauennæ permansisse narratur; cum statim defuncto Iustino, Iustinianus liberè Imperij habenas susceperit, quos per menses quatuor antea ipso viuente Iustino regebat. Quid dicendum de pluuia, fame &c. de quibus Chronologi silent? Quinplures alias animaduersiones adducendi mihi liber esset campus, at breuitatis gratia omitto. Supradictam igitur historiam, primâ fronte vt veram admissam, nunc fabellam ex supra indicatis affirmo. Quamobrem ad alia excogitanda animum addixi. Obidque ex narratis desumpsi argumentum sequentem concinandi historiam, quæ ipsum declarat emblema, hocque illam confirmat. Dico igitur: Anno 448. Iustinum ortum fuisse in Illirico, cuius Natales Procopius, cum eodem Iustino Syncronus, in sua Anekdota historia sic narrat. Byzantij Leo summam habebat Imperij, cum tres in Illyria nati, exercendisque agris assueti Adolescentes Zimarchus, Ditybistus, & Iustinus (cuius Bederiana patria fuit) summæ, quâ domi premebantur egestatis vitandæ causâ, militiam sequuntur, pedibusque Byzantium veniunt, reiectis post terga sagis, in quibus prętor secundarios panes, nihil eis, quod reconderent, ex re domestica fuit. Numeris militaribus inscripti ab Imperatore, vtpotè egregiâ corporis formâ conspicui, ad Regiæ custodiam seliguntur. Imperio deindè potitus Anastasius, in Isauros, qui arma sumpserant, florentissimum immittit Exercitum, quem Ioannes Gibbus ductauit. Is Iustinum criminis reum includit carcere, postridiè statim capite plectendú. Verùm vt Dux ille narrare solebat, à proposito deterretur, viso per quietem sibi, qui proceritate, ac reliquo corporis habitu prętantiùs quid homine pręseferret, iuberetque dimitti, quem pridiè tradidisset custodiæ. Ille somno excitus non magni ducit, quæ in somno visa forent, nocteque in sequente, ijsdem in quiete visis & auditis, ac nihilominùs neglectis; tertiò ab eadem illa specie atrocioribus minis exagitatur, vt dicto pareat: Nam hoc inquit, homine huiusque propinquis opus cum primis erit, quando ira mihi mox concitabitur. Sic mortem euadere Iustino contigit. Tempore deinde procedente magnam is consequitur potentiam, Prætorianis militibus Pręfectus ab Anastasio Principe. Hæc de Iustino Procopius, modo meam prosequor narrationem Iustinianus natus ex Iustini sorore nomine Vigilantia, seu Bicheniza, in Oppido Taurusio in Illyrico; Anicio Fausto V. C. sine Collega Consule, scilicet Anno Vrbis conditæ tunc recurrente 1235. Christi verò 483. Patrem habuit Sabatium, ab Illyricianis Istokum appellatum, cuius soror nupta erat Selimiro Dalmatiæ, & Seruiæ Regi. Educatus deinde fuit in Ciuitate Bederiana. Anno 517. Iustinus electus

ctus fuit Imperator,qui poſtea 5.Apri- A
lis Anni 527. Iuſtinianũ Cæſarem declarauit, quo tempore ipſe Iuſtinianus erat ætatis Annorum 44.

His præmiſſis, Nicolai Alemanni, eruditiſſimi Viri, notas obſeruo in Anekdota hiſtoria laudati Iuſtiniani, vbi ad pag.43.lin.27.inquirit,an Iuſtinianus Rauennæ fuerit, concluditque ibidem planè Adoleſcentem fuiſſe, ibique miſſum in obſidem ad Theodoricum Gothorum Régem à Iuſtino B
Auunculo, tunc exercitus Duce, vt Theodoſius Iuſtiniani Præceptor exponit. Ex hac Alemanni animaduerſione quæro;quonam Anno hæc acciderit legatio, ſiue miſſio; & colligo, id contigiſſe Anno 497. quo Theodoricus, Anaſtaſio Imperatori, pro procuranda pace pulcherrimam ſcripſit Epiſtolam, quam refert Caſſiodorus lib. 1. Epiſt.1. eamque citat Baronius ad Ann.493. ſed in variorum C
notis, quæ ſunt appoſitæ ad eandem Epiſtolam, in operibus Caſſiodori, animaduertitur, à Theodorico interemptum fuiſſe Odoacrum Prędeceſſorem ſuum in Regno, Albino V. C. Conſule, Anno ſcilicet Chriſti 493. Imperij Anaſtaſij ſecundo; Eandem verò Epiſtolam aliquot poſt Annos ſcriptam videri. Quare ſtante hac animaduerſione, ſupradictam Epiſtolam reijcio ad Annum 497. quo D
tempore Iuſtinianus agebat Annum 14. Idque infero ex ſupracitati Theodoſij auctoritate,qui penè Adoleſcentem fuiſſe Iuſtinianum ſcribit, tempore quo, is ab Auunculo in obſidem miſſus fuit. Poſt hæc aliud inſurgit dubium dilucidandum: an ſcilicet, qui menſæ accumbit, ſit Theodoricus, cum proceræ ſtaturæ appareat. Talis autem ille erat, vt narrat Aimonius de Geſtis Francor. lib. 1.cap.10. & Sidonius Appollinaris lib.1. Epiſt. 2. vbi tam corporis, quàm animi qualitates fuſiùs deſcribit; quæ adamuſſim figuræ noſtræ adaptari poſſunt. Qui ad eius ſtat dexteram, Legatum eſſe opinor,à Iuſtino tunc Duce miſſum, pro componenda pace, qui aduenientem obſidem ſiniſtra manu Theodorico indicat, quaſi dicens: Obſidem, quem vides, eſt Iuſtini Ducis ex Sorore Nepos. Ad ſiniſtram ſtat idem Iuſtinianus Adoleſcens, cui adhæret Theodoſius illius Præceptor. Non obſtat, quòd ab aliquibus obijci poſſit, veroſimile minimè eſſe, Theodoricum Regem voluiſſe Legatum admittere, dum menſæ accumbebat; ſed facilè dubium euertitur, nam Legatus pro componenda pace, iam ab aliquo tempore Rauennæ commorabatur, & inter alia pacis pacta, illud erat, quod Obſides darentur; Quamobrem ſtatim atque Rauennam Obſes,ex parte Imperatoris acceſſit, illicò eundem ad Theodoricum Legatus duxit;ille licet menſæ accumberet, Legatum cum Obſide introduci,permiſit. Erat enim Theodoricus in omnibus ſuis actionibus valdè ſollicitus, vt eum deſcribit citatus Sidonius Appollinaris. Ijs expoſitis, genuinam emblematis explicationẽ me patefeciſſe, autumo;ſi metam attigerim, tu benigne Lector iudicare poteris.

In oppoſito emblemate ſemidiruto ſignato lit.A. ex parietinis deduco; Eccleſiæ conſecrationem, à Maximiano Epiſcopo Rauennate factã, procul dubio oſtendere. Quare concludo B. Agnellum, eiuſdem Maximiniani

miniani successorem, huius Musiui A operis Auctorem fuisse, qui sicut suum zelum, & amorem in ædificandis, ornandisque Ecclesijs contestatus est (vt infrà patebit) ita etiam in hoc Classensi Templo patefecit; & quod animaduersione dignum existimo, illius erat præcipua cura, vt illorum perennaret memoria, qui Rauennatem Vrbem aliquo illustrarunt beneficio, siue actione; Quamobrem hæc Iustiniani in Obsidem Rauennam missi Musiuo B opere exprimi duxit.

CAPVT XII.

De S. Apollinare Nouo Rauennæ, ac illius Ecclesia, Musiuis decorata Picturis circa annũ 570.

QVantus fuerit, ac semper creuerit Rauennatum erga B. Apollinarem cultus, quantaue C deuotio manifestè deducitur ex Ecclesijs in eiusdem Sancti honorem constructis. Quatuor enim eadem in Ciuitate spectantur, quarum prima, antiquiorque omnibus Ecclesia Sancti Apollinaris in Classe est, de qua iam in superiori cap. XI. disseruimus. Secunda S. Apollinaris Noui, de qua nunc sermo: Duæ aliæ pariter extant. Vna sub S. Apollinaris in Veclo, altera S. Apollinarini, nempe S. Apol- D linaris parui, à paruo ædificio ita denominata: Has duas posteriores, vtpotè musiuis carentes operibus, & ad institutum nostrum minimè pertinentes, præterimus. In huins Sancti honorem, viginti alias Ecclesias diuersis in Ciuitatibus constructas enumerat Fabri in suis Memorijs sacris Rauennatum, inter quas hìc Romæ, duas fuisse enunciat; Vna autem tantùm adhuc extat. Iure igitur Rauennates talem, ac tantum huic Sancto exhibuerunt honorem; cum eorum fuerit Pater, nempe eos ad salutem regenerauerit; tùm etiam quia ab alijs maximus eidem Sancto fuerit tributus honor.

Ecclesiam igitur S. Apollinaris Noui, à Theodorico Gothorum Rege fundatam, ac in honorem S. Martini simul dicatam, atque in Cœlo aureo appellatam fuisse, narrat laudatus Fabri; quam postea Episcopis Arianis pro eorum Cathedrali ipse Theodoricus Arianus assignauit. Successiuè Iustiniano Imperatore permittente, ab omni Ariana superstitione, omnia simul alia templa, ab eisdem Arianis occupata, purgata fuere. Hæc eadem Ecclesia ad verum Dei cultum ab Agnello Archiepiscopo sic traducta, Musiuoque, ac mirabili opere picta, diuersisque Martyrum, Virginumque imaginibus ornata fuit circa ann. 570. tradit idem Fabri. Inter has imagines, supra ianuam, egredientibus sinistrorsum, ipsius Iustiniani Cesaris apparet musiua effigies, quam referimus in annexa Tab. XXV. Alia verò musiua opera sequentes ostendunt Tabulæ. Illa XXV. ad dexteram ingressus, multa, variaque repræsentat, quæ pro maiori Lectoris intelligentia in tria diuido segmenta. Primum igitur, siue superius in duodecim, aut potiùs in tresdecim, diuiditur quadrata, in quibus musiuo opere exprimuntur, veluti semithola strijs ad conchæ formam inter distincta, in quorum singulorum summitate parua eminet Crux: ab huius lateribus duæ sunt aues, quas Colum-

bas autumo; ex eadem summitate suspensæ coronæ pendent. Quid istæ indicent picturæ, in explicatione laborandum minimè esse affirmarem, cum similia Ecclesiarum ornamenta ad Musiuarij placitum, vt plurimùm efformentur. Nihilominùs cum possint alicuius mysterij symbola esse, & non nulla etiã conijciendi materiam suppeditent; ideò aliquas indicare, non desistã, explicationes. Columba igitur plurima indicat, nempè dilectionem, B Charitatem, Innocentiam, Puritatem, Mansuetudinem, Gemitum, & similia; munditiei Columba est amica; & cum Oliuæ ramo pacis indicium demonstrat; quandoque Spiritus Sancti symbolum repræsentat. In hoc verò hieroglyphico cum Columbæ propè Cruce stent; pro Apostolis accipi possunt, vt innuit S. Paulinus Ep. 12. ad Seuerum.

Crucem corona lucido cingit globo;
Cui coronæ sunt corona Apostoli,
Quorum figura est in Columbarum choro.

C

Corona autem suspensa nihil aliud significat, nisi ornamentum, siue lampadem, coronam denominatam. De huiusmodi coronis sepè fit mentio à Bibliothecario in diuersis Romanorum Pontificum vitis, & signanter in vita B. Siluestri; vbi: *Constantinus obtulit coronas quatuor, cum Delphinis viginti, ex auro purissimo, pensantes singulas libras quindecim.* Et infra: *obtulit coronam auream ante corpus B. Petri.* Quare facilè conijci potest ab huius Imperatoris donarijs, morem hunc, in Ecclesijs coronas suspendendi defluxisse. Itidem in Leone III. legitur: *Fecit coronas habentes, vna cla-* D

A *materios argẽteos* (potius Remasterios, nempe ornatus) *subter pendentes septem, & triginta.* Idem, *fecit coronas ex auro purissimo inclitis Christi, & sanctorum vultibus refulgentes iuxta altare B. Petri læua dexteraque pendentes cum catenulis aureis, bullis, gemmisque praxinis decoratas.* Huiusmodi coronarum forma adhuc appicta visitur in Ecclesia S. Clementis de Vrbe in quadam antiqua imagine, ad læuam ingredientium. Inoleuit mos, etiam antiquitùs apud Imperatores Græcos duas lampades deferendi coronatas, quæ à Balsamone Στεφανώματα appellantur; per hanc ceremoniam, idem asserit Auctor, indicari ad Imperatoriam, seù coronatam Maiestatem, rerum diuinarum, & humanarum curam spectare; Vnde sanctissimus Pontifex Nicolaus I. de hac auctoritate, quam sibi vsurpare volebant Imperatores, sic Michaelem Græcorum Imperatorem in ep. 8. ad eundem datâ redarguit. Desi-
„ nant ergo, rogamus, temporibus
„ vestris quidam per occasionem,
„ perturbationem Ecclesiasticam
„ præcipitanter appetere, & quæ non
„ liceat ambire: alioquin, & quod
„ malè appetiuerint, non perfruen-
„ tur, & ipsam quoque Christiani-
„ tatem (nisi resipuerint) prorsus
„ amittent. Vos autem, quæsumus,
„ nolite præiudicium Dei Ecclesiæ
„ irrogare: illa quippe nullum
„ Imperio vestro præiudicium in-
„ fert, cum magis pro stabilitate
„ exoret, ipsius eternam Diuinitatẽ,
„ & pro incolumitate vestra, & per-
„ petua salute iugi deuotione prece-
„ tur. Nolite, quæ sua sunt, vsurpa-
„ re: nolite quæ ipsi soli commissa
sunt,



ſuum remittebantur locum, cuius ri-tus origo Conſtantino Magno tribuitur. De huiuſmodi Coronis pendentibus legitur etiam apud laudatum Bibliothecarium in Vita Leonis IV. Papæ, vbi: *Nam, & ſuper ciborium obtulit coronas quatuor, & Calices ſexdecim ex auro mundiſſimo.* Plura ſi curioſus Lector deſideret, adeat eundem Du Cange loco citato. Quòd huiuſmodi coronæ in noſtro Muſiuo expreſſæ, illas Imperatorias repræſentent, ambigendum minimè eſt; ſi enim diligenter animaduertantur, gemmatæ conſpicientur, cum ad

D

Columbæ. [illegible] priſcos Fideles, huiuſmodi vaſa cum auibus appingendi, vt videre eſt in diuerſis lapidibus ſepulcralibus ab Aringho in ſua Roma ſubterranea allatis. Quid hoc adumbret hieroglyphicum, Sancti Patres nobis explicant; Nàm S. Paulus 2. ad Corinthios, cap. 4. num. 7. ſcribit. *Habemus enim theſaurum in vaſis fictilibus*. Vaſa enim fictilia corpus humanum ſignificant; ſi aues erant Columbæ, per has animæ Innocentia, & ſimplicitas exprimebantur, vt nuper diximus, ac innuit Cęſarius V. C. ſeu vt exponit

 Tertullia-


A
TINVS + SCS CLEMIS + SCS SVTVS + SCS LAVRENTIVS + SCS YPPOLITVS + SCS CORNELIVS + SCS CYPRIANVS + SCS CAS
SIANVS + SCS IOHANNIS + SCS PAVLVS + SCS VITALIS + SCS GERVASIVS + SCS PROTASIVS + SCS VRCINVS + SCS APOLINARIS + SCS SEBASTIANVS + SCS DIMITER + SCS POLICARPVS + SCS VICENTIVS + SCS PANCRATIVS + SCS CRISOGONVS + SCS PROTVE + SCS
+ SCS SABINVS
PALATIVM
CIVITAS RAV

,, sunt; velle surripere: scientes
,, quia tantò nimirum à sacris debet
,, omnis mundanarum rerum Ad-
,, ministrator esse remotus, quantò
,, quemlibet ex catalogo Clerico-
,, rum, & militantium Deo, nullis
,, conuenit negotijs sæcularibus im-
,, plicari. Denique hi, quibus tan-
,, tùm humanis rebus, & non diui-
,, nis præesse permissum est, quo-
,, modo de his, per quos diuina mi-
,, nistrantur, iudicare præsumant,pe-
,, nitùs ignoramus. Mos etiam fuit, vnicam huiusmodi lampadem deferendi ante Patriarcham, signum tantùm illius spiritualis curæ; sic etiam Imperatrici vnica præibat, quia ad eam non nisi humanarum rerum cura spectabat. De huiusmodi lampadum, ante Imperatores delatione docet etiam Belgij lumen Lipsius in Excursibus ad Tacitum, lib. I. Annalium, inter Principum insignia fuisse. Narrat etiam eruditis Du Cange in sua Constantinopoli Christiana lib. 3. n. 43. Imperatores Græcos in Æde Sophiana coronari consueuisse ex illis corollis, quæ supra sacram mensam pendebant, quæ peractâ solennitate in suum remittebantur locum, cuius ritus origo Constantino Magno tribuitur. De huiusmodi Coronis pendentibus legitur etiam apud laudatum Bibliothecarium in Vita Leonis IV. Papæ, vbi: *Nam, & super ciborium obtulit coronas quatuor, & Calices sexdecim ex auro mundissimo.* Plura si curiosus Lector desideret, adeat eundem Du Cange loco citato. Quòd huiusmodi coronæ in nostro Musiuo expressæ, illas Imperatorias repræsentent, ambigendum minimè est; si enim diligenter animaduertantur, gemmatæ conspicientur, cum ad

A fasciæ formam formatæ sint, quæ vnionibus, ac gemmis distinctæ erant, cuius fasciȩ exemplar retulimus in nostro opere Vet. Monim. parte prima cap. 14. fig, 12. 13. & 15. In penultimo huius segmenti quadrato triclinium, siue potiùs cȩna cernitur: dixi triclinium, quia hac in figura apparent Cȩnantes, more antiquorum, in lecto prostrati. Quid iconismus iste ostendat, memet fallere, minimè puB to; si asseram, Dominicam illam cȩnam exprimere, de qua Euangelista Ioan. cap. 12. num. 1. & 2. *Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo.* Hoc tantùm quadratũ à temporis ingluuie superest intactum; cum alia quadrata, etiam mu-C siuis operibus olim ornata, fuisse deducatur ex opposita facie, de qua infra.

In secunda sectione noue visuntur fenestræ, in harũ singularũ arcus summitate, ansatum apparet vas, ac ad huius latera duæ cernuntur aues, siue Columbæ. Ea fuit consuetudo apud priscos Fideles, huiusmodi vasa cum auibus appingendi, vt videre est in diuersis lapidibus sepulcralibus ab D Aringho in sua Roma subterranea allatis. Quid hoc adumbret hieroglyphicum, Sancti Patres nobis explicant; Nàm S. Paulus 2. ad Corinthios, cap. 4. num. 7. scribit. *Habemus enim thesaurum in vasis fictilibus.* Vasa enim fictilia corpus humanum significant; si aues erant Columbæ, per has animæ Innocentia, & simplicitas exprimebantur, vt nuper diximus, ac innuit Cȩsarius V. C. seu vt exponit

 Tertullia-

Tertullianus de Monogamia. *Est auis non tantùm innocua, verum, & pudica*. Quandoque etiam Columbæ loco, expressa fuit Turtur, quæ animi, & Corporis pudicitiam innuit. Quare mirum non est, si postea Fideles etiam in Ecclesiarum ornatum, illos transtulerint. Inter fenestrarum interstitia quatuordecim exhibentur imagines talaribus vestibus, pallijsque indutæ, in quarum fimbrijs, monogramma, siue signum cernitur; de quibus disseruimus in cap. 13. dicti nostri operis Vet. Mon. par. 1. Nonnullæ ex eisdem imaginibus librum clausum, aliæ apertum, aliæ verò volumen clausum, aliæ semiapertum, aliæ verò extensum præmanibus tenent; quales autem personas istæ repræsentent, diuinare minimè valemus. Puto siquidem Sanctos Patres, tàm Noui, quàm Veteris Testamenti significare, & fortasse eorum nomina etiam inscripta aderant, vt in tertio segmento infra declarando; sed illa Pictor, tùm ob vetustatem, tùm etiam ob altitudinem transcribere, minimè potuit. Igitur satis de hoc secundo, modò ad Tertium.

In Tertij segmenti principio, aliquid deesse cernitur, quód temporis voracitas deglutiuit; & fortasse pars Ciuitatis Rauennæ expressa erat, cum inter eiusdem musiui operis, quæ supersunt partes, eiusdem Ciuitatis porta recognoscatur, vt inscriptio in eius summitate posita declarat, Ædificiorumque summitates, ac tecta demonstrant; sequitur deinde Palatij facies, vbi etiam Epigraphes, *Palattium*, quæ vox duplici T. expressa est, contra Orthographos, qui vnica tantùm litera *t* scribere solent. Si quis de hac Orthographia scire cupiat, adeat Vossium in suo Ætymologico, vbi plura adinueniet: hæc tantùm indicare duxi, ne aliquis Sciolus aliquam inscitiæ notam quoad Orthographiã nobis inurere audeat.

Palatium hoc, indicat Fabri supracitatus à Theodorico fuisse constructũ, cuius nobilissimi Ædificij adhuc supersunt parietinæ. At Fabrum malè opinatum esse, arbitror, si fides Sigonio præstanda sit: is enim in sua historia de Occidentali Imperio, ad Annum 493. narrat, Teodoricum Rauennæ obsidionem laxasse, ac primum, Classem inijsse oppidum; deinde tertio Nonas Martij Episcopo, cum Clero, & Sanctorum Reliquijs, obuiam prodeunte, à suis Regem acclamatum intrasse, ac secum Odoacrem in Palatio, quod Hilautum appellabatur, amicè, familiariterque habuisse. Ex hac igitur Sigonij narratione clarissimè apparet, Palatium Rauennæ iam ante fuisse, quàm ad eandem Ciuitatem ipse accederet Theodoricus, ac idem Palatium esse puto, quod in præsenti exprimitur Musiuo. Vlterius Cassiodorus, eiusdem Theodorici à secretis, in Ep. 10. lib. 3. ad Festum datâ, eundem, refert, Theodoricum, præfato iniunxisse Festo, vt marmora, quæ de Domo Pinciana erant deposita, ad Rauennatem Vrbem dirigeret; & in ep. 6. lib. 1. Agapito Præfecto Vrbis directa elicitur causa, ob quam huiusmodi marmora, Rauennam mitti voluit; nempe ad Basilicæ Herculis constructionem. Rubeus verò accuratissimus suæ Patriæ scriptor, nec vllam de huiusmodi Palatij constructione mentionem facit. Si autem Rauennæ traditio sit,

tio sit; quod vbi sunt parietinæ, ibi fuerit Theodorici Palatium, minimè per hoc euincitur; idem Palatium à dicto Theodorico fuisse constructum. A mora enim, quam in eodem iste Rex fecit, non autem à constructione, denominationem Palatij Theodorici, sumpsisse, arbitror.

De hoc itidem Palatio Blondus Flauius in sua Decade 1. Histor. lib. 4. sic scribit. Sed illis in omnibus, siue „ sacris Ædibus, siue porta, & Pa- „ latio illud est cernere admiran- „ dum, quod ad omnes aditus, qui „ portæ aureæ, & ædi Sancti Vitalis „ bini, palatio autem quaterni erant, „ nec ligneæ, nec æneæ, nec ferreæ „ erant valuæ: Sed in ea, quam Re- „ gum gentis Gothicæ iustitia, & „ potentatus præstabant securitate, „ cortinula, vt appareat aurea, „ quam velum appellare consueue- „ runt, pro valuis, & foribus vte- „ bantur: indicant præter picturam „ harpagunculi ex ære, qui in sum- „ ma parte ostiorum, quæ habere „ diximus bina S. Vitalis ædem, adeò „ tenues sunt, vt constet eos nihil „ præter cortinulam sustentasse. „ Quamquam qui gesta Romano- „ rum, siue Principium priscis scrip- „ sere temporibus, partes ædium di- „ uersas, exprimere volentes, pri- „ mum, secundum, & tertium ve- „ lum, à simili clausura dicere, con- „ sueuerunt.

Quod Blondus de velis indicat; Hos etiam scripsimus in nostro opere Vet. Mon. par. 7. cap. 7. Vbi non nulla attulimus exempla. Aliqua etiam hic pro maiori comprobatione addere non incongruum erit. Ælius Lampridius in Alexandri Seueri vita scribit; quòd iste Imperator; *salutaretur, quasi vnus de Senatoribus patente velo Admissionalibus remotis, aut solis ijs, qui ad fores fuerant*; nempe Ianuæ cortinis non erant clausæ, sed apertæ, & ipsæ eleuatæ, vel constrictæ, vt faciliùs cuique præberent aditus; non aderant Præfecti cubiculi, aut alij, qui admitterent, sed solummodo Ianitores, qui Ianuis assistebant: ac apud Bibliothecarium in vita Siluestrij PP. legimus: (Fuit iste Pontifex cum Teodorico synchronus) quòd Belisarius Romæ degens, ipsum Siluerium Pontificem de falso crimine accusatum audire, voluit, cuius Bibliothecarij verba sunt. *Tunc fecit, Beatum Siluerium Papam venire ad se. Et ad primum, & secundum velum retinuit omnem clerum*. De huiusmodi etiam velis plurimis in locis legitur apud præfatum Bibliothecarium, ac præcipuè in vita Zaccariæ Papæ, vbi: *Fecit vela pendentia inter columnas, ex pallijs sericis*. At si diligenter vela in hoc musiuo expressa obseruentur, non nulla in eis animaduertentur circuli, & quadri formam præseferentia; vnde ex istis formis conijci posse, existimo, denominationes illas, quę in sepè laudato Bibliothecario legimus, nempè in Gregorij III. vita: *Ornata blatto circumquaque pendentia*, scilicet ornata purpura. In Leone III: *cortinas albas holosericas rosatas habentes in medio Crucem de Chrysoclauo*. Per cortinas rosatas, & de Chrysoclàuo intelligi posse, autumo, vela illa suspensa, hac in præsenti tabula expressa sub num. 1. 2. 3. quæ non nullis circulis interdistincta cernuntur, fortasse rosas, aut clauorum capita effingentibus; nam Chrysoclauus

clauus idem denotat, ac aureus clauus. A In Hadriani autem vita similiter legitur: *Fecit cortinas mira magnitudine de pallijs stauracin, seu quadrapolis*. Per vocem hanc *quadrapolis* intelligi posse existimo pallia illa, in quibus quadrati forma expressa est, vt in numeris 4. & 5. Obseruo etiam, quòd ædificia, quæ retro Palatium conspiciuntur, tunc temporis sumptuosiora Templa designant; nàm templum rotundum sub num. 1. illud D. Vitalis repræsentat; B aliud sub num. 2. ni fallor, Metropolitanam, scilicet Anastasis, siue S. Anastasij. 3. S. Ioannis Euangelistæ. 4. S. Appollinaris Noui Ecclesias, quæ omnia plurimas habent fenestras, eorum testantes antiquitatem, vt exposuimus in nostro opere Vet. Mon. Par. 1. cap. 6. Et hæc de Palatio satis, penès quod viginti quinq; delineatæ sunt Imagines, quæ gradato ordine ferè vsque ad C maius altare se extendunt, talaribus vestibus, pallijsque indutæ, quarum in fimbrijs diuersa monogrammata cernuntur, de quibus signis etiam disseruimus in eodem opere Vet. Mon. Par. 1. cap. 13. Omnes hę figuræ veluti coronam in manibus gestant, & illam esse puto, quam quisque in æterna beatitudine gaudens pro Dei amore patiendo meruit. Vnde Venerabilis Beda in serm. 18. de D Sanctis sic exclamauit: Hodie dile-
„ ctissimi omnium Sanctorum sub
„ vna solennitatis lætitia celebra-
„ mus festiuitatem: quorum socie-
„ tate Cœlum exultat, quorum pa-
„ trocinijs terra lætatur, triumphis
„ Ecclesia Sancta coronatur, quo-
„ rum confessio, quantò in passio-
„ ne fortior, tantò est clarior in ho-
„ nore, quia dum creuit pugna, cre-
„ uit & propugnantium gloria, &
„ martyrij triumphus multiplici
„ passionum genere adornatur: per-
„ que grauiora tormenta, grauiora
„ fuere premia, dum Catholica ma-
„ ter Ecclesia, quę per totum orbem
„ longè, latèque diffusa est in ipso
„ capite suo Christo Iesu edocta est,
„ contumelias, cruces, & mortem
„ non timere, magis, magisque ro-
„ borata non resistendo, sed perfe-
„ rendo: vniuersos, quos agmine in-
„ clyto carcer pęnalis inclusit pari,
„ & simili calore virtutis ad geren-
„ dum certamen gloriam triumpha-
„ lem inspirauit. O' verè beata Ma-
„ ter Ecclesia, quam sic honor diui-
„ nę dignationis illuminat, & quam
„ Vincentium gloriosus Martyrum
„ sanguis exornat; quam inuiolatę
„ confessionis candida induit Virgi-
„ nitas. Floribus eius, nec rosę, nec
„ lilia desunt. Certent nunc carissi-
„ mi singuli, vt ad vtrosque hono-
„ res amplissimam accipiant digni-
„ tatem, coronas, vel de Virginita-
„ te candidas, vel de passione purpu-
reas. Has autem coronas designat B. Iacobus Apostolus, in Ep. Catholica, cap. 1. num. 12. vbi:
„ Beatus Vir, qui suffert tentatio-
„ nem, quoniam cum probatus fue-
„ rit, accipiet coronam vitę, quam
„ repromisit Deus Diligentibus se.
Eædemque coronę adumbrari videntur in Apocalypsi cap. 4. n. 4. vbi.
„ Et in circuitu sedis sedilia vi-
„ ginti quatuor, & super thronos
„ viginti quatuor seniores sedentes
„ circumamicti vestimentis albis, &
„ in capitibus eorum coronæ aureę.
Quem locum Andreas Archiepis-

copus

copus Cęsareę, qui sęculo quinto A floruit, sic explanat: Coronæ tandem aureę victorię, aduersus malignos dęmones, non absque magni animi fortitudine, obtentę sunt notę: Quę coronę oblatę siue oblationes dicebantur, vt innuit S. Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. cap. 55. siue alius sit Auctor. Tunc duas secum oblationum coronas detulit: de hisce oblationibus infra dicemus alijs in locis, & B precipuè in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani. Horum sanctorum nomina, ne tempus Lector in Tabula expressa legendo terere cogatur, vno in catalogo apponimus. Horum Primum mutilum est, sequentia verò sunt.

1. S. Clemens.
2. S. Iustus.
3. S. Laurentius.
4. S. Hyppolitus.
5. S. Cornelius.
6. S. Cyprianus.
7. S. Cassianus.
8. S. Ioannes.
9. S. Paulus.
10. S. Vitalis.
11. S. Geruasius.
12. S. Protasius.
13. S. Vrsicinus.
14. S. Apollinaris.
15. S. Sebastianus.
16. S. Dimiter.
17. S. Policarpus.
18. S. Vincentius.
19. S. Pancratius.
20. S. Chrisogonus.
21. S. Protue.
22. S.....
23. S. Sabinus.

Post hos sanctos, Musiuum dirutum fuit, quo in loco Organum constructū est: Huic proxima est quędam semiimago, quæ Christum Dominum nostrum repræsentat, vt facilimè argui potest; deinde duo sequuntur Angeli, arundines manibus tenentes; sicque ad alteram Christi partem, in Organi loco, duos alios fuisse Angelos, credendum est; cum similes imagines habeamus in Ecclesijs S. Michaelis, de qua disseruimus supra cap. VIII. & in Ecclesia S. Agathę, de qua itidem disseruimus in nostro opere Vet. Mon. par. 1. cap. XX. Et hæc de hac dextera parte, modò ad sinistram.

Sinistram partem, ad ingressum habito respectu, itidem in tres diuido sectiones. In prima viginti septem conspiciuntur quadrata, quorum aliqua semitholis, ad conchiliæ formam, C cum lampada pendente, cruceque, ac columbis in summitate, ornata sunt, vt expressimus in antecedenti Tabula; alia verò diuersas continent figuras, seruato tamen alternato ordine, vt ipsa demonstrat Tabula.

In primo figurarum quadrato repræsentatur Iesu Christi miraculum, de quo Euangelista Marcus cap. 2. *ait: Paralitico, tibi dico surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum* D *tuam.*

2. Quadratum secundum: Demoniacum ferocissimum curatum à Domino denotat, de quò Euangelista Marcus cap. 5. num. 2. & seqq. sic narrat — Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum, & exeunti ei de naui, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habe-

bat

,, bat in monumentis, & neque ca- A
,, tenis iam quisquam poterat eum
,, ligare: quoniam sepè compedibus
,, & catenis vinctus, dirupisset, &
,, nemo poterat eum domare,& sem-
,, per die, ac nocte in monumentis,
,, & in montibus erat, clamans, &
,, concidens se lapidibus. Videns au-
,, tem Iesum à longe, cucurrit, &
,, adorauit eum, & clamans voce
,, magna, dixit: quid mihi, & tibi
,, Iesu fili Dei altissimi? Adiuro te B
,, per Deum,ne me torqueas.Dicebat
,, enim illi. Exi spiritus immunde ab
,, homine. Et interrogabat eum:
,, quod tibi nomen est?Et dicit ei:Le-
,, gio mihi nomen est, quia multi
,, sumus. Et deprecabatur eum mul-
,, tum, ne se expelleret extra regio-
,, nem. Erat autem ibi circa mon-
,, tem grex porcorum magnus pa-
,, scens, & deprecabantur eum spiri-
,, tus, dicentes: mitte nos in porcos, C
,, vt in eos introeamus. Et concessit
,, eis statim. Ex exeuntes spiritus im-
,, mundi introierunt in porcos, &
,, magno impetu grex præcipitatus
,, est in mare ad duo millia, & suffo-
,, cati sunt in mari -- Animaduertendum hic est, Musiuarium, & monumentum, siue speluncam, & montem cum arboribus, ac mare cum piscibus, de quibus idem Euangelista locutus est, adumbrasse. D

3. Tertium, quod sequitur quadratum; Paralitici miraculum etiam designat, vt Marcus cap. 2. num. 3. scribit. *Et venerunt ad eum ferentes Paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum, vbi erat, & patefacientes submiserunt grabatum, in quo Paralyticus iacebat.*

4. Hanc aream nobis patefacit laudatus Matthæus cap. 25. n. 31. vbi sic. *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione Mundi.* In hac area obseruatione dignum existimo, Musiuarium maiorem Electorum expressisse numerum, quàm damnatorum.

5. Ni fallor; figuræ in hoc loco expressæ Matthæum in Telonio, Episcopumque eum alloquentem exprimunt, vt ipse Matthæus cap. 9. n. 9. enunciat. *Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in Telonio, Matthæum nomine, & ait illi, sequere me, & surgens secutus est eum.*

6. De sexta areola fatemur, quod nihil expiscari potuimus, solummodo hoc dicimus, duos ibi repræsentari sacerdotes, vt ab eorum sacris vestibus innotescit; dubito tamen, quin Pictor fideliter minimè eas transcripserit, & quòd aliquid desideretur à vetustate consumptum. Nam si altera ex ipsis figuris caput diadematum cum cruce erigeret; huius hieroglyphici explanatio in promptu esset, quã nobis S. Ioannes, cap. 8. num. 1. & seq. suppeditaret, vbi -- Iesus autem
,, perexit in montem Oliueti: & di-
,, luculò iterum venit in Templum,
,, & omnis populus venit ad eum,
,, & sedens docebat eos. Adducunt
,, autem scribæ, & Pharisei mulie-

rem




sera, & misericordia.

7. Septimum vero quadratum patens est, cùm Lazarum quatriduanum in monumento iàm fetentem, ac Christum illum ad vitam reuocantem designet; de quo miraculo Diuinitatis illæ contemplator Ioannes in Euangelio, cap. 11. num. 38. sic scribit: D
„ Iesus ergo rursum fremens in se-
„ metipso venit ad monumentum,
„ erat autē spelunca, & lapis superpo-
„ situs erat ei. Ait Iesus: tollite lapi-
„ dem. Dicit ei Martha soror eius, qui
„ mortuus fuerat, Domine, iam fœ-
„ tet, quatriduanus est enim. Dicit

„ Hora erat quasi sexta. Venit Mu-
„ lier de Samaria haurire aquam. Di-
„ cit ei Iesus: Da mihi bibere (Disci-
„ puli enim eius abierant in Ciuita-
„ tem, vt cibos emerent) Dicit ergo
„ ei Mulier Samaritana: quomodo
„ tu, Iudæus cum sis, bibere à me po-
„ scis, quæ sum Mulier Samaritana?
„ Non enim coutuntur Iudæi Sama-
„ ritanis. Respondit Iesus, & dixit
„ ei: si scires donum Dei, & quis est,
„ qui dicit tibi: da mihi bibere: tu
„ forsitan petisses ab eo, & dedisset
„ tibi aquam viuam. Dicit ei Mulier:
„ Domine neque, in quo haurias ha-

TAB. XXVI


PAVLINA + SCA
+ SCA DARIA + SCA ANASTASIA + SCA IVSTINA + SCA FELICITAS + SCA PERPETVA + SCA VINCENTIA + SCA VALERIA + SCA CRISPINA + SCA LVCIA + SCA CECILIA + SCA EVLALIA + SCA AGNES + SCA AGATHE + SCA PELAGIA +


SCA VGENIA + SCA SAVINA + SCA CRISTINA + SCA ANATOLIA + SCA VICTORIA + SCA


SCA EVFIM

" rem in adulterio depræhensam, A
" & statuerunt eam in medio, & di-
" xerunt ei: Magister hæc mulier
" modò deprehensa est in adulterio.
" In lege autem Moyses mandauit
" nobis huiusmodi lapidare. Tù er-
" go quid dicis? Hoc autem dice-
" bant tentantes eum, vt possent ac-
" cusare eum. Iesus autem inclinans
" se deorsum digito scribebat in ter-
" ra. Cum ergo perseuerarent inter-
" rogantes eum, erexit se, & dixit B
" eis. Qui sine peccato est, vestrum
" primus in illam lapidem mittat.
" Et iterum se inclinans scribebat in
" terra. Audientes autem vnus post
" alium exibant incipientes à senio-
" ribus, & remansit solus Deus, &
" mulier in medio stans; -- Nam veræ figuræ stantes, ac templum hac in eadem areola apparent. Hunc sacræ scripturæ locum, quòd Christus, & Mulier solũ in templo remanserint, C Magnus ille Ecclesiæ Doctor Augustinus in serm. 1. in sabbato post tertiam Dominicam in Quadragesima, assueto sublimis ingenij acumine, illustrauit, scilicet, quod *remansit misera, & misericordia*.

7. Septimum vero quadratum patens est, cùm Lazarum quatriduanum in monumento iàm fetentem, ac Christum illum ad vitam reuocantem designet; de quo miraculo Diuinitatis D illæ contemplator Ioannes in Euangelio, cap. 11. num. 38. sic scribit:
" Iesus ergo rursum fremens in se-
" metipso venit ad monumentum,
" erat autẽ spelunca, & lapis superpo-
" situs erat ei. Ait Iesus: tollite lapi-
" dem. Dicit ei Martha soror eius, qui
" mortuus fuerat, Domine, iam fœ-
" tet, quatriduanus est enim. Dicit
" ei Iesus: non ne dixi tibi, quoniam
" si crederis, videbis gloriam Dei?
" Tulerunt ergo lapidem. Iesus au-
" tem eleuatis sursum oculis dixit:
" Pater gratias ago tibi, quoniam
" audisti me. Ego autem sciebam,
" quia semper me audis, sed propter
" populum qui circumstat, dixi, vt
" credant, quia tù me misisti. Hæc
" cum dixisset; voce magna clama-
" uit. Lazare veni foras. Et statim
" prodijt, qui fuerat mortuus ligatus
" pedes, & manus institis, & facies il-
" lius sudario erat ligata. Dixit eis Ie-
" sus: soluite eum, & sinite abire.

Cur autem fascijs Lazarus inuolutus esset, si Lector scire cupiat, adeat Aringhum in sua Roma subter. Tom. 2. lib. 6. cap. 11. pag. 541.

8. Exhibet octauum hoc schediasma, quòd Aquilæ Euangelicæ calamus scribit Ioan. cap. 4. nu. 5. vbi sic.
" Venit ergo (scilicet Iesus) in Ciui-
" tatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.
" iuxta prædium, quod dedit Iacob
" Iosepho filio suo. Erat autem ibi
" fons Iacob. Iesus ergo fatigatus
" ex itinere sedebat sic supra fontem.
" Hora erat quasi sexta. Venit Mu-
" lier de Samaria haurire aquam. Di-
" cit ei Iesus: Da mihi bibere (Disci-
" puli enim eius abierant in Ciuita-
" tem, vt cibos emerent) Dicit ergo
" ei Mulier Samaritana: quomodo
" tu, Iudæus cum sis, bibere à me po-
" scis, quæ sum Mulier Samaritana?
" Non enim coutuntur Iudæi Sama-
" ritanis. Respondit Iesus, & dixit
" ei: si scires donum Dei, & quis est,
" qui dicit tibi: da mihi bibere: tu
" forsitan petisses ab eo, & dedisset
" tibi aquam viuam. Dicit ei Mulier:
" Domine neque, in quo haurias ha-

„ bes, & puteus altus est: vnde ergo A
„ habes aquam viuam? Nuncquid tu
„ maior es Patre nostro Iacob, qui
„ dedit nobis puteum, & ipse ex eo
„ bibit, & filij eius, & pecora eius?
„ Respondit Iesus, & dixit: Omnis
„ qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum,
„ qui autem biberit ex aqua, quam
„ ego dabo, non sitiet in æternum.

9. Tabella nona, Mulierem ad Christi pedes prouolutam demonstrat, vt habetur in cap. 9. num. 20. B Matthæi, vbi sic. Et ecce Mulier,
„ quæ sanguinis fluxum patiebatur
„ duodecim annis, accessit retro, &
„ tetigit fimbriam vestimenti eius.
„ Dicebat enim intra se: si tetigero
„ tantum vestimentum eius, salua
„ ero. At Iesus conuersus, & videns
„ eam, dixit: Confide filia, fides tua
„ te saluam fecit. Et salua facta est
„ Mulier ex illa hora.

10. In Decima area laudati Euan- C gelistæ Matthæi, alterius à Christo patrati miraculi repræsentatur enarratio, quam sic idem Euangelista, cap. 20. num. 30. describit. Et ecce
„ duo cæci sedentes secus viam au-
„ dierunt, quia Iesus transiret, &
„ clamauerunt dicentes. Domine
„ miserere nostri fili Dauid. Turba
„ autem increpabat eos, vt tacerent.
„ At illi magis clamabant, dicentes:
„ Domine miserere nostri fili Dauid. D
„ Et stetit Iesus, & vocauit eos, & ait.
„ Quid vultis vt faciam vobis? Di-
„ cunt illi: Domine, vt aperiantur
„ oculi nostri. Misertus autem eorum
„ Iesus tetigit oculos eorum. Et con-
„ festim viderunt, & secuti sunt eum.

11. Progreditur idem Euangelista Matthæus in eiusdem Saluatoris nostri gestorum descriptione: hoc enim in loco eadem delineatur; quando scilicet Christus vocauit ad se duos Fratres Petrum, & Andream, vt apud eundem Matthæum cap. 4. n. 18. legi-
„ tur. Ambulans autem Iesus iuxta
„ Mare Galileæ vidit duos Fratres,
„ Simonem, qui vocatur Petrus, &
„ Andream fratrem eius, mittentes
„ rete in Mare (erant enim piscato-
„ res) & ait illis: Venite post me,
„ faciam vos fieri piscatores homi-
„ num. At illi continuò relictis re-
„ tibus secuti sunt eum.

12. Alterius insignis miraculi renouatur memoria, nempè quando Christus septem panibus, paucisque pisciculis satiauit quatuor millia hominum, quod S. Marcus Euangelista cap. 8. num. 1. sic recitat: In diebus
„ illis iterum cum Turba multa esset,
„ nec haberent, quòd manducarent,
„ conuocatis Discipulis ait illis: Mi-
„ sereor super turbam, quia ecce iam
„ triduò sustinent me, nec habent,
„ quod manducent, et si dimisero eos
„ ieiunos in Domum suam, deficient
„ in via; quidam enim ex eis de lon-
„ gè venerunt. Et responderunt ei
„ Discipuli sui. Vnde illos quis po-
„ terit hìc saturare panibus in solitu-
„ dine? & interrogauit eos: Quot pa-
„ nes habetis? Qui dixerunt: septem.
„ Et præcepit Turbæ discumbere
„ super terram. Et accipiens septem
„ panes gratias agens fregit, & da-
„ bat Discipulis suis, vt apponerent,
„ & apposuerunt Turbæ, & habe-
„ bant pisciculos paucos. Et ipsos
„ benedixit, & iussit apponi, & man-
„ ducauerunt, & saturati sunt.

13. Ostentatur eiusdem miraculi complementum, siue potiùs miraculum miraculo additum, cum ex fragmentis multiplicati panis, septem sportę implete fuerint, vt idem Euangelista

gelista Marcus eodem cap. num. 8. sic A prosequitur : Et sustulerunt, quod superauerat de fragmentis septem sportas. Erant autem, qui manducauerant quasi quatuor millia, & dimisit eos. Hic est primi segmenti finis: modò ad secundum.

Segmentum secundum opposito correspondet: solummodo in fenestrarùm, & figurarum numero altero maior est, nam vndecim fenestræ, & sexdecim figuræ numerantur; cum autem in opposito tantùm nouem fenestræ, & quatuordecim figuræ conspiciantur, cur aut adamussim facies non sibi correspondeat; ratio in promptu est, quia duæ fenestræ, & duæ figuræ, quæ in Tab. XXVI. desiderantur, dirutæ fuerunt occasione constructionis Organi: quidue figuræ ipsæ repræsentent, præter dicta de prima facie, nihil subuenit suggerendum, cum nullum teneant annexum C signum contradistinctionis, ideò ab illarum explicatione abstinemus.

Si opposita facies Musiui operis multas exhibuit eruditiones, pręcipuè in tertij segmenti principio, vbi Rauenna Ciuitas, Palatiumq; Theodorici Regis expressa cernuntur; non minorem eruditionem hoc itidem tertium ostendit segmentum. De quo igitur nunc sermo est. In hoc castrum cum turre, ac mare, nauesque D visuntur. Quid per has indicetur figuras, nobis significat laudatus Rubeus. Narrat enim, Rauennatem Ciuitatem, antiquitùs tres in partes diuisam fuisse; quarum prima, Rauennæ nomen obtinebat, secunda Cæsareæ, tertia Classis, de qua Iornandes in Gothorum historia sic scribit: *Trino vrbs ipsa vocabulo gloriatur, trigeminaque positione exultat; id est prima Rauenna, vltima Classis, media Cæsaræa, inter Vrbem, & mare plana molitie, arenaquè munita vectationibus apta.* Classis igitur nomen hæc tertia desumpsit à vicino maris portu, qui tùm pro mercaturæ nauibus, tùm etiam pro classe inseruiebat, cum loci qualitas ipsum ad hæc omnia aptissimum redderet. Quamobrem in eodem Populus Romanus maritimam B classem, vtpote etiam apud Misenum retinebat, vnde ex huiusmodi Classe, classis nomen hæc tertia pars sortita fuit. Plura apud eundem Rubeum, ac Cluuerium in sua Italia antiqua perlegi possunt; nosque etiam aliqua fati sumus supra in capite XI. Huius igitur portus, in istius tertij segmenti initio figura repræsentatur, in qua apparet castrum, magnis lapidibus quadratis extructum, in huiusque medio turris rotunda, fortasse Pharo appellabatur, quæ perpetuo nocturno lumine certum nauigantibus, inter cæcas noctis tenebras, portus signum præberet, & sua magnitudine Imperij Romani extensionem, & sublimitatem primo obtutui adumbraret. Naues mænibus adhærentes, classem sicuti portum demonstrant, ita Crux in mali summitate expressa, Imperatorum Christianorum seruitio Naues destinatas fuisse, indicat.

Post Castrum hoc, duæ supraui-ginti sequuntur Sanctæ Virgines, varijs exornatæ vestibus, quarum in fimbrijs, monogramatum loco signa, veluti quadrata, ac gemmata lacinia extenduntur. Singulę coronam gemmarum multiplicitatè fulgentem manibus gestant. Quidue habeant, quodque arcanum includant co-

ronæ istæ, breuiter hic exponam. Mos fuit apud Antiquos coronis sponsos redimendi; quòd de Gentilibus testatur Apuleius 4. Metam: *sponsum vnguentis madidum, & coronis floridum*. Et apud Claudianum in Raptu Proserpinæ, vicinas nuptias, ex floribus, & impositis corollis, sibi ominantis.

Hunc sociat flores, seque ignara coronat.
Augurium fatale Thori &c.

B

Sponsos quoq; populi sui coronatos processisse, scribunt Hebræi, vsque dùm Vespesiani ędicto ab hoc honoris, & lætitiæ signo abstinere sunt coacti. Admiserunt etiam hunc morem prisci Christi Fideles, vt innuit Tertulianus his verbis: *Coronant, & nuptiæ sponsos*. Consuetudinem hanc Christi esse Ecclesia decantat à spiritu sancto C in epithalamio edito, in quo sponsus diuinus diademate, quo coronauerat eum mater sua in die desponsationis, & in die lætitiæ cordis illius, conspicuus describitur. Cum itaque Virgines in hoc Musiuo expressæ ad nuptias Christi vocatæ fuerint, coronas, quas gestant, Nuptiales esse existimo, quibus à sponso coronandę erant. Quod innuit Ecclesia, dum Virginum auribus illud insonat inuitamentum. *Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit*. Mos iste sponsos coronandi præcipuè viguit apud Græcos, vt ostendit Goar in rituali Græcorum, in quo officium coronationis nuptiarum legitur.

In eodem musiuo, harum virginum nomina, expressa sunt, sed vt A faciliùs legi possint, ad maius Lectoris commodum hic subdo.

1. S: Eugenia.
2. S. Sauina.
3. S. Christina.
4. S. Anatolia.
5. S. Victoria.
6. S Paulina.
7. S. .....
8. S. Daria.
9. S. Anastasia.
10. S. Iustina.
11. S. Felicitas.
12. S. Perpetua.
13. S. Vincentia.
14. S. Valeria.
15. S. Crispina.
16. S. Lucia.
17. S. Cæcilia.
18. Eulalia.
19. S. Agnes.
20. S. Agatha.
21. S. Pelagia.
22. S. Eufemia.

Animaduersione dignum est, Virginis nomen num. 7. indicatum, ab iniuria temporis fuisse deletum.

Has post Virgines trium Regum Magorum adorationis sequitur expressa historia, quam Matthæus cap. 2. num. 1. ennarrat: -- Cum ergo na-
„ tus esset Iesus in Betlehem Iuda in
D „ diebus Herodis Regis, ecce Magi
„ ab Oriente venerunt Hierosoly-
„ mam dicentes: vbi est, qui natus
„ est Rex Iudeorum? Vidimus enim
„ stellam eius in Oriente, & venimus
„ cum muneribus adorare eum. &
„ infra num. 11. Et intrantes domum
„ inuenerunt Puerum cum Maria
„ matre eius, & procidentes adora-

uerunt

„ uerunt eum; & apertis thesauris A suis obtulerunt ei Aurum, Thus, & „ Myrrham. -- Beatissima Virgo in gemmato sedet solio, filiumque adultum, veste, pallioque indutum in proprio sustinet sinu. Quare Puer Iesus sic expressus narrandi ansam mihi præbet: an Magi post paucos dies à Christi Natiuitate eundem adorauerint, vel post annum, sumpta dubitandi occasione ab illo, quod laudatus Euangelista Matthæus eo- B dem capite scribit; Herodem iussisse, à bimatu, & infra omnes pueros occidi; subdens: *secundum tempus quod exquisierat à Magis*. Quare ex his verbis Eusebius Pamphili Epiphanius, ac alij in ea fuerunt sententia quòd post biennium à Christo nato Magi Bethelem ad Christum petijssent. Quæstionem hanc inclytus Cardinalis Baronius fusè agitat ac opinatur post tresdecim Dies Magos ad Puerum C Iesum accessisse. Notericus verò Scriptor Papebrochius in suo apparatu ad Chronologiam Pontificiam, & consultatoria epistola ad R. P. Petrum Possinum num. 9. censet, Puerum Iesum anniculum fuisse, quando Magi ad eum adorandum perrexere. Huic sententiæ magis correspondet presens imago. Plura de hac mota quæstione apud citatos Auctores videri possunt. D

Ad Beatissimæ Virginis dexteram duo Angeli, duoque ad sinistram, vt in opposita facie adstant, de eisdem, & de Beatissima verò Virgine sic expressa disseruimus, etiam in nostro opere Vet. Mon. par. prima cap. 22. vbi breuem execrabilis Nestorianæ hæresis historia in Ephesino Concilio damnatæ recitauimus, qua impius iste Hæresiarca dignissimum *Deiparæ* titulum Sanctissimæ Dei Genetrici denegare præsumpserat. Quare meritò in hac forma cum Christo Saluatore nostro in sinu expressam fuisse existimo, ad ostendendum, ex eiusdem Beatissimæ Virginis vtero Christum natum fuisse. Et hæc, quę de huius Ecclesiæ parietinis scribere absentes nouimus. Si in aliquod spalma irrepsimus, absentia nostra excusatione dignos reddet.

CAPVT XIII.

De Ecclesia S. Laurentij in agro Verano musiuo ornata opere *Anno* 578.

INter celebres Vrbis Ecclesias, â Constantino Magno constructas, meritò hęc connumeranda est, in agro Verano ędificata, de cuius fundatione scripsimus in nostro opere, de sacris Ædificijs â Constantino Magno constructis, cap. VI. Quare hìc illam repręsentare incongruum esset. Iure igitur solam Musiui operis descriptionem aggredimur. Musiuum hoc â Beatissimo Pontifice Pelagio II. constructum fuisse deducitur, tum ex Bibliothecarij narratione in ipsius Pontificis vita, tum etiam ex ipsomet Musiuo, in quo idem Pontifex appictus cernitur; floruit Pelagius anno 577. sic Bibliothecarij narratio se habet: Hic fecit „ supra corpus B. Laurentij Martyris „ Basilicam, â fundamento constru- „ ctam, & tabulis argenteis exornauit „ sepulchrum eius. Musiuum vero opus, quod in Tab. XXVIII. exhibeo, in triumphalis arcus fastigio est, non ad ingredientium faciem, sed ad Episcopalem

copalem marmoream ſedem, quæ in Presbyterio eſt, aſpectum habet. Cur autem hoc modo, ſituque extructum fuerit, expoſuimus in dicto noſtro opere de ſacris ædificijs à Magno Conſtantino conſtructis, vbi demonſtrauimus, Eccleſiæ faciem Ortum reſpicientem ab eodem Pelagio fuiſſe conſtructam, ſicque muſiuum tunc temporis Ingrediẽtes reſpiciebant. At Hadrianus nouam Eccleſiam ædificauit, faciemq; ad Occidentem vertit, vt Vrbem aſpiceret, ſicque ordine immutato, nouoque Presbyterio conſtructo, Muſiuum in aduerſa remanſit parte, quod non integrum, ſed mutilum ex vtroque latere eſt, vt ipſa oſtendit figura, nec non mutila carmina, quæ in eodem inſcripta ſunt arcu, vt infra demonſtrabo, & in præcitato opere narraui.

In arcus ſummitate viſitur Chriſtus globo viridis coloris inſidens, diadema Cruce inſignitum in capite deferens, haſtamque cum cruce in ſummitate ſiniſtra gerens, dextramque in actu benedictionem populo impartiendi extollens. Non abſimilem Saluatoris figuram attulimus ſupra in Eccleſia S. Vitalis Rauennę, vbi aliqua de hoc ſymbolo expoſuimus; ideo ne videar velle refrigere crambem, benignum Lectorem adeundem mitto locum. Ad Saluatoris dexteram ſtat S. Petrus, albâ tâm veſte, quàm pallio albo indutus; ponè hunc eſt S. Laurentius, & pallio veluti crocei coloris amictus, librum apertum geſtàns in manibus, in quo iuxta Dauidis Prophetę Pſalmũ 111. 9. legitur: *Diſperſit dedit pauperibus*; per hæc enim verba, ad magnam ero-

A gationem bonorũ Eccleſiæ in pauperes alluditur, de qua magnus ille Leo in ſermone natalitio eiuſdem ſancti ſic fatur: *Armatur itaque gemina face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus: auaritia, vt rapiat aurum; impietate, vt auferat Chriſtum. Poſtulat ſibi ab immaculato ſacrarij Præſule opes Eccleſiaſticas, quibus auidiſſimus inhiabat, inferri. Cui Leuita Caſtiſſimus, vbi eas repoſitas haberet,* B *oſtendens, numeroſiſſimos Sanctorum Pauperum greges obtulit, in quorum victu, atque veſtitu inamiſſibiles condiderat facultates.* Iuxta S. Laurentium apparet caput, ſuper quo legitur *Pelagius Epiſcopus*, quod oſtendit Pelagij ſummi Pontifici figuram ibi fuiſſe expreſſam, nam ea quæ litteræ PPP ſuppleta non ſunt ex muſiuo opere, quod decidit, ſed ex pictura, quare valdè dubito de ædificio, quod in manu dextera S. Laurentij cernitur, cum potius in Pelagij manibus eſſe deberet, cum ipſe Pelagius C muſiui Auctor fuerit, vt nuper demonſtrauimus; nam Eccleſiarum Conditores, ſiue Reſtauratores cum Eccleſijs in manibus appingi ſolebant, vt in eadem Eccleſia S. Vitalis diximus, & infra in Eccleſia S. Mariæ in Domnica, & alijs videri poteſt; vt res ſe habeat alijs examinãdam relinquimus; D & ad Saluatoris ſiniſtram tranſitum facimus, vbi ſtat S. Paulus, ſimiliter indumentis albis veſtitus, ſiniſtra volumen oſtentãs, iuxta quem eſt S. Stephanus, itidem veſtibus albis, librumque ſiniſtrâ gerens, in quo legitur: *Adhæſit anima mea*, quę ex Pſalmo 62.9. deſumpta ſunt, prope hunc Sanctum ſtat ãlter; nempe Sanctus Hippolytus, cum quadam

veluti


S·LAVRENTIVS.
S·PETRVS.
PELACIVS.
EPISC
DIS PER SIT
DEDIT PAV PERI BVS
·MLEVVITASVB

TAB. XXVIII



S.LAVRENTIVS.
S.PETRVS.
S.PAVLVS
S.STEPHANVS
SCS YPPLIT
PELAGIVS. EPISC
B
C
A
D

veluti gemmata corona prę manibus. Quid per istam coronam indicetur, diximus supra in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani; Cur autem isti duo Sancti Stephanus, & Hippolytus expressi fuerint; non alia de causa censeo, nisi quia tempore eiusdem Beatissimi Pelagij eorundem Sanctorum corpora hic requiescebant.

Musiuum hoc, vt nuper diximus, mutilum est, clarèque arguitur ex parietina, vbi legitur *Bethelem*, & ex voluta, quæ integra tam in principio, quam in fine minimè est, ibique non nullæ desiderentur literæ, verùm etiam voces, vt demonstrauimus in nostro opere de sacris ædificijs, â Magno Constantino constructis cap. VI. & hæc satis de hoc Musiuo opere, in Arcu triumphali existente; modò ad aliud licèt paruum, quod nisi accuratè Intuentibus perspicuum est; istud enim cernitur in porticu, ac supra columnarum epistylium in Zophoro super idem epistylium constructũ. Primũ musiuũ litera A signatum est, in quo tres sunt paruæ figurę ad altitudinem vnius palmi Romani circiter, Christus medium tenet locum, ad eius dexteram, ni fallor, stat S. Cyrilla, ad sinistram S. Triphonia Imperatrix, eiusdem Cyrillæ Mater, quorum corpora ad Ecclesiam S. Syluestri in Campo Martio translata fuisse, narrat Pancirolus de Ecclesijs Vrbis, vbi agit de laudata Ecclesia S. Laurentij extra muros Vrbis.

Post hoc musiuum, alterum signatum B. forma rotunda, in quo efformatus est Agnus diadematus cum Cruce. Ponè hoc est aliud simile orbicularis figuræ, vt C. in quo est alter Agnus, pariter cum Cruce, & Calice, qui Agni Christi Crucifixi symbola sunt, vt exposuimus in cap. 3. & fusiùs cap. 26. nostri operis veterum monimentorum parte prima. Post hos Agnos tres sunt alię figuræ, quas litera D. indicat, prima Crucem tenet, quę S. Laurentium repręsentat, vt ipsa epigraphes demonstrat, vtpote annexa etiam figura, Honorium III. summum Pontificem; vt indicat inscriptio coniuncta; quare ab hoc Pontifice porticum factam fuisse, asserendum est; & hęc de musiuis operibus in hac Ecclesia extantibus dicta sunt satis.

CAPVT XIV.

De Ecclesia S. Agnetis extra mœnia Vrbis Via Numentana picturis illustrata Musiuis Anno 623.

BEatę Virginis Agnetis memoriam Magnus ille Imperaror Constantinus, Christianę Religionis diligens propagator renouare voluit, sumptuosum illius in honorem extruendo Templum. Ac meritò id fecisse, prędicandum est, quoniam Magnus etiam ille Insubrum Antistes Ambrosius eandem Virginem clarissimis laudum pręconijs extollit; dum asserit, *Virginem fuisse supra ætatem deuotam, supra naturam reportasse victoriam; nam tredecim annorum nata martyrium subijt, nondum idonea pœnæ, iam matura victoriæ, certare difficilis ei fuit, facilis coronari, magisterium virtutis impleuit, quæ præiudicium vehebat ætatis. Non sic ad thalamum nupta properauit, vt ad supplicis locum læta successu, gradu festina*

stina Virgo processit. Meritò itaque tantæ Virgini, & Templum constructum, ac pluries renouatum, Musiuisque operibus ornatum fuit, de quibus hìc nobis sermo est, prout instituti nostri ratio exposcit.

De quo celebri Templo, illiusque antiqua constructione disseruimus in nostro Opere de Sac. Ædificijs ab eodem Constantino Magno constructis cap. IX. Ideò de fabrica nihil aliud narrandum superest, nisi quod sua ipsa vetustate fatiscens, pluries à diuersis Pontificibus restaurata, ac renouata fuit; nam apud Bibliothecarium in Symmachi summi Pontificis vita legimus: ***Absidam B. Agnetis, cui ruinam imminebat, & omnem Basilicam renouauit***. Floruit Symmachus anno 498. Itidē in Honorij I. Vita ad summū Apostolatus apicē assumptū anno 621. etiam legimus: ***Fecit, & Ecclesiam B. Agnetis Martyris, milliario ab Vrbe tertio, Via Numentana a solo, vbi requiescit, quam vndique ornauit, & exquisiuit, vbi posuit multa dona. Ornauit autem sepulchrum eius ex argento, quod pensan. sing. libras 252. Posuit & desuper ciborium æreum deauratum miræ magnitudinis. & Gabathos aureos quatuor pensan. sing. libras singulas. Fecit absidam eiusdem Basilicæ ex musiuo, vbi & multa bona obtulit*** Dein ab Hadriano I. alijsque Pontificibus, & personis hæc fuit Ecclesia restaurata, quas restaurationes enarrare longum esset; ideo ad Musiui descriptionem deuenimus.

Musiuum hoc, quod in annexa Tab. XXIX. referimus, in ipsius Ecclesiæ Tribuna expressum cernitur, cuius Arcus duobus Encarpijs varijs

A frondibus, floribus, ac fructibus ornatus est; quos omnes Zona simul vnit, atque annectit. In eiusdem Arcus summitate, vbi vniuntur Encarpia paruus est Circus, cuius in medio fulget Crux; subtus Crucem nubes, & veluti emicat stellatum Cælum. E nubibus erumpit manus perstringens coronam. Quid hoc denotet symbolum disseruimus supra in Ecclesijs SS. Cosmæ, & Damiani. Ni-


B hil aliud hic addere iudico, nisi quod Deus coronat illos, qui pro suo amore martyrij certamen, ac labores subire non detrectarunt. Tribunæ medium occupat B. Agnes monilibus, ac laticlauo gemmato ornato Græcorum Imperatorum, ac Reginarum more, vt cernere est Goar in suo Rituali Græcorum pag. 924. & apud Du Cange in sua Constantinopoli Christiana pag. 157. Laticlauus est ille,

C quem literâ A indico. Cur autem Pictor, siue Musiuarius tali modo hanc sanctam Virginem appinxerit, non errarem, opinor, asserendo, quod bonæ Artes in Italia tunc temporis iam perierant; quare Constantinopolim ad locandos Artifices mittendum erat, qui de antiquo Latinarum Virginum vestitu, atque ornatu ignari, eas iuxtâ Græcorum consuetudinem exprimebant. Hanc coniecturam nobis suggerit Leo ostiensis in suo Chro-

D nico Monasterij Cassinensis lib. 3. cap. 28. vbi refert, Desiderium Abbatem Montis Cassini Anno Dominicæ Incarnationis 1066. nouam Ecclesiam in honorem S. Benedicti ædificasse, ac Legatos Constantinopolim ad locandos Artifices destinasse peritos in arte Musiuaria, quæ a quingentis, & vltra annis magistra latinitas intermiserat.

Ad


S CA. AGNES
+AVREACONCISISSVRGITPICTVRAMETALLIS
ETCOMPLEXASIMVLCLAVDITVRIPSADIES
FONTIBVSENIBEISCREDAS,AVRORASVEIRE
CORREPTASNVBESRVRIBVSARVARIGANS
VELQVALEMINTERSIDERALVCEMPROFERETIRIM
PVRPVREVSQVEPAVOIPSECOLORENITENS
QVIPOTVITNOCTISVELLVCISREDDEREFINEM
MARTIRVMEBVSTISREPPVLITILLECHAOS
SVRSVMVERSANVTVQVODCVNTISCERNITVRVSQ
PRÆSVLHONORIVSHÆCVOTADICATADEDIT
VESTIB9ETFACTISSIGNANTVRILLIVSORA
EXCITATASPECTVLVCIDACORDAGERENS


OFERETIRIM
ENITENS
ODEREFINEM
LECHAOS
SVRSVMVERSANVTVQVODCVNTISCERNITVRVNVSQ
PRÆSVLHONORIVSHÆCVOTADICATADEDIT
VESTIBꝰETFACTISSIGNANTVRILLIVSORA
EXCITATASPECTVLVCIDACORDAGERENS

Ad Virginis pedes extenditur A gladius, & ex vtroque latere exurgunt flammæ, quæ huius Virginis, & Martyris pænas constanter exantlatas indicant. Ad dexteram eiusdem Virginis stat Pontifex Honorius, qui Ecclesiam restaurauit; siue denuo reędificauit, vt ad pręsens cernitur ideò illius exemplar in manibus tenet. In sinistra alius est Pontifex, ni fallor, vt ex indumentis, precipuèque ex Pallio dignoscitur; librumq; manu gestat: quare iudico, imaginem hanc Symmacũ B summum Pontificem dicti Honorij Antecessorem, ac eiusdem Ecclesiæ etiam Restauratorem demonstrare.

In eiusdem Tribunæ extremitate non nulla sunt carmina aureis literis expressa, vt eadem in Tabula cernere est; at pro maiori Lectoris commodo hic eosdem referimus versus.

Aurea concisis surgit Pictura metallis, C
Et complexa simul clauditur ipsa dies.
Fontibus è nibeis credas aurora subire,
Correptas nubes ruribus aura rigans;
Vel qualem inter sidera lucem proferet Irim,
Purpureusque pauo ipse colore nitens.
Qui posuit noctis, vel lucis reddere finem,
Martyrum è bustis hinc reppulit ille chaos. D
Sursum versa nutu, quod cunctis cernitur vsque
Præsul Honorius, hæc vota dicata dedit;
Vestibus, & factis signantur illius ora,
Excitat aspectu lucida corda gerens.

Animaduertendum est, amborũ Pontificum vultus pictura fuisse suppletos, quia Musiuum deciderat, quod lineis indicare volui, vt in ipsomet apparet Musiuo.

CAPVT XV.

De Oratorio S. Venantij, siue Basilica Theodori Vrbis, musiuo ornata opere circa Annum Domini 642.

INter antiquiora sacra Ædificia, Lateranensi Patriarchio adiacentia, S. Venantij Oratorium enumeratur, quod Baptisterio cohæret. Huius Oratorij construttionem apud Bibliothecarium in Ioannis IV. Beatissimi Pontificis vita legimus, vbi sic: *Eodem tempore fecit Ecclesiam Beatis Martyribus Venantio, Anastasio, Mauro, & alijs multis Martyribus. Quorum reliquiæ de Dalmatia, & Istria adduci præceperat, & & recondidit eas in Ecclesia suprascripta iuxta fontem Lateranensem iuxta Oratorium B. Ioannis Euangelistæ, quam ornauit, & diuersa dona obtulit.* Ad cathedram. B. Petri Ioannes Pontifex euectus fuit Anno 639. At Eminentissimus Purpuratus Cæsar Cardinalis Rasponus, in sua historia Lateranensis Basilicæ, lib. 4. cap. 11. & 12. huius Oratorij fundationem in dubium reuocat, cum autumet, præfatum Ioannem summum Pontificem, idem Oratorium, forsitan collapsum, reædificasse, melioribusque decorasse ornamentis. Quidquid de huiusmodi sit fundatione, ex præfati Rasponi sententia incertum redditur; certum tamen est, antiquissimum esse ædifi-

cium, vt eruditus Panuinius antiquitatum amantissimus scribit, ac olim vsque ad zophorum è Tabulis marmoreis incrustatum, nec non supra zophorum vsq; ad tectum, Musiuo opere ab eodem Ioanne Pontifice in speciosiorem formam redactum fuisse. De huiusmodi ornatu nihil ad præsens superest præter Tribunæ Musiuum, cum tempus omnia secum trahat, consumet, ac deuoret. Parietes omnes albario obductę sunt, interioremque Oratorij, siue Ecclesiæ statum ipsemet immutare vidi; Nam ante Tribunam antiqua erat Ara, cui impositum Ciborium quatuor suffultum marmoreis columnis conspiciebatur; Nec non per quatuor gradus ad eandem Aram dabatur ascensus. Hæc Ara demolita fuit, aliaque ligusticis marmoribus cũ venustiori forma erecta, in quam Beatissimæ Virginis imago, quæ in Altari propè Sacrarij ianuam erat, translata, nàm altare dirutum fuit. Hęc noua constructio Musiui aspectum aliquantisper impedit.

Musiuum hoc, à temporis iniurijs seruatum, anno 1674. à quondam Narcisso Spina Musiuario in multis, quæ perierant pristinæ formæ restitutum fuit, vt ipse mihi narrauit, afferens, duas illas fenestras, quas in annexa Tab.XXX.lit.F.indico, etiam Musiuo opere in interioribus partibus fuisse ornatas nunc verò muro obductæ sunt, vtpote etiam alia indicata lit. G. Hæc de præsenti fabricæ statu, modò ad Musiui Operis descriptionem de more nostro descendimus.


In anteriori huius parietis facie cernitur Arcus, eleganti Opere Musiuo efformatus, in quo, vt videre est, quinque sunt expressæ Cruces; super arcum duo sunt quadrata, in quorum vno S. Lucas, & S. Matthæus, in altero S. Marcus, & S. Ioannes omnes Euangelistæ, sub animalium forma expressi. In eiusdem parietis angulis, duæ Ciuitates, in portis suspensas lucernas habentes efformatæ spectantur. De præfatis symbolis alibi disseruimus, ideò calamum ad alia notanda conuertimus.

Ad eiusdem Arcus latus dextrũ octo Sancti musiuo opere expressi sunt, totidemque ad sinistrum: eorum, qui ad dexteram cernuntur partem, nomina sunt: S. Paulianus. S. Telius, S. Asterius, S. Anastasius; ad sinistram, S. Maurus, S. Septimius, S. Antiochianus, S. Gaianus. Ambigendum minimè est, hos Sanctos, illos repræsentare Martyres, quorum reliquias laudatus Ioannes IV. summus Pontifex è Dalmatia Romam adduci voluit, vt supra exposuimus. De hisce Martyribus ad diem 11. Aprilis in Martyrologio Romano hæc fit mentio: *Salonæ in Dalmatia SS. Martyrum Domnionis Episcopi cum octo militibus*. Celebris Cardinalis Baronius in notis ad idem Martyrologium sic asserit: (*Domnionis Episcopi, & Soc.*) *De his etiam Vsuardus hac die, consentiuntque Veter. manusc. Sociorum nomina hæc sunt: Paulianus, Telius, Asterius, Anastasius, Maurus, Septimius, Antiochianus, & Caianus; quorum corpora Ioannes* PP. IV. *Dalmata, translata è Dalmatia, propè Baptisterium Constantini recondidit in Oratorio à se decentissimè exornato. Asseruatur illic etiam corpus S. Venantij. Hæc eiusdem*


SCS
SCS
SCS
SCS
SCS
VLINIANVS·TELIVS·ASTERIVS·ANASTASIVS
S
GAIANVS
B
G
B
B

pag. 106.



SCS PAVLINIANVS · SCS TELIVS SCS ASTERIVS · SCS ANASTASIVS

SCS MAVRVS SCS SEPTIMIVS SCS ATIOCHIANVS SCS GAIANVS

dem Ecclesiæ Lateranensis monumenta testantur. Hinc dubitandi ansam desumo, non omnes octo hoc in Emblemate expressos fuisse Milites, vt ex indumentis facilè argui potest, sed tantumquatuor; nam Chlamys militaris erat vestis. S.Paulinus,tàm veste, quàm chlamyde albi coloris est indutus, præter panni particulam, quæ è pectore decidit, corpusque tegit, quæ coloris violacei sub obscuri est, cuius in medio duo alba signa cernuntur. Diù cogitaui, quid indicaret pannus iste; mea propterea reuolui mente omnia Romana simulacra, sed nihil adinueni, quod huic panno adaptari posset: Iudico itaque,Grecanicum ornamentum esse, cum Sanctos istos Græcos fuisse putem, quoniam in Dalmatia obdormierunt in Domino. Greci enim Imperatores deferebant Laticlauum in signum supremæ nobilitatis.

S. Telius, Antiochianus, & Gaianus pari modo vestiti sunt; reliqui vero tres Ecclesiastica indumenta habere noscuntur; nam S. Asterius casula violacei coloris, quæ sacerdotalis est vestis, S. Maurus an casula, vel Damaltica indutus sit, dubium redditur: vestis autem violacei est coloris: S. Anastasius verò veste alba, pallioque glauco indutus cernitur,in cuius pallij fimbria est Monogramma N.S.Septimius autē Dalmaticam albam defert. Hi tres postremi capillos in coronæ formam tonsos habent, qui coronam clericalem demonstrant. Quare pro certo habeo, quatuor, vt dixi, fuisse Milites, alios duos Episcopos,siue vnū Presbyterū, alterum Diaconum,postremus virum secularem, huncque esse illum Anastasium Aquileiensem, qui apud Salonam Martyrium pro Christi nomine suscepit, vt scribit Thomas Archidiaconus Spalatensis in sua Historia Salonitanorum Pontificum cap.3.Vltra indumenta etiam locum siue situm obseruo, quem eisdem Pictor dedit;nam Consuli primum locum, secundum Archiepiscopo, ni fallor, qui forsitan Archiepiscopus Salonitanus fuit, tertius locus datus S. Asterio, qui forsan erat Presbyter Ecclesiæ Saloniensis, quartus S. Septimio, qui forsitan eiusdem Ecclesiæ Diaconus. Obseruo etiam,quòd Ecclesiastici deferunt librum, vel volumen; ille Euangeliorum librum, indicat; hoc illud ostendit volumen,in quo ordinationes,alijque Ecclesiastici ritus cum figuris annotatæ erant: similia volumina talibus ornata figuris me vidisse,recordor.Animaduerto vlterius, quòd omnes viri seculares coronam gemmatam in manibus deferunt, quæ oblationes, in sacrificijs à Fidelibus factas, significant, vt alibi diximus. Hæc de arcu modò ad tribunam.

In huius Tribunæ summitate stat Christus Dominus noster, veluti inter nubes, dexteram in actu benedicendi extollens, violacei coloris veste coopertus. Ad dexteram vnus, ad sinistram alter Angelus adstant, cæruleis indumentis vestiti, in quorum fimbrijs est monogramma H.In inferiori Tribunæ parte, in eiusque medio stat Beatissima virgo expansa tenens brachia, quam vestes violacei subobscuri coloris circundant; E collo pendet parua Crux, ac supra interiorem vestem etiam pendere, cernitur orarium, siue stola Cruce insigni-

ſignita. Ad eius dexteram ſtat ſenex, alba veſte amictus, cuius in fimbria eſt monogramma P, librum dextera tenens, qui S. Paulum abſque dubio indicat, cum ad ſiniſtram ſtet S. Petrus, vt claues, quas in dexterâ habet, talem ſanctum virum demonſtrant:ſiniſtrâ viatorium ſtringit, cuius in ſummitate eſt Crux. De hoc baculo ſcripſi in mea Diſſertatione: An Romanus Pontifex vtatur baculo Paſtorali. Prope S. Paulum eſt S. Ioannes Euangeliſta, vt ipſa epigraphes oſtendit, qui librum itidem gerit, veſtibuſque albis indutus eſt, & in exterioris veſtis lacinijs monogramma H apparet. Propè S. Petrum eſt S. Ioannes Baptiſta, vt appoſitus titulus exprimit; interiorem veſtem cærulei, pallium verò glauci coloris habet, in huius pallij extremitate appictum cernitur dictum monogramma H. Modò ad dexteram redeo partem; poſt S. Ioannem ſequitur S. Venantius, qui interiorem veſtem albam defert, ac ſuper hanc aliam veſtem coloris violacei ſubobſcuri, quæ Caſula, ni fallor, eſt, ac ſuper eandem orarium, ſiue ſtola excurrit. Quòd S. Venantium deſcripta figura repræſentet, appoſitæ literæ id ſignificant; quod fuerit Epiſcopus, ex veſtibus deducitur, cuius verò loci, incertum eſt; certum tamen, quòd eius corpus cum alijs ſuprarelatis Martyribus laudatus Ioannes Pontifex è Dalmatia adduci fecit, vt ſupracitatus Bibliothecarius enarrat. In oppoſita parte poſt S. Ioannem Baptiſtam apparet S. Domnio, pari modo veſtitus, qui itidem Epiſcopus fuit; & cenſet Eminentiſſimus Purpuratus Baronius in notis ad Martyrologium ad diem primam Aprilis, ambos hos Prouinciæ Dalmatiæ, ſiue Iſtriæ fuiſſe Epiſcopos: Baronij autem ſententiam libenter amplector. Redeamus modo ad dexteram: In huius Tribunę angulo vir antiquis Pontificalibus indumentis circundatus violacei ſubobſcuri coloris, qui Eccleſiam manibus ſuſtinet, procul dubio Sanctiſſimum Pontificem Ioannem IV. Eccleſiæ ædificatorem deſignat: conſueuere enim antiqui Romani Pontifices, quando Eccleſias ædificabant, illaſque Muſiuis ornabant operibus, propriam imaginem in eis exprimere, & conſtructę Eccleſiæ delineationem, in manibus geſtantem, vt videre eſt in Eccleſijs S. Laurentij in Agro Verano, ac S. Agnetis ſuprarelatis, & alijs infra referendis. In oppoſito verò angulo, ſiue ſiniſtra parte ſtat, ni fallor, alter Pontifex, quoniam ſimilibus veſtibus indutus cernitur, librumque in manu geſtat. Hunc pro certo habeo, Sanctiſſimum Pontificem Theodorum, eiuſdem Ioannis ſucceſſorem demonſtrare, qui Eccleſiam à ſuo Prædeceſſore conſtructam Muſiuis ornauit operibus; quare debitam ſuo Anteceſſori laudem detrahere minimè volens, propterea eiuſdem imaginem, vti Oratorij Conſtructoris, exprimi voluit.

His ſub imaginibus non nulla leguntur carmina, quæ tam à Grutero pag. 1164. num. 4. quàm a Raſpono lib. 3. cap. 12. in ſua Baſilica Lateranenſi errata; ab Eccleſiaſticæ hiſtoriæ vero parente Cardinali Baronio correcta referuntur, ad cuius normam minuſculis ſuppleuimus literis, ea quæ in Autographo tempo-

rum


T
H


S̄C̄S̄ VENANTI
S̄C̄S̄ IO NIS
HIAN EV
V Z
B
B
B
H
B
P
ATILLE S VAS
mARTIRIBVS XP̄I DNI PIA VOTA IOHANNES red DIDIT ANTISTES SA nc TIFICANTE deo a SACR


TAB·XXXI
SCS VENANTI
SCS IONIS
HIANEV
SCS IOHA
NNIS·BA
SCS DOMNIO
m ARTIRIBVS XPI DNI PIA VOTA IOHANNES red DIDIT ANTISTES SA nc TIFICANTE deo a SACRI FONTIS SIMILI FVIGENTE METALL
opreadus insta NTeR HOC COPVLAVI t opus QVOQVIS GRADIENS ET XPM PRONVS ADORANS effusas pu EPRECES IMPETRAT ILLE suas
pag. 108.

rum iniuria deleuerat, vt videre eſt A
in annexa Tab. XXXI. Carmina ve-
rò ibi inciſa hæc ſunt:

Martyribus Chriſti Domini pia vota
Iohannes
Reddidit Antiſtes, ſanctificante Deo.
At ſacri fontis ſimili fulgente metallo,
Prouidus inſtanter hoc copulauit opus;
Quò quis quis gradiens, & Chriſtum
pronus adorans,
Effuſaſque preces impetrat ille ſuas: B

CAPVT XVI.

De Eccleſia S. Stephani in Monte Celio Vrbis muſiuis decorata picturis Anno 645.

VEtuſtiſſimum hoc cæcæ Gentilitatis fuiſſe Ædificium diuerſi inter ſe conueniunt Scriptores; diſcrepant tamen circa illius vſum, quo- C niam non nulli falſo Numini Fauno olim dicatum probare, contendunt, alij vero alia ſcriptitant. Præcipuorum Scriptorum teſtimonia, vt certiùs Lector ſuam poſſit ſtabilire ſententiam, contexam. B. Marlianus, ſiue Ioannes Bartholomæus Marlianus, ſolertiſſimus antiquitatum Romanarum indagator, in ſua Topographia Vrbis Romæ, lib. 4. cap. 9. ſic ſcribit: *In proximo eſt Templum* D *circulari forma multis per ambitum columnis adornatum, D. Stephano nunc ſacratum, olim vero Fauno, vt ex titulo quodam ibi reperto omnes conſentiunt*. In hanc eandem ſententiam iuit Lucius Faunus, Marliani coeuus, lib. 13. cap. 14. Recens verò etiam diligentiſſimus Antiquitatum Vrbis perſcrutator, Famianus Nardinus, in ſua Roma antiqua lib. 3. cap. 7. ab hac recedit ſententia, & non nullorum aliorum ſcriptorum refert iudicium, ſuamque exponit opinionem. Primo igitur loco ſcribit, Blondum aſſerere ſuo tempore, hoc ædificium magnificam fuiſſe Eccleſiam, marmoreis incruſtationibus, Muſiuiſque ornatam operibus, & inter pulchriores Vrbis annumeratam. Secundo loco adducit Serlium, qui in ſua Architectura, eiuſdem ædificij Iconographicas, ac Scenographicas oſtendit Tabulas, ex quibus mirabile fuiſſe ædificium clarè deducitur, tertio loco exponit Nicolaum V. ſummum Pontificem, illius ædificij ambitum coarctaſſe, quare inducit Donatum, qui itidem de veteri, ac recenti Roma ſcripſit, credere, non Fauni, ſed Claudij fuiſſe Templum, quoniam non ſolum Victor, & Rufus eiuſdem meminerunt, verum etiam Suetonius in Veſpaſiano cap. 9. ſcribit: *Fecit templum Pacis foro proximum, denique Claudij in Cœlio Monte cœptum ab Agrippina, ſed à Nerone prope funditùs deſtructum*. At ab allatis ſententijs diſcedit laudatus Nardinus, quoniam Frontini verba, lib. 1. de Aqueductibus, quæ Donatus pro ſua firmanda ſententia adducit, contrarium demonſtrare, videntur: *Ii directi* (inquit Frontinus de Neronianis Aqueductibus) *per Cœlium Montem iuxta Templum D. Claudij terminantur*; quorum parietinæ, quæ adhuc ſuperſunt vltra S. Stephanum iuxta Eccleſiam D. Ioannis, & Pauli ſe oſtendunt. In vinea huic proxima olim ſpectabatur ruina antiqui ædificij, in quo Caſtellum aquarum viſebatur

ſebatur

sebatur, quare est etiam verisimile A prope locum hunc Claudij Templum extitisse, in quo antiquorum ædificiorum vestigia cernuntur. Exclamat igitur laudatus Nardinus, tam magnificum Delubrum rustico numini minimè appropriari, quoniam Corynthij Ordinis est, potius igitur Baccho: imo Thermas fuisse publicas, siue armamentarium, aut macellum, vt fusiùs loco citato demonstrare, conatur. In hac sententia Nardinum præcessit Pompeius Vgo- B nius in suis Stationibus Vrbis Stat. 38. Hæc sunt, quæ de fundatione, siue huius Ecclesiæ constructione expiscari potuimus; modo ad eiusdem in sacrum vsum conuersionem deuenimus.

Simplicius summus Pontifex, qui ad B.Petri Cathedram regendam anno 467. assumptus fuit, Ecclesiam hanc ab omni profana expiauit labe, vt ex eiusdem Pontificis vita à Bibliothecario relata, deducitur; Ait enim: *Hic* (nempe Simplicius) *dedicauit Basilicam S. Stephani in Cælio Monte*. Vocem hanc dedicauit sic explanat Gillebertus Lunicensis Episcopus de vsu Ecclesiastico apud Du Cange in suo Magno Glossario in hac eadem voce, vbi: *dedicat etiam Pontifex atrium, Templum, Altare, tabulam Altaris. Dedicare enim est, locum Deo offerre, benedicere, & sanctificare*. Successiuè Ioannem Papam huius nominis Primum, qui floruit anno 523., hanc Ecclesiam marmoribus ornasse, deducitur; sed ob breue tempus, quo Pontificatum tenuit, & ærumnas, quas in carcere passus fuit, inceptum opus absoluere minimè potuit; quod postea Felix IV. eius successor ad præscriptum perduxit finem, quæ omnia ex infrascriptis inscriptionibus à Grutero pag. 1164. num. 17. & 20. relatis apertè inferuntur.

Num. 17.

OPVS QVOD BASILICAE BEATI MARTYRIS STEPHANI
DEFVIT A IOHANNE EPO MARMORIBVS INCHOATVM
IVVANTE DNO FELIX PAPA ADDITO MVSIVO
SPLENDORE SANCTAE PLEBI DEI PERFECIT

Num. 20.

DNO IVVANTE FELIX EPS DEI FAMVLVS
FORVM BASILICAE BEATI MARTYRIS
STEPHANI MVSIVO ET MARMORIBVS
DECORAVIT

Hadrianus verò I. Pontifex in D eadem B.Petri Sede, ac Simplicij successor, circa annum 773. hanc ipsam Ecclesiam restaurauit, vt ex eiusdem Pontificis vita à laudato Bibliothecario descripta deducitur, ibi: Pariter

„ etiam, & in Basilica B. Primi Mar-
„ tyris Stephani, sita in Cœlio Mon-
„ te, quæ per olitana tempora mar-
„ cuerant, maximas in ea trabes, va-

sta

„ sta mole, quin etiam porticus mi-
„ rificè intrinsecus, & extrinsecus à
„ nouo reparauit. Itidem Theodo-
rus I. summus Pontifex laudati Ha-
driani Prædecessor, qui floruit anno
642. eandem Ecclesiam celebriorem
reddere volens sacris pignoribus, vi-
delicet corporum BB. Primi, & Fe-
liciani locupletauit. Historiam hanc
sic sæpè citatus Bibliothecarius in
istius Pontificis vita narrat: Eodem
„ tempore releuata sunt corpora
„ Sanctorum Martyrum Primi, &
„ Feliciani, quæ erant in arenario,
„ sepulta viâ Numentanâ, & addu-
„ cta sunt in Vrbem Romam. Quæ
„ & recondita sunt in Basilica B. Ste-
„ phani Protomartyris in Monte
„ Cœlio, vbi & dona obtulit, gaba-
„ thas aureas tres, tabulas ex argen-
„ to ante confessionem arcus argen-
„ teos duos. Quare ambigendum
minimè esse puto, Theodorum hu-
iusmodi Sanctorum corpora in hac
condidisse Ecclesia; ac etiam Musiui
Operis, in quo eorundem Sanctorum
conspiciuntur imagines, fuisse Au-
ctorē, quod in parte mutilū cernitur.
Huius exemplar habes in annexa
Tab. XXXII. vbi in Arcus summi-
tate obijcitur manus, veluti è Cælo
stellato prosiliens, coronam tenens,
quod symbolum in illo loco fre-
quens fuit, vt in Ecclesijs SS. Cosmę,
& Damiani, S. Agnetis, & alibi in-
fra referendis conspici potest. Inten-
debant enim antiqui illi Fideles per
hoc hieroglyphicum, Dominum si-
gnificare, seruis suis pro fide certan-
tibus promptam gloriæ coronam
concedere, vt eisdem in locis fusiùs
exposuimus. Sub hac figura paruam
intra peripheriam Saluatoris imago

A expressa est; sequitur deinde gem-
mata Crux. Ad cuius dexteram est
S. Primus talari veste coloris albi in-
dutus, pallium violacei coloris, flori-
bus aureis variegatum habens, in-
teriùs verò vestem rubeam, vt ex
manica dexteri brachij, volumen
præ manibus tenens. Itidem pari
modo vestitus ad sinistram est S. Fe-
licianus; & vestes tam intimæ, quàm
extimæ candidæ sunt. Pallium verò
B violaceum absque floribus, & ipse
quoque volumen tenet. Sic Pictor
eos exprimere duxit, quia ipsi Ciues
Romani, ac fortasse Senatores erant,
quorum simulacra, cum similibus
voluminibus præ manibus, vt plu-
rimum cernuntur. Ad eorundem
pedes olim extabat inscriptio, sed à
temporis iniuria ferè tota corrosa,
quæ superest in annexa Tabula lite-
ris maiusculis indicaui, quæ deest mi-
C nuscolis, illius desumpto tenore ex
Grutero in suis Christianis Inscrip-
tionibus, pag. 1164. nu. 19. suppleui.
Quare ex hac inscriptione facilè ar-
gui potest, quantum debeamus illis,
qui curam describendi ea, quæ suo
æuo supersunt, assumunt: Nisi Gru-
terus, hanc collegisset inscriptio-
nem, vtique iam ex hominum pe-
rijsset memoria.

Sacra hæc pignora per duo, &
D vltra sęcula hac in Ecclesia requieue-
runt; postmodum Sergius II. sum-
mus Pontifex Eremberto Viro illu-
stri Insubri dono concessit, vt ex se-
quenti elicitur inscriptione apud lau-
datum Gruterum pag. 1162. nu. 2.
quæ cum diuersorum dubiorum ma-
ter sit, genuinum eiusdem exemplar
ex Ecclesia in Oppido Legiuni, vbi
ista sacra seruantur pignora, ac parie-
ti in

ti in marmore sculpta legitur, transcriberetur curaui, cuius est tenor.



HIC SCI PRIMI MARTYRIS CORPVS
VENERANDVM IN XPO HVMATVM QVIESCIT
QVOD DNO DIGNVS SERGIVS PAPA IVNIOR
EREMBERTO INLVSTRI VIRO CONCESSIT
AB VRBE ROMA CVM HYMNIS, AC LAVDIBVS
SPALIBVSQ; CANTICIS DVM ESSET TRANSLATVM
QVEM INTER SCOS EIVS SPS TENEAT PRIMATVM
IN MVLTIS VIRTVTIBVS ET SIGNIS EST DECLARATVM
RECONDITVM EST CORPVS BEATI PRIMI MARTYRIS
CVM RELIQVIS SCI FELICIANI ANNO INCARNATIONIS
DNI NRI IHV XPI DCCCVI KL AVG INDIC VIIII ORDINANTE DOM
ANGILBTO ARCHIEPO ANNO XXIII PASSIO SCOR VI ID IVN.

Primum igitur dubium, quod hæc parit inscriptio, est de Papa Sergio Iuniore, qui intelligendus est pro Sergio II. in summum Pontificem electo die 10. Februarij Anno 844. qui obijt die 12. Aprilis 847.

Secundum est de anno Incarnationis, qui in inscriptione est 806. Gruterus verò corrigit in 906. quo tempore Petri Cathedram regebat Sergius III. Pontifex.

Tertium de Indictione.

Quartum est de Anno Archiepiscopatus Angilberti. Super his dubijs varij Insubres scripsere Auctores, quorum breuitatis gratia tantùm referam nomina, innumeras omittendo assertiones. Ac sunt Bonauentura Castiglione, Petrus Galesinus, Paulus Morigia, Philippus Ferrarius, Franciscus Berozzo, Ioseph Ripamôtius, ac Ioannes Petrus Puricellus. Inter hos etiam annumerandus Carolus à Basilica Petri Episcopus Nouariensis, qui in suo Tractatu inscripto: Fragmenta historiæ Mediolanensis de SS. Primo & Feliciano Martyribus, sic loquitur: Legiuni, qui vi-,, cus est, & caput Plebis, vt in Dicæ-,, cesi Mediolanen. loquuntur, est

B ,, parua Ecclesia S. Primi nomine ,, appellata, quam olim ædificauit ,, Erembertus Comes; & Vassallus ,, Lotharij Imperatoris, & prædijs, ,, & redditibus dotauit. Cumque à ,, Sergio Pontifice Romano corpus ,, S. Primi impetrasset, vna cum ,, reliquijs S. Feliciani, illud ibi re-,, condidit, anno Domini, vt legi-,, tur DCCCVI. Kal. Augusti Indi-,, ctione IX. ita præscribente Angil-,, berto Archiepiscopo Mediolan.

C ,, Extat Eremberti donatio, in qua ,, narrat secum, licentiâ sergij Papæ ,, II. Roma eò attulisse corpora SS. ,, Primi, & Feliciani; postea in re-,, medium animæ suæ, & Erme-,, nulfi eius Patris, & aliorum do-,, nat multa ipsi Ecclesiæ, in qua ,, vult ordinari Sacerdotem, qui ibi ,, assiduò habitet, & inseruiat, lu-,, minaria suppeditet, sarta tecta ,, habeat, officijque curam gerat,

D ,, quem appellat Custodem, & alio ,, loco Ordinarium, reseruans Pa-,, tronatus Posteris suis, quod qui-,, dem ius, potestatem, & ordi-,, nationem appellat. Hac de re est ,, inscriptio in lapide, qui adhuc ex-,, tat super Altari ipsius Ecclesiæ.


Arca

T.



ASPICIS AVRATVMCAELSETICVLMINE TE/M

)OM
N·
nine
zauit
allus
dijs,
que à
rpus
um.
bi re-
legi-
ndi-
ngil-
plan.
qua
Papæ
a SS.
n re-
:me-
do-
ua.
i ibi
lu-
fta.
rat,
alio
Pa-
qui-
rdi-
: est
ex-



ASPICIS AVRATVM CAELSETI CVLMINE TECTVM ASTRIFERVMQVE MICANS PRAECLARE LVMINE FVLTVM

„ Area autem S. Corporis lateritia A
„ videtur, quæ ab eo posita ab vtro-
„ que latere Altaris prominet,
„ quam inscriptionem etiam Bona-
„ uentura Castillioneus in suo li-
„ bello descripsit, vbi recenset Insu-
„ brum sedes.

Inscriptionem refert, quæ cum sit eadem, ac supra indicata, ideò breuitatis gratia, illam denuò referre omittior: deinde idem Auctor addit: Nisi memoratæ donationis B
„ literæ nos fallunt, postquam dixit
„ Erembertus, se Romæ suscepisse
„ corpora SS. Primi, & Feliciani,
„ vnum se dicit in Legeduno re-
„ condidisse, vt alterum alibi collo-
„ casse videatur. Perrexi, inquit
„ Romam, vnde per dictam licen-
„ tiam Domini Sanctissimi Sergij
„ Papæ sincera corpora SS. Christi
„ Martyrum Primi, & Feliciani
„ suscepi, vnumque in Legeduno C
„ recondidi. Quod inscriptio vide-
„ tur quoque significare, dùm de
„ corpore S.Primi ibi humato, aper-
„ tè commemoratur, postea verò
„ additur, illud cum reliquijs S. Fe-
„ liciani ibi esse conditum. In Bre-
„ uiario Ambrosiano B. Caroli iussu
„ restituto mentio est huius trans-
„ lationis die IX. Iunij, quo die ho-
„ rum SS. Martyrum Festum cele-
„ bratur. Petrus quoque Galesinus D
„ eiusdem translationis meminit in
„ notationibus sui Martyrologij, vbi
„ etiam inscriptionem illam posuit.
„ sed in numero Annorum inscri-
„ ptionis error est; cum enim dica-
„ tur corpus esse concessum a Ser-
„ gio Iuniore, & esse conditum an-
„ no DCCCVI. Ordinante Angil-
„ berto Archiepiscopo; id proba-
„ ri non potest. Nam Sergius II.
„ creatus est Papa Anno Domini
„ DCCCXLIV. Angelbertus verò
„ itē secundus An.DCCCXXXIV.
„ Quod si anno Angelberti XXIII.
„ eadem habet inscriptio, S. Cor-
„ pus ab Eremberto conditum est,
„ anno id factum oportet Domini
„ DCCCLVII.Sed tunc verum non
„ erit, quod in donatione dicitur,
„ ipsam donationem factam esse
„ anno Regni Lotharij XXVII.
„ nam is factus est Rex Italiæ Anno
„ DCCCXXII. Verùm facile est in
„ hos numeros mendas irrepere.

Quidquid Auctor iste hucusque narrauit, errores in inscriptione irrepsisse, demonstrat, sed non emendat; itaque ab his celeberrimis viris mihi relinquitur locus meam promendi sententiam; nempe Longobardorũ Natio, cum in Insubria suã fixisset sedem, ac latinæ linguæ, characterumque Latinorum numerum indicantium ignara esset, potiusque armis, quàm literis dedita, ex hoc facillimè colligo, laudatam Inscriptionem erratam esse. Propterea iudico, in inscriptione tres numeros per errorem fuisse expressos, causaque fuit, quia characteribus literarum Latinarum jidem numeri fuerunt descripti; vnde errores, valoris cuiuscunque literæ, vel ex ignorantia illius, qui numerum dictauit, vel ex ignorantia sculptoris, qui Autographum fortasse male scriptum non intellexit, prouenerunt. Primus igitur error est in Anno Domini, vbi vltima litera I. numerum indicans debet esse L. Inscriptio enim errata sic legitur DCCCVI scilicet 806. correcta verò DCCCVL qui significant 845.

Secundus est error in Indictione, A in qua superflua litera tantùm est apposita, nempè vltima I. quæ sic se habet: VIIII. Tantò magis hic arguitur error, quantò magis numerus nonus, vt plurimum scribitur hoc modo; IX.

Tertius error est in Anno Archiepiscopatus Angilberti, scilicet XXIII. Hìc pariter vna litera est malè adiuncta, nempè secunda X. cuius in loco est ponenda litera V. adeoque legendum est XVIII. ex quibus erroribus sic correctis verus Chronologicus Ordo resultat; nam Anno Domini DCCCVI. viuebat Sergius Pontifex, eodem anno recurrebat Indictio VIII. eodemque tempore erat Annus XVIII. Angelberti; vnde initium eius Archiepiscopatus cadit Anno DCCCVI. & non XXVII. & sic habetur verum eiusdem Angelberti, Archiepiscopatus initium, cum C de hoc inter Insubres disceptetur Scriptores.

Ac vt in omnibus concors sit iste Chronologicus Ordo, emendandus alius est error, qui irrepsit in supracitata donatione, vbi legitur expressus Annus XXVII. Regni Lotharij, quare loco XXVII. legendus est XXIII. vnicâ litera, nempè V in I. mutata. Cum igitur Lotharius fuerit creatus Rex Italiæ, & Imperator inauguratus à Paschale I. Pontifice, anno DCCCXXIII. die Paschatis, quæ fuit V. Aprilis; Annus XXIII. illius Regni, siue Imperij cadit Anno supra memorato DCCCVI. Et hæc de hac Inscriptione, erroribusque in ea irreptis, Ecclesiaque, ac Corpore B. Primi, reliquijsque S. Feliciani dicta sint satis. Modo properemus ad alia.

CAPVT XVII.

De antiqua Imagine Musiui Operis S. Sebastiani constructa circa Annum 682. in Ecclesia S. Petri ad Vincula Vrbis.

Inter illustria antiqua munera, tam apud Ethnicos, quàm apud B Fideles, illud Defensoris ab omnibus recensetur. At nomen generale, quod plurimis conuenit Viris, Præcipuè munus hoc, Defensoris Ciuitatis, illustre fuit apud Gentiles, ac apud Fideles, Defensoris Ecclesiæ, quod necessarium, ac expediens esse animaduertens, Magnus ille Gregorius Romanus Pontifex, in Vrbe ad septenarium Defensorum auxit numerum, vt Ecclesiæ, sedisque Apostolicæ, ac Pauperum iura Defensores tuerentur. Inter hos inclytus ille Christi Athleta S. Sebastianus annumeratus est, qui Defensoris Ecclesiæ, pestilentięque Propulsatoris titulum meruit. Annexæ imagines in Tab. XXXIII. & XXXIV. abundè demonstrant, tã constructionis imaginis eiusdem Sancti, quàm Defensoris tituli eidem attributi causas, quas ille rerum D Longobardicorum Scriptor Paulus Diaconus lib. 6. De gestis Longobardorum cap. sic narrat: His temporibus „ (scilicet anno 680.) per Indictionem octauam Luna Ecclipsim „ passa est. Solis quoque Ecclipsis „ eodem pene tempore hora diei „ quasi decima, quinto Nonas Maias effecta est; moxque secuta est „ grauissima pestis tribus mensibus, „ hoc est Iulio, Augusto, & Septem-

„ tembrio, tantaque fuit multitudo A
„ morientium, vt etiam parentes
„ cum filijs, atque fratres cum soro-
„ ribus bini per feretra positi apud
„ Vrbem Romam in sepulcra dedu-
„ cerentur. Pari etiam modo, hæc
„ pestilentia Ticinum quoque de-
„ populata est, ita vt cunctis Ciuibus
„ per iuga montium, seu per diuer-
„ sa loca fugientibus, in foro, & per
„ plateas Ciuitatis herbæ, & fruteta
„ nascerentur. Tuncque visibiliter B
„ multis apparuit quia bonus, &
„ malus Angelus noctu per Ciuita-
„ tem pergerent, & ex iussu boni
„ Angeli, malus Angelus, qui vide-
„ batur venabulum in manu ferre,
„ quoties de venabulo ostium cuius-
„ cusque domus percussisset, tot de
„ eadem domo die sequenti homi-
„ nes interirent. Tunc per reuelatio-
„ nem cuidam dictum est, quod Pe-
„ stis ipsa prius non quiesceret, quā C
„ in Basilica, quæ B. Petri ad Vincu-
„ la dicitur S. Sebastiani Martyris
„ Altarium poneretur. Factum est,
„ & delatis ad Vrbem Romam Bea-
„ ti Sebastiani Martyris reliquijs,
„ mox vt iam dicta Basilica altarium
„ constitutum est, pestis ipsa quieuit.
Post narrationem hanc ab Ecclesia-
sticæ Historiæ parente Cardinali Ba-
ronio ad supradictum annum 680.
num. 52. relatam sic iste Purpuratus D
Historicus addit: Extat adhuc inte-
„ grum ipsum altare, nec non eius-
„ dem Sancti Martyris imago Mu-
„ siuo opere expressa. Sed ex hoc
„ propagata est ad posteros religio,
„ vt pestis tempore voti causa ima-
„ go eiusdem S. Sebastiani diuersis
„ in locis pingi soleret, sed & in eius
„ memoriam altaria erigi, imò etiam
„ & Ecclesias fabricari. Omnium
narratorum marmorea legitur in-
scriptio pone idem Altare tenoris se-
quentis.
„ S. Sebastiano Martyri Depulso-
„ ri Pestilitatis Ann. sal. DCLXXX
„ Vrbem Romam perniciosa, & gra-
„ uis inuasit Pestis. Trimestre malum
„ fuit Iulio Aug. quinto, & septi-
„ mo tanta accessit multitudo pe-
„ reuntium, vt eodem feretro Pa-
„ rentes cum liberis, Viri cum Vxo-
„ ribus, fratres cum fratribus, & so-
„ roribus efferentur, loca vndique re-
„ pleta cadaueribus vix suppetebant.
„ Ad hęc nocturna Miracula terrue-
„ rant; nam duo Angeli bonus al-
„ ter, contra alter Vrbem peragra-
„ bant, & hic Venabulum manu fe-
„ rens quot pulsibus ostia tetigisset,
„ totidem in illis domibus cadebant
„ Mortales: tandiu labes vagata, do-
„ nec cuidam S. Viro nunciatum fe-
„ runt, finem calamitatis fore, si in
„ Æde S. Petri ad Vincula Altare
„ Sebastiano Martyri consecraretur,
„ re perfecta, illicò pestis veluti ma-
„ nu pulsa, facessere iussa est. Hu-
iusmodi Altare ad læuam ingressus,
proximumque ianuæ olim erectum
fuerat; quo in statu vsque ad annum
1683. permansit: dein ad euitandam
irreuerentiam, in quam ad idem al-
tare orantes incurrebant, quoniam
aræ maximæ vertere tergum perne-
cesse erat, ex hoc loco amotum, & in
alium honorificentiorem cum Sancti
Imagine translatum fuit, nempe in
sinistram porticum, siue nauim, vbi
ad præsens idem colitur Sanctus. Su-
pramemorati facti series in pariete
depicta est prope locum, vbi S. Seba-
stiani stabat Musiua imago; & cum

pictura hęc Lectoris genio indulgere posse iudicem; ideò eam in Tabula XXXIV. refero: ibi Vrbs, ac bonus Angelus cum malo Dæmone, qui venabulum manu tenet, ostiumque pulsat, expressi cernuntur. Ibidem exhibetur pariter Ecclesiasticorum Processio, inter quos summus Pontifex Agatho, qui claues Ecclesiastici regiminis tunc temporis detinebat. Picturam hanc à tribus circiter seculis elaboratam esse existimo; & hæc satis de Historia, modo ad eiusdem Musiuæ Imaginis explicationem iuxta consuetum modum deuenio.

Imago hæc in d. Tab. XXXIII. repræsentatur, quæ ad hominis altitudinem communis staturæ chlamyde induti, nec non barbati est. Ad Imaginis latera eiusdem Sancti nomen expressum cernitur; vox tamen Sanctus est abbreuiata. Dè hac eadem Imagine differit Bollandus ad diem Ianuarij §. 5. num. 25. vbi sic: *Situm est Templum illud S. Petri ad vincula in Exquilijs, diciturque alio nomine, Titulus Eudoxiæ ab Eudoxia Augusta, Valentiani III. coniuge, vt 1. Augusti dicemus, cum de S. Petri vinculis agemus: In ea Basilica, vt Baronius scribit, Egregium S. Martyris monumentum veneranda eius imago opere musiuo expressa, atque hactenus integra extat senili aspectu, & barba: quod Pictores admoneat, qui iuuenem eum palo alligatum perperàm pingunt. At Pictores (licet quidlibet audendi potestas ab omni retrò memoria concessa ijs esse videatur, quam miramur nusquam censura aliqua coerceri, non vt artis inuentio fastidiose restringatur, sed vt quæ* A *Sanctis tribuuntur, expendantur, consulaturque honestati) sic tamen fortassis robur inuictum Sebastiani exprimere voluerunt iuuenili, & vegeta corporis forma*. Laudatus Bollandus eiusdem Baronij relatam sententiam alterat, nam prout Baronius scribit, retulimus superiùs: tres Baronij inspexi impressiones, & eas concordes esse, animaduerti; si aliæ adsint, ignoro. Hec adnotari duxi, B vt appareat, quanta Scriptoribus vtendum sit diligentia, ac animaduertentia, ne veritatem obumbrent, dum illustrare præsumunt.

Baroniùs igitur, vt Bollandus refert, Pictores redarguit, quòd S. Sebastianum imberbem depingant, cum barbatum ex allata imagine exprimere deberent. Bollandus verò eos excusat, cum vt diximus, iuuenem exprimendo Sanctum, voluerint C per hoc eiusdem Sancti inuictum animum, roburque demonstrare. At tantorum virorum pace, fas mihi sit meam in medio proferre sententiam, partim ex ipso Bollando desumptam, partimque aliundè conquisitam; & hoc pacto ratiocinor: Retulimus supra Musiuum, quod adhuc cernitur in Ecclesia S. Agnetis extra Vrbis mœnia, in quo ipsa Virgo expressa cernitur laticlauo ornata; D quamobrem ibi inquisiuimus, cur tali ornamento decorata fuerit, nullamque aptiorem, congruentioremque excogitauimus rationem, quàm illam Pictoris, siue Musiuarij, Constantinopoli conducti, qui Virginem iuxta suæ Regionis morem, nempe Græcorum, pinxit. Meam hanc coniecturam Leonis Ostiensis auctoritate firmaui, qui in Chronico Cassinensis

sinensis

TAB. XXXII.



pag. 116





ſinenſi ſcribit, Deſiderium Abbatem Montis Caſſini Conſtantinopolim ad locandos Artifices Muſiuarios miſiſſe, quoniam à quingentis, & vltra annis magiſtra Latinitas intermiſerat artem. Deſiderius floruit anno 1066. Quare ſi ab his demantur quingenti anni, illi, qui remanent ſunt 566. & Muſiuum noſtrum conſtructum fuit anno 680. ſicque hac in Vrbe iam non ſolùm Muſiuaria ars, verùm etiam Literæ magna in parte perierant, vt ipſemet ſumm. Pont. Agatho Muſiui coæuus in Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, & Heraclium, ac Tyberium Auguſtos ſcripta teſtatur; vbi ſic: Ideo- „ que Chriſtianiſſimi Dñi filij ſecun- „ dum pijſſimam miſſionem à Deo „ protegendæ manſuetudinis veſtrę „ pro obedientia, quam debuimus, „ non pro confidentia eorum ſcien- „ tiæ, quos dirigimus præſentes con- „ famulos noſtros Abundantium, „ Ioannem, & Ioannem Reueren- „ diſſimos fratres Noſtros Epiſco- „ pos, Theodorum, & Georgium „ dilectiſſimos filios noſtros Preſ- „ byteros, cum dilectiſſimo filio „ noſtro Ioanne Diacono, & Con- „ ſtantino Subdiacono ſanctæ hu- „ ius ſpiritalis Matris Apoſtolicæ „ Sedis, nec non & Theodorum „ Presbyterum Legatũ Sanctæ Ra- „ uennatis Eccleſiæ, & Religioſos „ Seruos Dei Monachos cum ſcri- „ pturarum cordis deuotione curá- „ uimus demandare. Nam apud „ homines in medio gentium poſi- „ tos, & de labore corporis quoti- „ dianum victum, cum ſumma ex- „ ercitatione (alij legunt hæſitatio- „ ne) conquirentes, quomodo ad „ plenum poterit inueniri ſcriptura- „ rum ſcientia? Quam epiſtolam ad eundem annum 680. refert etiam citatus Baronius. Ex hactenus dictis meam deduco coniecturam, quòd Pictor Græcæ Nationis fuerit. Quare S. Sebaſtianum Virum barbatum iuxta ſuæ regionis morem depinxit, vel eo quia obſeruans, in Italia innumeros fuiſſe barbatos viros, nempe Longobardos, vt innuimus ſupra in Tabulis IV. & V. ideo has ſpecies in mente ſeruans, barbatum expreſſit etiam Sebaſtianum. Nec mirum, quòd aliquis tunc non contràdixerit, cum ſumma eodem tempore vigeret ignorantia, vt nuper retulimus, quin etiam timor ipſorum regnantium Longobardorum; vnde omnes ſe ſe eorum vſibus accommodabant. Inſuper ſi ad præterita ſecula oculos conuertemus, obſeruabimus in illis, Imperatores alios barbatos, alios imberbes fuiſſe, vt ex hiſtorijs, ac numiſmatibus colligi, deducique poteſt: Nero enim, qui vixit anno 56. à Chriſto nato barbam raſit; Hadrianus, qui floruit anno 120. primus Imperatorum barbam geſtauit: Hoc non obſtante illius ſucceſſores raſa barba regnarunt. Poſt ſeculum ab Hadriano nempe anno 220. Macrinus iterum barbam detulit. Poſtmodum eius ſucceſſores denuo barbam raſerunt. In principio verò ſeptimi ſeculi Heraclius Imperator, qui regnauit anno 609. etiam detulit barbam; quam conſuetudinem cæteros Imperatores Gręcos amplexatos fuiſſe, ex numiſmatibus obſeruo. Quare Pictor virum nobilem exprimere volens barbatum figurauit, vt nuper diximus iuxta ſuæ Regionis

morem

morem, vel quia de Aulici more, genio adulari soliti Principis, huius moribus se conformauit.

CAPVT XVIII.

De Ecclesia S. Euphemiæ Vrbis musiuo opere ornata circa Annum 688.

VRbs Roma sicuti Romani Imperij sedes fuit, ita Christianæ Religionis caput euasit; quamobrem varia in illa summo Deo, ac in Sanctorum honorem erecta fuere Templa, inter quæ hoc S. Euphemiæ præterito numerabatur seculo. Huius Templi constructio illam antiquam fuisse ex Sergij I. vita a Bibliothecario descripta clarè deducitur, vbi sic: *Hic* (nempè Sergius) *Basilicam. S. Euphemiæ, quæ per multa tempora fuerat detecta coeperuit, ac renouauit.* Floruit Sergius anno 687. de hac eadem Ecclesia mentio fit in Vita Leonis III. Sergij successoris, ibi: *In Basilica Beatæ Euphemiæ fecit vestem de stauraci*, & infra: *Pari modo fecit, & in Monasterio Sanctorum Euphemiæ, & Archangeli, quod ponitur iuxta titulum Pudentis canistrum ex argento pensan. libras quinque.* Quare ex relatis, vetustatem eius clarè argui posse, iudico, atque Pudentis titulum in vico fuisse Patritio, qui nunc Ecclesia S. Pudentianæ appellatur. Basilica igitur S. Euphemiæ, de qua nunc sermo est, elapso vt diximus seculo, adhuc extabat ad Exquilini montis radices. Narrat Pancirolus, Xistum V. prospicientem Ecclesiam hanc vetustate fatiscere, dirui iussisse, ibique amplum aperuisse Vicum. Martinellus addit illius adhuc extare vestigia in angulo Vici Patritij. At cum vorax tempus, omnia secum trahat, omniaque alteret, & consumet, ideò nos nullum ex eadem vestigium inuenire potuimus. Superest igitur illius tantum memoria, nempè quòd fuerit propè Ecclesiam S. Pudentianæ, & quod illius Tribuna Musiuo opere ornata erat, cuius exemplar expiscauimus ex Codice Vaticanæ Bibliothecæ signato num.... quodque in Tab. XXXV. referimus. A temporis ingluuie delineatio seruata fuit à bo. me. Francisco Penia Sacrarum Antiquitatum amantissimo.

Quidnam illi duo Dracones, siue serpentes ad Virginis latera significent; pro certo habeo, Martyrium denotare, quod Beata subiuit. At apud Baronium in Martyrologio, tres huius nominis Virgines, & Martyres reperio. Prima sub die 20. Martij, quæ in Paphlagonia coronam adepta est; de qua etiam meminit Bollandus ad eundem diem, sed Martyrij acta non refert. Secunda Martyrium Aquileiæ passa est die 13. Septembris; huius pariter meminit Rubeus in historia Rauennatum, ac Rauennæ Martyrem occubuisse narrat. Tertia verò sub Diocletiano Martyrij palmam Chalcedone promeruit, cuius festum in Ecclesia celebratur die 16. Septembris. Huius Sanctæ Virginis Martyrium affabrè depictum se vidisse, testatur S. Arsenius Episcopus Amasenus in Concilio 2. Niceno Act. 4. & 6. at obiecta serpentibus minimè fuit. Laudatus Baronius in notis ad hunc diem scribit: placere magis dicere, plures fuisse Eu-


TAB.XXXV
B
A
C
pag. 119

ſe Euphemiæ. De hoc vide Franciſcum Mariam Florentinum in ſuo Martyrologio Lucenſi, pariterque Surium ad diem 16. Septembris. Quænam igitur hæc Sancta fuerit in Muſiuo expreſſa, alijs examinandum relinquimus, contenti illius formam deſcribere. Lit. A gemmatum ornamentum denotat; lit. B. veſtem coloris crocei ſubalbidi; C interiorem veſtem albam; D cingulum nigrum cum annulo gemmato: itidem ſemicirculari gemmato ſplendeſcit circundatum caput globulo, ſuper quod è Cęlo corona deſcendens viſitur, quam inuiſibilis hominis perſtringit manus, de qua corona ſic expreſſa diſſeruimus in Eccleſia SS. Coſmæ, & Damiani, S. Agnetis, & alibi, ideò hic finem dicendi impono, & ad alia propero.

CAPVT XIX.


De Eccleſia S. Marci Vrbis anno 337. conſtructa Muſiuis Picturis ornata anno 774.

SVa in ipſa vetuſtate inuoluta permanet hæc inclyta Eccleſia, quæ à Sanctiſſimo Pontifice Marco, huius nominis Primo, fundata: & in ea Hadrianus I. educatus, ac edoctus fuit, deinde ab eodemque Hadriano, & Gregorio IV. miris reſtaurata ædificijs, nec non à pluribus Cardinalibus, varijs illuſtrata ornamentis, cuique non modicum ſplendorem addidit magnum illud, ſumptuoſumque Palatium, eidem adiunctum, quod in Pontificum ceſſit habitationem, hodieque in Cardinalis eiuſdem Eccleſiæ Titularis, nec non Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ Oratoris vſum, commodumque conuerſum eſt. Hæc breuiſſimè aſſerta, ſuis auctoritatibus confirmare debemus. Antiquus igitur Bibliothecarius, in ipſius Marci vita, qui floruit anno 336. ita ſcribit: *Hic Pontifex fecit duas Baſilicas, vnam via Ardeatina, vbi requieſcit, & aliam in Vrbe Romæ, iuxta Pallacinas (vel vt alij legunt) Palatinas*. Famianus Nardinus Antiquitatum Romanarum ſolertiſſimus indagator, lib. 4. cap. 10. has trutinatur voces; opinaturque propterea à proxima antiqua Porticu Pole appellata, corrupta voce, ſuam deſumpſiſſe denominationem. Quod Hadrianus in hac Eccleſia educatus fuerit; ſic idem Bibliothecarius, in iſtius narrat vita:

„ Hic beatiſſimus vir (ſcilicet Hadrianus) defuncto Genitore, atque paruulus, nobiliſſimæ ſuæ Genitrici relictus, ſtudioſè a Patre Theodato dudum Conſule, & Duce; poſtmodum verò Primicerio Sanctæ noſtræ Eccleſiæ poſt tantæ dictæ ſuæ Genitricis obitum nutritus, atque educatus eſt. nam è prima ætatis ſuæ pueritia, dum adhuc laicus exiſteret, ſpiritualibus ſtudijs, charitatis, modeſtiæque vehementius inſiſtebat. ſedulo perſeuerans in Eccleſia S. Marci, quæ vicina domui ſuæ eſſe videtur. Illic crebras Deo noſtro referebat die, noctuque laudes, indutuſque cilicio, ieiunijs corpus ſuum macerabat, & elemoſinam enucleanter egenis, & inopibus, iuxta poſſibilitatis ſuæ vires, libenter tribuebat. Hic idem Pontifex, poſt non nullorum annorum

norum curriculum, ad B. Petri cathedram assumptus, scilicet anno 772. Ecclesiam hanc vetustate fatiscentem, & restaurauit, & donarijs locupletauit. Laudatus Bibliothecarius de eodem sic suam prosequitur narrationem. In Ecclesia verò B. „ Marci, cuius tectum iam vetustate positum vicinum ruinæ existebat, depositis vetustissimis trabibus, & alijs impositis nouiter, ipsum tectum, atque porticus in circuitu fecit, eandemque Ecclesiam restaurauit. Arcus vero tres, qui vetustissimi erant addens ijsdem Beatissimus Pontifex argenti lib. 12. nouiter fecit, Fecit etiam in eadem Ecclesia super Altari Maiori vestem de stauraci, sed & per diuersos arcus eiusdem Ecclesiæ ex pallijs quadrapolis fecit numero vela viginti septem; simulque, & coronam ex eisdem pallijs, quæ pendent sub trabe, fecit. Subdit idem Bibliothecarius in fine alia donaria ab eodem Pontifice eidem Ecclesiæ facta his verbis; sed & in titulo Beati Marci nutritori suo fecit patenam, & calicem sanctum de auro purissimo pens. lib. 11. Imò & calices argéteos quatuor pens. lib. 12 Demum de restauratione à Gregorio IV. facta circa annum 828. sæpè citatus Bibliothecarius, ista enunciat:

„ His igitur perfectis operibus ad alia repentè Venerabilis Pontifex animum, & mentem conuertit. Nam Ecclesiam tunc Beati Marci Confessoris, atque Pontificis, quam tempore Sacerdotij sui regendàm susceperat, & vsque quo ad Pontificatus peruenit gratiam in suo iure, & ditione permansit, quæ ob nimiam vetustatem crebrò casura esse, videbatur cum omnipotentis Dei opitulatione à fundamentis priùs eiecit, & postmodum nouis fabricis totam ad meliorem cultum, atque decorem perduxit, absidamque ipsius prænominatæ Basilicæ musiuo aureis superinducto coloribus cum summa gratulatione depinxit. Fecit verò sarta tecta eius omnia noua, & quidquid in ea ante vile cognouerat, pretiosum postea esse maluit. Igitur consumatis omnibus his pro remedio, & futura retributione animæ suæ, obtulit in iam sæpè nominata Ecclesia futuris temporibus permanẽda hęc, Regnum aureum vnum, quod vsque hodie super altare dependet cum gemmis valdè opimis, habens in medio auream Crucem cum gemmis pariter pretiosis. Item gabathas ex aureo purissimo tres pendentes ante prænominatum altare. Et gabathas interrasiles de argento duodecim Angelorum opere constructas. Et alias gabathas interrasiles quinque cum pedibus suis. Item vbi supra obtulit thymiamateria aureo colore perfusa tria, canistra de argento duodecim. Coronas argenteas maiores, & minores nouem, Cruces de argento tres, & vnaquæque habet lib. vnam. Cerostatas desuper argentatas quatuor. Fecit & cyborium ad laudem, atque decorem Confessoris iam sæpiùs dicti ex argento purissimo pens. libras mille. Altare quoque eiusdem argenteis similiter tabulis exornauit, cupiens per rerum temporalium exercitia



TAB. XXXVI.



pag. 121.

æterna Cęlo præmia adipisci. Prędictus etiã venerabilis Potifex obtulit, vbi supra, vestẽ de fundato vnâ habentem mucrones per circuitum. Fecit & aliam vestem de olouero, vnam habentem in medio gemmas, & mala aurea, & per circuitum zonam de chrysoclauo. Imò verò obtulit Sanctissimus Præsul vestem de olouero cum gryphis, & vnicornibus. Vestem quoque aliam cum Chrisoclauo per circuitum habentem in medio Resurrectionem Domini Nostri Iesu Christi. Sæpè iam dictus Venerabilis Papa obtulit in prænominata Ecclesia vestem cum gryphis, & Chrysoclauo per circuitum habentem in medio Natiuitatem Domini Nostri Iesu Christi. Item vestem aliam cum chrysoclauo habentem per medium rotas de chrysoclauo quatuor, & natiuitatem, atque baptismum Domini Nostri Iesu Christi. Obtulit verò prænominatus Pontifex vestem aliam cum Leonibus habentem resurrectionem Domini de Chrysoclauo. Vestes de fundato minores octo, quæ altaribus superponuntur, quæ per circuitum eiusdem Ecclesiæ esse noscuntur. Vela alba serica quatuor, vnum habens vndique tyrium, & in medio Crucem, & gammadias de chrysoclauo. Aliud de stauraci habens in medio Crucem de olouero, & gammadias de olouero tyrio. Tertium, & quartum similiter. Vela de rodino quatuor, quę sacrum altare circundant, ex quibus vnum habet Crucem de chrysoclauo. Vela de fundato viginti sex, & linea similiter, quæ pendent per arcus Ecclesiæ. Vela Alexandrina tria ante portas maiores pendentia habentia homines, & caballos. Cortinam Alexandrinam vnam, vela alia habentia mucrones de fundato quatuor. Velum de octapulo vnum. Vela alia de fundato octo habentia per circuitum periclysin de blattin. Et alia vela sex cum aquilis habentia per circuitum periclysin de tyrio. Vela simulq; alia defundato quinque habentia leones, & periclysin de tyrio. Vela alia Alexandrina, ex quibus vnum habens rotas, & rosas in medio, & aliud arbores, & rotas pendentia ante valuas ipsius Ecclesiæ. Item velum modicum de olouero habens in medio hominem cum caballo. Vela cum argento spanisco quatuordecim. Vela modica vbi supra de olouero decem, habens vnumquodque eorum anates. Hic diuina inspiratione protectus obtulit iam dictæ Basilicæ aquæ manile de argento vnũ.

De hoc eodem musiuo à laudato Pontifice Marco extructo, meminit præfatus Hadrianus Primus in epist. 1. ad Carolum Magnum, quæ habetur in Tomo Conciliorum Generalium post eiusdem Pontificis vitam. Hæc de antiquis istius Ecclesiæ ædificationibus, cum Recentiores apud Ciaconum de vitis Pontificum videri possint, ideo illas libenter omittimus, solummodo contenti antiquiores retulisse ad probandam Ecclesię, & Musiui Operis vetustatem. Modo ad eiusdem Musiui explicationem, vt noster est mos, deuenimus.

Primum Musiuum, quod obtutui se offert nostro, in Tribunæ arcu est, cuius in summitate rotundum extenditur

ditur spatium, in quo expressus est A Saluator noster IesusChristus, dexterâ eleuatâ in actu benidicendi, cùm diademate cruce insignito. Parùm ab hac figura distat alia similis peripheria, in qua Angelus librum gemmatū tenet, & figurat Euangelistam Matthæum. Ponè hanc, alia eiusdem orbicularis formę est, intus habens expressum bouem alatum, cum gemmato libro, qui S. Lucam designat. Nunc ad sinistram eiusdem Saluatoris ver- B tamus sermonem. Prima figura iuxta Saluatorem similis formæ circularis est, & continet Aquilam, itidem cum libro ornato gemmis, quæ S. Ioannem Euangelistam repræsentat. Sequitur alia figura, pari modo facta, in qua Leo alatus, similem librum gemmis redimitum manibus stringens, S. Marcum exprimit. De huiusmodi Animalium formis mentio est in Apocalipsi cap. IV. nu. 6 *Et in* C *conspectu sedis, tanquam mare vitreum simile cristallo, & in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis antè & retrò. Et animal primum simile Leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis; & quartum animal simile aquilæ volanti* Quid ipsi libri indicent, minimè in illorum ambigendum est explicatione, cum Euangeliorū libros esse osten- D dant. Cur autem sic gemmis ornati appingantur, diximus in nostro opere Vet. Mon. par. 1. cap. 6. quò breuitatis gratia benignum Lectorem mitto.

In eiusdem Arcus dextero angulo figura stat, quam cum dextera extensa, & ex prolixa barba S. Paulum repreſentare, iudico: In sinistro alter stat vir, similiter cum dextera eleuata, qui pro S. Petro habendus est; sinistra vero volumen defert clausum, ac in pallij extremitate monogramma est P. de quibus egimus etiam in citata nostra prima parte Vet. Monim. cap. XIII.

Hæc de exterioris Arcus facie; modo ad interiorem partem nempe Tribunam concameratam, musiuoque ornatam opere properamus. Primo loco se offert eiusdem Musiui operis expressus arcus, frondibus, floribusque excultus, quos zona in spiræ formam circumdat, atque ligat. Huius in summitate circulus est, in cuius medio legitur *Gregorius* nempe IV. qui huius Musiui Operis ornatus Auctor, vt nuper diximus, fuit. Subtus hoc circulo est manus, gemmatam coronam deferens, quod symbolum exposuimus supra in expositione Musiuorum Operum Ecclesiarum SS. Cosmæ & Damiani, ac S. Praxedis, & alibi, quamobrem ad alia explicanda calamum conuertimus. In tribunæ medio Mundi Saluator dexterâ eleuatâ, quasi benedictionem impartit, digitos more Græcorum complicatos tenens; sinistra verò librum sustinet, in quo legitur: *Ego sum lux: Ego sum vita: Ego sum resurectio.* Ad Saluatoris pedes duæ sunt græcæ literæ, scilicet A & Ω, quæ ipsum Deum significant, vt in Apocal. cap. 1. & 22. innuitur: *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis.*

Ad Christi dexteram est S. Felicissimus; ad sinistram, in secundo loco est S. Agapetus, siue Agabetus, ambo sancti Martyres, ac Beati Sixti II. Papæ Diaconi, quorum men-


SCI SSIMVS D.N. GREGORIVS P.P
SCS MARCVS EVANGELISTA
SCS FELICISSIMVS
HIERVSALEM
RE
DVCAT
VASTA THOLI FIRMO SISTVNT FVNDAMINE FVLCHRA QVAES
GREGORIVS MARCE EXIMIO CVI NOMINE QVARTVS TV QVO

pag. 122


G PRE GORII S
SCI SSIMVS D·N· GREGORIVS PP
SCS MARCVS EVANGELISTA
SCS FELICISSIMVS
SCS MARCVS PP
SCS AGAPETVS
SCA AGNES
BETHLEEM
VASTA THOLI FIRMO SISTVNT FVNDAMINE FVLCHRA QVAE SALOMONIACO FVLGENT SVB SIDERE RITV HAEC TIBI PROQVE TVO PERFECIT PRAESVL HONORE
GREGORIVS MARCE EXIMIO CVI NOMINE QVARTVS TV QVOQVE POSCE DEVM VIVENDI TEMPORA LONGA DONET ET AD COELI POST FVNVS SIDERA DVCAT

mentio exstat in Martyrologio, ad diem VI. Augusti, id circo Dalmaticis induti. In eadem parte, primoque loco est B. Agnes, vt ipsæ Epigraphes, singulis imaginibus appositæ, indicant. Redeundo ad dexteram, secundo loco est S. Marcus Euangelista, penès hunc stat Beatissimus Gregorius Pontifex, scilicet IV. Ecclesiæ restaurator, vt ipsa Imago patefacit, quæ Ecclesiam manibus sustentat, ac quadratum post caput tenet, vt viuentis signum, de quo disseremus infra in Ecclesijs S. Praxedis, nec non S. Mariæ in Domnica, & alibi. Expressarum Imaginum sacra lypsana, in eadem Ecclesia asseruari, scribit Pompeus Vgonius de stationibus Vrbis; ac licet B. Agnetem taceat, nihilominus post nonnullas memoratas reliquias addit, alias ibi asseruari, quorum nomina ignorantur; vnde inter has verosimiliter enu- C meranda est illa eiusdem B. Agnetis. Hæc de superiori parte, modo ad inferiorem,

Sub Imaginibus istis, Christique pedibus, eminet rupis, supra quam cernitur Agnus, efferens caput, diademate redimitum, in cuius Diadematis peripheria, tres literæ græcæ leguntur nempè ĀPT, Quid Musiuarius per has literas indicare voluerit explicare minimè audeo; ideò D Eruditioribus prouinciam hanc relinquo. Sex ad dexteram, totidem ad sinistram oues sunt, & pro certo habeo, ipsum Christum Dominum eundem significare; simili modo expressus cernitur in Tribunis Ecclesiarum SS. Cosmæ, & Damiani, ac S. Praxedis. Oues istæ è portis Ciuitatum exire spectantur, quarum nomina ibi ex- A pressa sunt, scilicet Bethlehem, & Ierusalem, in quibus portis tres sunt lampades, siue lucernæ pendentes, de quibus disseruimus in cap. 21. nostri Operis Vet. Moniment. part. I. ideo calamum suspendimus. Sub istis ouibus nonnulla carmina inscripta leguntur, quæ ad maiorem legentis commoditatem his addo:

Vasta Tholi firmo sistunt fundamine fulcra,
B *Quæ Salomoniaco fulgent sub sydere ritu.*
Hæc tibi, proque tuo perfecit Præsul honore,
Gregorius Marce, eximio cui nomine Quartus,
Tu quoque posce Deum viuendi tempora longa,
Donet, & ad Cæli post funus sydera ducat.

CAPVT XX.

De Ecclesia SS. Nerei, & Archillei Vrbis restaurata, ac Musiuo ornata opere circa Annum Domini 796.

Licèt quandoque inter Scriptores, quidam oriatur pruritus, aliena, & si blandè, simpliciter, & circumspectè vel dicta, vel narrata cauillandi, & criticâ vexandi mordacitate, nihilominus quando pruritus iste, inter modestiæ cancellos se continet, ac solummodo ad indagandam excitetur veritatem, laudabilis est, cum ad nudam ipsam inuestigandã veritatem inseruiat. Hanc censuram eruditus Vir Nicolaus Alemannus suis in Lateranensibus Parietinis cap. 3. aliàs exercuit contra Ecclesiasticæ Historiæ

Parentem, semperque laudandum A
Cardinalem Baronium, qui adhuc
in minoribus versans, Martyrologium
Romanum cum eruditissimis notis,
publici Iuris fecit, quod iterum pur-
pura donatus cudi voluit, ac ad diem
12. Maij sequenti nota significauit:
„ Nerei, & Achillei, aliàs Archillei.
„ De his hac itidem die Beda, Vsu-
„ ard. Ado, & alij. Eorum acta reci-
„ tat Surius Tom. 3. Fuit vetus Ro-
„ mæ titulus nomine horum Mar- B
„ tyrum, cuius habetur mentio in re-
„ gest. S. Gregorij Papæ lib. 4. epist.
„ 44. vbi idem Gregorius habuit ho-
„ mil. 28. in Euang. Erant ibidem
„ sepulta eorundem Martyrum cor-
„ pora, simulque Flauiæ Domitil-
„ læ; quibus alludit, cum ait: san-
„ cti isti, ad quorum tumbam con-
„ sistimus, florentem mundum
„ mentis despectu calcauerunt &c.
„ Quæ tria sacra corpora hoc ipso C
„ anno, quo hæc denuò cudimus
„ MDXCVII. quinto Idus Maij,
„ ex Diaconia S. Hadriani, quo sub
„ Gregorio Nono translata fuerant,
„ ac demum sub Sixto V. ab Augu-
„ stino Cusano eiusdem Ecclesiæ
„ tunc diacono Card. in altari Ma-
„ iore à se magnificentius extructo
„ decentiùs collocata, nos restituto
„ Titulo S. D. N. Clemente Octa-
„ uo concedente, in suum pristinum D
„ locum celebri pompa reduximus,
„ vna cum eorum capitibus thecis
„ auratis inclusis. Horum item San-
„ ctorum nomine appellatum est
„ Cœmeterium in via Ardeatina,
„ quod restituit Ioannes Papa, vt le-
„ gitur apud Anast: in lib. de Rom.
„ Pontif. in Ioanne Papa primo.
His Baronij scriptis se opposuit lau-
datus Alemannus hanc faciendo cen-
suram. Id Leo III. imitatus in fasti-
„ gio tribunalis hanc coronidem
„ Christi scilicet, & Leonis Papæ no-
„ men imposuit. Quo quidem signi-
„ ficare pijssimi Pontifices volue-
„ runt, eas structuras à se quidem,
„ sed Christi cum primis ope, ac ad
„ eius nominis gloriam factas fuisse;
„ quod idem Cruce nomini denota-
„ tum est in Ecclesia Sanctorum Ne-
„ rei, & Achillei ab eodem Leone
„ III. quem Alphonsus Ciaconus,
„ IV. fuisse, perperàm opinatur;
„ Nam Anastasius in Leone III. Hic
„ à Deo inspiratus venerabilis, &
„ præclarus Pontifex, inquit, con-
„ spiciens Ecclesiam Beatorum Mar-
„ tyrum Nerei, & Achillei præ ni-
„ mia iam vetustate deficere, atque
„ aquarum inundantia repleri, iux-
„ ta eandem Ecclesiam nouiter à
„ fundamentis, in loco superiore Ec-
„ clesiam construxit miræ magnitu-
„ dinis, & pulchritudinis decora-
„ tam. Illius Templi Conditor, ta-
„ metsi Ecclesiasticæ patrem histo-
„ riæ Cæsarem Baronium eius Titu-
„ li Cardinalem non latuit, vt lapis
„ ab eodem positus indicat; latuisse
„ tamen videtur hanc, quæ modo
„ superest, non eam esse Sanctorum
„ Nerei, & Achillei Basilicam, in
„ qua Gregorius Magnus, vt in eo-
„ dem inscribitur lapide, homiliam
„ habuerit, cum illud Templum,
„ Anastasio teste, liquidò pateat,
„ humiliore situm loco fuisse, cuius
„ post Leonis III. restaurationem,
„ ne vestigia appareant.
Nimis rigorosè agit Alemanus cum
Baronio, nam vocem *iuxta* stricto
accipit modo, nempe pro apud, vel
prope


TAV. XXXVIII
PICTVR

TAB. XXXVIII



prope; quare Leo Beatissimus Pontifex, non eodemmet loco, vbi erat antiqua Ecclesia, sed in alio eminentiori, propè illum, nouam à fundamentis erexit Ecclesiam. Quidquid de hac historiæ veritate sit, incertum redditur, cum apud antiquos scriptores nulla certa reperiatur mentio. Putant non nulli, vt ex Ciaconio nouissimæ editionis, antiquam hanc Ecclesiam Fasciolæ titulum habuisse, qui postmodum in SS. Nerei, & Achillei commutatus fuit: vt res se habeat, S. Gregorius homiliam in Ecclesia SS. Nerei, & Achillei recitauit, quæ an sit illa met, idest in eodem met antiquo situ, parum officit; cum sufficiat nobis, si talis adhuc vigeat, conserueturque memoria, quod idem S. Pontifex Gregorius in eadem habuerit homiliam.

Verum autem præfata Ecclesia, vt ostendimus, à laudato Leone III. à fundamētis extructa fuerit, facilimè argui potest, sicut & Musiuum opus illudmet esse, quod ibidem ab eodem Pontifice ornatus gratiâ insitum fuit. Summam enim redolet antiquitatem, vt ex figuris apparet in sequenti Tabula XXXVIII. expressis. Transfigurationem autem D. N. Iesu Christi repræsentat iuxta Matth. Euangelistę narrationem cap. 17. num. 1. & seqq. *Et post dies sex assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem Fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos*. In arcus enim summitate Christus brachium dexterum in actu benedicendi, extendit, cuius tunica rubei, pallium verò albi coloris sunt. Ad eiusdem Saluatoris dexteram stat vnus, vt etiam ad sinistram stat alter vir, qui brachia erga Christum extendunt. Ambos hos viros Moysen, & Eliam demonstrare iudico. Circa dexteram, & sinistram Saluatoris, Ioannem, & Iacobum esse confirmo. Hi omnes candidorum palliorum extremitates, veluti ad velandam faciem, præ manibus tenent. Hoc autem pacto Pictorem exprimere voluisse arbitror, vt indicaret nimis à Christi facie emicantes radios, qui Apostolicorum constantiam oculorum adeò diuerberabant, vt eos cogeret, se se obuelare. Post Petrum Beatissima Virgo sedet, ad cuius dexteram stat Angelus; quibus proculdubio Sanctissimæ Annunciationis repræsentatur mysterium: omnium autem harum figurarū niueo vestes albescunt colore. In opposito huius Musiui angulo, siue parte itidem expressa est eadem Beatissima Virgo perstringens in gremio filium suum vnigenitum D. N. Iesum Christum, sic expressa ad ostendendum, quòd ipsa erat Deipara. Ad eius Virginis dexteram stat Angelus; cur autem hoc loco Angelus iste expressus fuerit; puto à Musiuario fuisse expressum ad indicandum, quod omnes Angeli, & Creaturæ ipsi Creatori, illius in obsequium præsto esse debent, vt innuit S. Augustinus in Psal. 56. circa medium, ibi: *Omnes enim Angeli creatura seruiens Christo est. Ad obsequium mitti potuerunt Angeli, ad seruitium mitti potuerunt, non ad adiutorium: sicut scriptum est, quòd Angeli ministrabant ei, non tanquam misericordes indigenti, sed tanquam subiecti Omnipotenti*. De hoc nos etiam fati sumus in nostro opere Vet. Mon. par. 1. cap. 22.

Sub

Sub silentio prætereundam minime esse, censeo, vetustam inscriptionem, quam olim in antiqua Ecclesia extantem, & à Beatissimo Pontifice Damaso appositam, Gruterus ad pag. 1171. nu.6. absque vllo refert titulo, ac eandem Eruditissimi Viri, & amici nostri Ioannes Mabillon, & quondam Michael Germain Monaci è Congregatione S. Mauri in eorum itinere Germanico, siue Veterum Anelectorum To. 4. pag. 502. pariter, at cum titulo, referunt, vnica discrepante voce, ac altera deficiente, cui titulus appositus est: *in sepulcro Nerei, & Achillei in Via Appia*. Hanc eandem inscriptionem inter carmina Sanctissimi Pontificis Damasi reperio sub n. 23. cui titulus appositus est: *de incertis Martyribus*. Inscriptio vero, seu carmina sic se habent.

Militiæ nomen dederant, almumque gerebant
Officium, pariter spectanctes iussa Tyranni,
Præceptis pulsante metu seruire parati,
Mira fides eorum, subitò posuere furorem
Conuersi fugiunt, Ducis impia castra relinquunt
Proijciunt clypeos, phaleras, & tela cruenta
Confessi gaudent Christi portare triumphos
Credite per Damasum, possit quid gloria Christi

Hisce carminibus sequentē Martius Melisius Sarazanius apposuit notam: „ Baronius pag. 909. existimauit hoc „ epigramma compositum fuisse, „ cum furens Populi Romani pars, „ relicto Vrsicino armato, conuersa „ est ad Damasum, tanquam legitimum Pontificem. Ego tamen „ crederem, potiùs SS. Martyribus, „ & quibusdam militibus aptari „ posse, qui contempta bellica Et„hnicorum triumphali gloria, no„menque Christianum professi, „ abiectis Martialibus armis, glorio„siores Christi triumphos, Chri„stum Imperatorem sequendo, du„xere.

Ex huiusmodi præfati Mabillon, & Germain in lucem emisso titulo non solum elicitur, præfata carmina in honorem eorundem BB. Martyrum à supramemorato Sanctissimo Pontifice Damaso composita fuisse, verum etiam in eorundem Ecclesia fuisse affixa, vt in alijs Ecclesijs, idem Pontifex alia carmina á se conscripta apponere fecit, de quibus extat memoria. Insuper Baronij locus illustratur, ac corrigitur supra indicata vox; nam in primo carmine quarta vox *almumq;* in Mabillonij inscriptione legitur *secumque*, quæ vox in ipsa Mabillonij inscriptione errata est, cum ad eorundem Sanctorum Officium *almum* dicendum erat; quoniam ipsi S. Domitillæ ex familia Flauia, Eunuchi familiares erant. Insuper suppletur vox *proijciunt*, quæ in eadem Mabillonij inscriptione desideratur. Quare vna inscriptio alteram illuminat

De hac Ecclesia eruditè scripsit D. Abbas Bartolomeus Piazza in suo volumine, cuius titulus: *Santuario Romano delle Stationi stat.* 23. & in *Romana Christiana* ad diem 12. Maij. Huic eruditissimo Viro multa debet Romana Vrbs, multa Fideles, qui huius Vrbis sacra visitant loca, cum

cum eadem varijs illustrauerit erudi- A tionibus, ac in dies illustrare minimè cessat. Nos quoque eidem multa debemus ob peculiarem, quo semper nos prosecutus est, & prosequitur, amorem. Et hæc de dicta Ecclesia, Musiuoque opere satis sint dicta.

CAPVT XXI.

De celebri Leoniano Triclinio olim in antiquo Lateranensi Palatio B *constructo Anno* 797.

LIcèt de hoc Musiuo, ac æterna memoria digno opere, accuratissimè scripserit Nicolaus Alemannus sub titulo: De Lateranensibus Parietinis: & integrum librum, varijs figuris ad præfatum Triclinium spectantibus ornatum Romæ anno 1625. ediderit; nihilominus, cum mea dirigatur intentio ad exhiben- C dum de omnibus vermiculatis, sacrisque operibus, breuem Tractatum; præsensque octauo seculo constructum fuerit, ideo aliqua ex eodem Alemanno desumpsi, vt adeò veneranda antiquitas hìc innotescat.

A Leone III. non autem à Carolo Magno Musiuum hoc opus, in principio suæ Dissertationis, Auctor iste constructum fuisse, asserit, ac inter alias, ab eodem allatas rationes D est Bibliothecarij assertio: is enim in Leonis III. vita *Fecit*, inquit (scilicet idem Leo) in Patriarchio Lateranensi „ Triclinium miræ magnitudinis decoratum cum absida de Musiuo, „ sed, & alias absidas decem dexterâ, „ leuâque diuersis historijs depictas, „ habentes Apostolos gentibus prædicantes, cohærentes Basilicæ Con- „ stantinianæ, in quo loco & accubitu collocauit, & in medio concham porphyreticam aquam fundentem. Nec non, & pauimentum ipsius marboribus diuersis „ strauit. Idemque Scriptor in Leonis IV. vita subiungit: Accubitum, „ quod Domnus Leo bo: mem: Papa à fundamentis construxerat, „ & omnia ornamenta, quæ ibi parauerat præ nimia vetustate, & „ obliuione antecessorum Pontificum deleta sunt. Et in die Natalis „ Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, tam Domnus Gregorius, quàm, & Domnus Sergius sanctæ recordationis ibidem „ minimè epulabatur. Idem vero „ Beatissimus, & summus Præsul „ Leo quartus cum gaudio, & nimia delectatione, omnia ornamenta, siue alimenta, que inde „ deleta fuerant, nouiter reparauit, „ & ad vsum pristinum magnificè „ reuocauit. Alias à sepè memorato Alemanno allatas rationes in eiusdem Musiui operis explicatione adducemus.

Antequam igitur ad præfatam deueniamus explicationem, operæ pretium erit, aliquid de huius Triclinij nomine, ac vsu, cum varias denominationes sortitum fuerit, discutere: Quamobrèm non deerit fortasse, qui ex varia nominum differentia, non vnum, & idem esse asserat. Nam Anastasius modò Triclinium, modò Accubitum vocat; Cencius Camerarius Basilicam Leonianam denominat; posterioribusque seculis Aulam Leonianam nonnulli appellarunt. Et si ad sacras imagines in muro adumbratas habeatur relatio,

nomen

nomen Absidis conuenire deberet. Quæcumque denominatio illi tribuatur, eidem conuenire videtur, si perpendatur vsus.

Minimè ergo ignorandus est antiquissimus Christianorum mos certis celebrioribus Anni diebus, publica celebrandi conuiuia, quæ *Agape* dicebantur, & licèt hæc apud plebem iustis de causis interdicta fuissent, tamen apud Magnates sublimioresque personas remansere, vt ex Georgio Curopalata de Officijs Palatij Constantinopolitani deducitur. Modestissimè morem hunc Romani seruarunt Pontifices, quamobrem diuersa in Lateranensi Palatio extruxere Triclinia numero quidem plura, pro Conuiuarum frequentia, sed ornatu Ecclesiasticis personis, & Conuiuis proprio, cum Principibus, Regibus, & Imperatoribus, ad Vrbem Religionis, & voti causa confluentibus, Pontifices cœnas dare solerent. In hac præcipuè Leo III. sedulò incubuisse videtur, cum hoc magnificum, ornatumque construxerit ædificium. Hæc breuiter indicauimus, cum plura de eodem præcitatus Eruditissimus Alemannus adnotauerit.

Emblema vermiculati Operis, vt nunc cernitur in Tab. XXXIX. exhibeo, cum illius parietinas, si quis desideret, apud eundem Auctorem videri possint.

Apparet Christus Dominus in medio Apostolorum stans dexterâ eleuatâ in actu benedicendi, & sinistra librum apertum sustinens, in quo leguntur PAX VOBIS expressa verba, & diademate cum Cruce. Tunicæ color est subobscurus violaceus, pallij rubeus. sub eius pedibus quatuor erumpunt Flumina, de quibus alibì diximus. Ad dexteram aspicitur S. Petrus sinistrâ baculum gerens in summitate Cruce insignitum. Apostoli omnes sunt tunicis albis multiplici rubea linea mixtis, & pallijs albis vestiti, & in eorum fimbrijs singuli, singula, diuersaque habent monogrammata. Pedes cum sandalijs. subtus leguntur versus, ex Euangelio descripti: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi.*

In dexterâ Triclinij, siue Arcus parte, vt in Tab. XL. Christus sedet diademate cum Cruce præcinctus, claues dextera B. Siluestro, diadema rotundum gestanti, sinistra vexillum porrigens Constantino diadema quadratum in capite coronato gerenti, (de quo quadrato disseruimus supra in Ecclesijs S. Marci, ac infra in Ecclesijs S. Mariæ in Domnica, ac S. Praxedis agemus) gladiumque gestanti. Vexilli desinit in Crucem hasta, vt ipsæmet figuræ demonstrant. Has temporis voracitas consumpserat, sed amor, & studium erga sacras antiquitates bo.me. Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini senioris in lucem reuocauit, vt idem narrat Alemannus, ipsaque inscriptio in lapide apposita testatur. Vnde exemplar pro istis sarciendis imaginibus expiscati fuimus, quemadmodum, & aliarum ex altera parte positarum, quæ omnia satis luculenter Alemannus ipse explanat.

In altera nempè sinistra Triclinij, seu Arcus parte aliæ tres se se offerunt figuræ, alijs tribus oppositis quoad

situm


DOCETE OMNES GENTES VAPTIZANTES EO
ET ECCE EGOVOVISCVM SVM OMNIBVS DIE




P LO
PA VO X BI S
DOCETE OMNES GENTES VAPTIZANTES EOS IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SCS
ET ECCE EGO VOVISCVM SVM OMNIBVS DIEBVS VSQVE AD CONSVMATIONEM SECVLI

B. XL



pag. 125


GLORI
A IN EXCELSIS DEO ET IN TERRA PAX OMNIBVS BONE BOLVN
TATIS
SCS PETRVS
BEATE RETRVS DONA
VITA LEONI PPE BICTO
RIA CARVLO REGI DONA

ſitum conformes videlicet: in medio cernitur S. Petrus ſedens, indutus tunica coloris albi; & ſupra penula, ſiue planeta pallium, ſiue Orarium geſtans, clauesque in ſinu tenens, dexterà pallium Leoni PP. genuflexo, ſiniſtra vexillum Carolo Imperatori ſimiliter genuflexo porrigens. Ambo in capite diadema quadratum ferunt, ſignum viuorum, vt nuper aſſeruimus. In hac figurarum explanatione diù non immoror, cum nolim refrigere crambem, quia vt ſupra diximus fusè, & abundanter præfatus Alemannus de his eruditiſſimè diſſeruit, ad quem Lectorem mitto.

CAPVT XXII.

De Aquiſgranenſi Baſilica, à Carolo Magno conſtructa, muſiuoque ornata, circa Annum Domini 802.

IN ipſo ſcribendi exordio, vt certos limites operi meo præfinirem, aliquot Templorum erectiones, & Muſiuorum operum, quæ in eis adhuc ſuperſunt deſcriptionem, atque interpretationem proferre decreui, longum ſanè ſtadiú etiam valido Athletæ. Nunc tamen propè eſt, vt exclamem, anguſtos mihi terminos deſignauiſſe, cum de Aquiſgranenſi Baſilica ſermo facturus ſim, quæ ſuam debet originem Auguſtæ liberalitati Caroli Magni Occidentalium Imperatoris. Abſtinere enim à tanti Principis laudibus in tanto ſuæ Religionis teſtimonio ægrè fero: ferendum tamen eſt, ſi legem certam ſcriptulorum meorum tueri velim; quare conſtantiæ potiùs in incepto, quàm grato in hunc Principem animo, nobis erit modò obſequendum.

A De maximo quidem Imperatore (ne omninò inofficioſus in eius memoriam videar) attigiſſe ſufficiat, fuiſſe illum, non ſuis tantum; ſed etiam hoſtibus ſpectatiſſimum, & ciuibus pariter, ac Barbaris Gloria nominis, & rerum geſtarum magnitudine præ ceteris commendatum. Belli, & pacis artibus omninò clarum vt facerent vniuerſæ Virtutes; ſymbolam ſuam inprimis contulit maxi-

B mum animi bonum religio, quæ Principibus eſſe potiſſimum votorum debet, cum ſit ſpes vna, & columen fidei, adeoque etiam Imperij. Quanta cura illam coluerit Carolus, teſtantur Templa quàmplurima regio ſumptu, & iuſſu paſſim erecta, illudque præ alijs ornatiſſimum, quod Deiparæ Virgini Princeps Magnificentior ſtatuit iuxta Thermas, in eo loco depræhenſas, vbi poſtmodum,

C & Vrbem Aquiſgranenſem excitauit.

Ferunt enim, Carolum Venationis ſtudio, quo militare ingenium, vt Reges ſolent, aliquando fallebat; ad locum perueniſſe ſiluis conſitum, atque inter Moſam, & Rhenum in Menapiorum finibus conſtitutum. Errore viarum, ignotiſque regionis anfractibus, eò deductum perhibent, vbi rudera veteris palatij, in Thermalium fontium vicinia conſpiciebantur.

D Granus, vt fama eſt, Neronis frater, ſalubres aquas, & amoenam regionis faciem, illo ædificio exornari voluerat, cui poſtmodum iniuria Temporum ſitum inducens, eodem tumulo molitoris memoriam, quo famam operis ſepeliuerat. Vtriuſque tamen veſtigijs peperciſſe quodammodo viſa ſunt ſecula; cum Palatij rudera ſeruaret adhuc fides locorum,

R & Grani

& Grani nomen referrent illuc dirigendi melioribus auſpicijs fontes. Opportuna Carolo ſedes viſa fuit, in qua non Religionis ſuæ tantùm; ſed & Imperij aream deſignaret. Quapropter auguſtum B. M. Virginis templum, de quo mihi erit ſermo, attolli curauit. Curiam deinde vniuerſam illam tranſtulit, ædificijs quamplurimis auxit, & celeberrimam Regni Coloniam (neglectos pridem fontes, & ſine nomine ſaxum) in vrbem erexit;

Nobilis itaque, & per ampla Ciuitas illa euaſit, non tantùm ob ſoli amoenitatem, Imperialemque ſedem ibidem conſtitutam, verùm etiam quia impoſterum prima Romanorum Imperatorum inauguratio, & coronatio in eadem ſæpius celebrata fuit, ac vt celebrandã perpetuò foret, idem Carolus ſpeciali decreto ſanciuit. Quare de Alberto Auſtriaco narratur, C ipſum Anno Domini 1908. tanta hominum frequentia ibidem coronatum fuiſſe, vt Saxoniæ Dux à Populi multitudine oppreſſus remanſerit. Proſperas Vrbis vices iniqua identidem tempora turbauerunt, nam Incolæ à Ruperto Palatino Imperio proſcripti, & ad ſubiectionem redacti, Proteſtantes ſub huius ſæculi initium à Marchione Spinola expugnata Ciuitate, mulctati ſunt. Incendio D demum Anno 1656. per eam debacchante penè tota conſumpta fuit, Nunc verò eſt Ciuitas libera Germaniæ Ciſrhenanæ, non autem Belgij, quæ AcK. Germanis, AKen. Flandris, Aix la Chapelle Gallis, Aquiſgrano Italis dicitur, à Colonia Agrippina 10. à Leodio in Occidentem 6. à Iuliaco 4. leucas diſtat; longitudo A 27. 37. latitudo 50. 45. nec deſunt opinantes, Ciuitatem hanc Veterem illam eſſe, cuius meminit Ptolomeus, & Antoninus. Cl. autem Vir Michael Antoninus Baudrand, quem honoris cauſa nomino, cuique ſum valde adſtrictus, commentum eſſe putat, quod Granus Neronis frater hanc condiderit Ciuitatem.

Si tamen aliqua contrarietate aduerſantur vſque adhuc dicta de huius B Vrbis initio, diſſidium omne componet fides auctoribus habenda; certè tamen nunquam euincent, quòd à Carolo Magno templum iſtud erectum non fuerit. Teſtis ſiquidem eſt Eginhardus eiuſdem Imperatoris Notarius cum ipſis etiam à ſecretis dũ in eius Vita ita narrat. Qui (Carolus)
,, cum tantis in ampliando regno, &
,, ſubigendis exteris Nationibus exi-
,, ſteret, & in huiuſmodi occupatio-
,, nibus aſſiduè verſaretur, opera ta-
,, men plurima ad regni decorem, &
,, vtilitatem pertinentia diuerſis in
,, locis inchoauit, quædam etiam
,, conſumauit, inter quæ præcipua
,, ferè non immeritò videri poſſunt
,, Baſilica Sanctæ Dei Genitricis
,, Aquiſgrani opere mirabili conſtru-
,, cta. Poſt multa ſubiungit: Religio-
,, nem Chriſtianam, qua ab infantia
,, fuerat imbutus, ſanctiſſimè, &
,, cum ſumma pietate, ac Veneratio-
,, ne coluit, ac propter hoc plurimæ
,, pulchritudinis Baſilicam Aquiſ-
,, grani extruxit, auroque & argento
,, & luminaribus, atque ex ære ſoli-
,, do cancellis, & ianuis ornauit; ad
,, cuius ſtructuram, cùm columnas
,, & Marmora aliunde habere non
,, poſſet, Roma atque Rauenna de-
,, uehenda curauit. Paulus Emilius

ac Do-

ac Donatus Acciarolus præfati Eginhardi in scribendo successores eiusdem Imperatoris Vitam luculenter describunt, sed ab eodem fonte ferè omnia hausisse videntur.

De columnis, ac Marmoribus ex Italia deductis summarium extat in Epistola 12. Hadriani Papæ à Baronio citata ad An. 795. num. 2. in qua narratur concessio ab eodem Hadriano ipsi Carolo facta, vt Musiua, & marmora Rauennæ Vrbis, tam in Templis, quàm in parietibus, & stratis sita asportaret, quocunque vellet, præuia donatione.

Hanc eandem Epistolam vna cum quadraginta tribus alijs eiusdem Pontificis, olim in Vaticana extitisse Bibliotheca, sed nunc deperditas narrat idem Baronius, quas postea Oldoinus in notis ad Ciaconium, in præfati Hadriani vita scribit, seruari in Bibliotheca Barberina. Ex præfatæ Epistolæ summa dubium oritur, an Musiua columnæ ex sola Rauennate Vrbe desumpta fuerint, vt ex summario eiusdem Epistolæ deducitur, an etiam ex Vrbe Roma, & Rauenna, vt præfati scribunt Auctores, quorum narrationem confirmat fragmentum Historicum Anonymi inter rerum Germanicarum scriptores insertum, ac ab Vrstisio collectum, cuius incerti Anonymi scripta, cum omnibus alijs vberiora sint, hic subicienda, duxi. Carolus factus Imperator „ Galliarum fines adijt, & locum, „ qui aquis, ob aquarum calidarum, „ adeptionem traxit vocabulum, so„ lito more venandi causa, aggressus „ est, & perplexione syluarum, & „ errore viarum, à socijs separatus; „ Thermas Calidorum fontium, & „ palatia inibi reperit, quæ quondam „ Granus, vnus de Romanis Princi„ pibus, frater Neronis, & Agrippę „ construxerat: quæ longa vetustate „ deserta, ac demolita frutetis quo„ que, ac Vepribus occupata, pede „ equi, quo sedit, inter saltus riuos „ aquarum calidarum percepit, & „ reperit, in quo Loco sub titulo, „ & honore B. M. Genitricis Mariæ „ fundauit Ecclesiam miri decoris, „ quam auro, & argento, & vario „ ornatu soli, æris cancellis quoque „ & Ianuis magnificè adornauit; ad „ cuius etiam fundationis structurã; „ cùm columnas, & Marmora ali„ unde habere non posset, Roma „ Rauenna, ac Treueri deuehenda „ curauit, nullum laborem, ac sum„ ptum recusans; consecrationem „ vero eiusdem Basilicæ, quanta so„ lemnitate Episcoporum, & Præla„ torum; quanta totius regni, & Im„ perij Primatum, & Principum „ Numerositate celebrauerit, adsci„ to etiam Beato Leone, Sanctæ „ Romanæ Sedis Præsule, series ge„ storum principalium manifestè di„ ctauit. Illius namque Ecclesiæ cele„ berrima dedicatio sub præsentia „ Metropolitanorum, & Episcopo„ rum numero 365. excepta innu„ merabili multitudine Ducum, „ Marchionum, Comitum, Baro„ num, tam Italiæ, quàm Saxoniæ, „ tam Bauariæ, quàm Alemaniæ, & „ vtriusque Franciæ ab omnibus est „ gloriosissimè solemnizata. Illic igi„ tur Domino Apostolico, & omni„ bus prædictis Nobilibus, & egre„ gijs Personis congregatis, Impera„ tor meruit ab omnibus, obtinente „ pro nimia deuotione, quam erga

,, ipsum locum, & Matrem Christi A
,, habebat; vt in Templo eodem, se-
,, des vnctionis Regiæ locaretur, &
,, locus Regalis, & caput Galliæ
,, trans Alpes haberetur, & in ipsa
,, sede Reges successores, & Hære-
,, des Regni initiarentur, & sic ini-
,, tiati iurè de hinc Imperialem Be-
,, nedictionem Romæ a Domino
,, Apostolico sine vlla interdictione
,, pleniùs assequerentur. Confirma-
,, tum, & sancitum est à Domino B
,, Apostolico Leone, & â Carolo Ro-
,, manorum Imperatore semper Au-
,, gusto, quatenus ratum, & incon-
,, cussum hoc statutum, & decretum
,, maneat, vt Aquisgrani sedes Re-
,, gni trans Alpes habeatur, sitque
,, caput omnium Ciuitatum, & Pro-
,, uinciarum Galliæ. Acquieuerunt
,, vniuersi voluntati Imperatoris,
,, qui ad hoc solenne dedicationis ex
,, diuersis Regnis confluxerant, ac C
,, bonum, & acceptum coram Deo
,, & hominibus Apostolici, & Impe-
,, ratoris decretum astruxerunt, &
,, omnium graduum Episcoporum
,, Abbatum quoque banno corrobari
,, hanc petitionem vniuersi acclama-
,, runt &c.

Quibus sic enarratis non adhuc tamen propositæ quæstionis nodus penitus dissolutus est, cuius plena enodatio, à præfatæ Epistolæ inspectio- D ne, sedulaque lectione vnicè dependet, ex qua etiam tempus constructionis Ecclesiæ fortasse inferetur; expectandum igitur erit donec ea Epistola in lucem è tenebris prodeat.

Temporum itaque arbitrio litem illam, de Marmorum, & Columnarum transportatione adiudicandam relinquens; ad alteram dubitationem progredior, quæ definitam in Basilicæ erectionem videtur insurgere, nempe ad inquirendum, quo Tempore eiusdem sacræ ædis consecratio contigerit, cùm ea de re Auctores admodum discrepent; nam Adelmus, siuè Ademarus Monachus Benedictinus, qui in principio vndecimi sæculi vixit in suis annalibus Francorum Regum, ad Annum 804. ità scribit: medio Nouembri allatum

,, est ei (id est Carolo Imper.) Leo-
,, nem Papam Natalem Dominicum
,, cum eo celebrare velle, vbicunque
,, hoc contigere potuisset. Quem sta-
,, tim misso ad sanctum Mauritium
,, Carolo filio suo honorificè suscipe-
,, re iussit; ipse obuiam illi in Remo-
,, rum Ciuitatem profectus est, ibi-
,, que susceptum primo in Carisia-
,, cum Villam, vbi Natalem Domi-
,, ni celebrauit, deinde Aquisgrani
,, perduxit, & donatum magnis mu-
,, neribus per Baioariam ire volen-
,, tem deduci fecit vsque Rauennam.
,, Causa aduentus eius hæc fuit. Per-
,, latum erat ad Imperatorem æsta-
,, te præterita Christi Sanguinem in
,, Ciuitate Mantuæ fuisse repertum:
,, propter hoc misit ad Papam pe-
,, tens, vt huius famæ veritatem per-
,, quireret. Qui accepta occasione
,, exeundi primo in Longobardiam,
,, quasi pro inquisitione prædicta,
,, profectus est, indeque arrepto iti-
,, nere subito ad Imperatorem vsque
,, peruenit, mansitque apud illum
,, dies 8. & sicut dictum est, Romam
,, repedauit.

Obuium cuique fuerit in huius Historici Testimonio id adnotasse, quod postremo loco relatum ab illo est, Leonem scilicet apud Carolum dies

dies octo tantummodò fuisse commoratum. Hinc mihi liceat concludere, quòd vnicuique prudenter suspicanti inde fiet manifestum, Templi illius consecrationem vno ex ijs diebus celebratam, qui si forte extremus illorum extiterit, referenda erit consecratio ad Calendas Ianuarias Anni à Dominica Natiuitate tunc incipientis, 805. Longo discrepat interuallo Oldoini assertio, consecrationem hanc retrotrahentis ad .6 diem Ianuarij Anni 804. suo Voto concordes adducit Baronium, & Antonium Balinghen. Iure, an iniuria secundum hunc scriptorem suæ assentiat sententiæ, iudicare non ausim, cum nondum in illum inciderim. Baronio quidem illud adscribit, quod eius calamo nunquàm exciderat, aperta enim sunt Verba Eminentissimi Scriptoris ad Annum 804. ista narrantis: Quod verò spectat ad res ge-
„ stas à Leone in Germania, prolixior
„ de cunctis narratio habetur in Epi-
„ stola S. Ludgeri his Verbis: idem
„ S. Leo Papa Anno Dominicæ In-
„ carnationis octingentesimo Tertio,
„ cum magna solennitate suorum
„ Cardinalium, Archiepiscoporum,
„ Episcoporum, & Prælatorum, &
„ Primatum, ad Imperatorem Ca-
„ rolum, in Germaniam veniens, &
„ ab eodem Imperatore imperialiter
„ cum suis susceptus, inter multa pie-
„ tatis suæ opera, instantia eiusdem
„ Serenissimi Imperatoris, & Regis;
„ Aquisgrani in Palatio, dedicauit
„ Ecclesiam perpetuæ Virgini Ma-
„ riæ, donans eandem Ecclesiam,
„ multis indulgentijs: Deinde humi-
„ li petitione, & instantia Venerabilis
„ Patris Gerbaldi Episcopi Leodien-
„ sis consecrauit Ecclesias gloriosæ
„ Virginis Mariæ, tàm in Tungris,
„ quàm in Viseto, & in Colonia A-
„ grippina, tàm ad Sanctum Marti-
„ num, quàm in Capitolio Altaria
„ consecrauit, vbique multas indul-
„ gentias conferendo; tandem deuo-
„ ta instantia gloriosissimi Imperato-
„ ris Caroli, & Venerabilis Viri Hil-
„ debaldi Archipræsidis Coloniensis,
„ venit Coloniâ idem S. Papa Leo
„ Nauigio in Vuerdam stipatus Im-
„ peratoria Maiestate, ac Sacrato
„ Choro Sanctorum Cardinalium,
„ & Archiepiscoporum, & multo-
„ rum Procerum: cui occurrunt vs-
„ que ad Rhenum deuoti Fratres,
„ Conuentus Sancti Suuiberti proces-
„ sionaliter, cum incolis eiusdem op-
„ pidi de Vuerda, introducentes eum,
„ cum Imperatore, & cæteris in Ec-
„ clesiam S. Suuiberti, multum de-
„ uotè ac honestè, & die illo, quo in-
„ trauit, ieiunauerunt Incolæ de V-
„ uerda, cum toto Conuentu autho-
„ ritate Apostolica, altera vero die,
„ qui fuit pridie Nonas Septembris,
„ tam Papa Sanctus Leo, quàm Ca-
„ rolus Imperator, & alij conue-
„ nientes in Ecclesia, & Conuentu
„ S. Suuiberti, ibi oratione finita, om-
„ nium conuenientium in Ecclesia,
„ statim celebrante solemniter sum-
„ mam Missam Felice Hildebaldo,
„ Coloniensi Archiepiscopo, & San-
„ ctissima Vita ipsius Suuiberti cum
„ innumeris Miraculis conscripta
„ per Venerabilē Presbyterum Mar-
„ cellinum, socium conterraneum
„ ipsius Sancti, ibidem lectâ, Papa
„ Sanctus Leo de assensu pariter, &
„ consensu suorum Cardinalium,
„ cęterorumque Prælatorum, illic

coram

„ coram adstantium solemniter Catalogo Sanctorum confessorum ipsum adscripsit.

Ex hac Sancti Ludgeri epistola alia consurgit difficultas; in ea siquidem asseritur, factam fuisse consecrationem tertio Nonas Septembris Anno 803. cui difficultati respondent PP. Henschenius, & Papebrochius, Bollandi in describendis Sanctorum Vitis successores; hi enim ad diem 26. Martij in Vita ipsius S. Ludgeri §. 7. & 8. validis, solidisque demonstrant rationibus, Epistolam hanc spuriam, & Anestoresia labe notatam esse, ad quorum censuram Lectorem demitto. Quarè concludendum existimo, ipsius Ecclesiæ consecrationem executam fuisse, aut in fine Anni 804. aut prima die 805. vt supra annuimus.

Sed assumpti operis ratio postulat, vt eiusdem Basilicæ structuram describamus. Hæc octogonalis est, illamque formant per gyrum dispositæ, sub medio Templi fornice, illum fulcientes columnæ, quæ cum variegatis marmoribus constent, eam addunt venustati consistentiam, vt Choros pensiles incumbere sibi patiantur. Spatium areæ inter columnas, & parietes iacens, ambulacrum quoddam videtur referre, in quo locis congruis disposita assurgunt Altaria, suis tamen aris non destituitur etiam superior Chorus, quem Pensilis nomine memorauimus. Columnarum ordo Corinthius est Basibus, & Capitulis decenter ornatus. Portæ vtrimque laterales, & tertia, quæ magna dicitur, medio loco sita, maiestatem quandam, & commodum, populo frequentiori conciliant. Tholum etiam, siue, vt nostris placet, Trullum, in eo-

A dem templo conspicuum, columnæ sustinent. Depressior illi concameratio contigit Musiui operis beneficio, Cælum aureum repræsentans, vt in annexa Tabula XLI. rubris syderum imaginibus interpunctum; media inter hæc sydera pro chori conspectu effigies Christum Dominum exhibet, solio insidentem, aureo diademate (cui etiam augustum Crucis ornamentum intexitur) coronatum: sini-
B stra Christi manus librum tenet, dextera compositis, more Benedicentium, digitis eleuatur: at vniuersum corpus talaris obtegit tunica, cui paludamentum rubei coloris super imponitur gemmea fibula aptè connexum. Adstant singuli vtrinque Angeli, apertum volumen exhibentes, & Regis sui humeros alacres stipantes. E throni centro, luminis in morem, erumpunt radij, qui se circum Christi ca-
C put diffundunt. Circa thronum locatur sphæra, seu globus, coloribus quinque distinctus, quorum Primus throno proximior est Albiculus, secundus venetus, tertius thalassinus, quartus violaceus, quintus Ianthinus. Hæc autem omnia mysterio minimè carent, cum desumpta sint ex Apocalypsi cap. 4. vbi: *sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens, & qui sedebat similis erat aspectui lapidis Iaspidis, & sardinis, & iris erat in cir-*
D *cuitu sedis, similis visioni Smaragdinæ. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super Thronos viginti quatuor Seniores sedētes circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ &c. qui procedebant ante Thronum, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant Coronas suas ante Thronum*

dicentes



TAB. XLI



dicentes: Dignus es Domine, Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.

Imaginibus itaque subtus Christi pedes in Zophoro circà Trullum locatis nomen appingit hoc ipsum caput Apocalypsis, ad cuius normam conformatæ videntur. Coronas aureas manibus præferunt, sedibus relictis, stantes, & candidis Vestibus ornatæ; imitantur, vt vno verbo me expediam, Seniores in codice Apocalypsis descriptos. Cur autem Tabula hæc septem tantum exprimat senes, & non duodecim, Causa est, quia Pictor illos in gyrum dispositos delineare minimè potuit: Et cur tantum duodecim, & non Viginti quatuor senes Pictura exibeat; Id, repetendum iudico ab Andrea Episcopo Cæsareæ Cappadociæ, in comment. ad Apocal. cap. 10. num. 4. vbi Auctor iste, ad Vetus Testamentum referens duodecim ex illis Viginti quatuor, qui in Apocalypsi recensentur, iudicat duodecim celebres Iudæorum Patriarchas, Tribuum Principes, eo numero contineri, duodecim verò qui supersunt, ad Apostolos spectare arbitratur, cum istos Catholicæ Ecclesiæ veluti Patriarchas, & propter singularem virtutum, ac sapientiæ vim, duodecim Tribuum Israel futuros Iudices Christus elegerit. Pro certo itaque habeo, seniores in hoc Zophoro constitutos duodecim Apostolos demonstrare, qui aliquando pro fundamentis Ciuitatis accepti fuere, vt in sepe citata Apocalypsi cap. 21. vbi *& murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum, & Agni.* Ambrosius Ansbertus in lib. 10. eiusdem Apocalypsis, præcitatum perpendens locum, declarat, quòd Murus Ciuitatis, non singulatim Dominum, sed genericè totum corpus, quod est Ecclesia repræsentat, quæ super duodecim fundamenta, videlicet super Apostolorum, Prophetarum, reliquorumque Doctorum soliditatem ædificata consistit. At Zaccharias Episcopus Chrysopolitanus, lib. 5. cap. 22. hunc duodenarium numerum, quo census Apostolici Senatus exprimitur, ita vberiori vena plenius exponit *vocauit*, inquit, *quos voluit, quia non erat illorum studij, sed diuinæ gratiæ, vt in Apostolatum vocarentur; vnde illud non vos me elegistis, sed ego elegi vos. fecit quod essent duodecim, vt quadratum orbem fide sanctæ Trinitatis insigniunt, & salutem, quam prædicarent, suo quoque numero cõmendarent. Sicut enim Septenario, sic & duodenario numero signatur perfectio propter partes septenarij, quę in se multiplicatę reddũt duodecim. Horũ figura duodecim filij Iacob, duodecim Principes plebis Israel, duodecim lapides in Veste Sacerdotis, duodecim fontes reperti in Helim, duodecim panes propositionis, duodecim exploratores à Moyse missi, duodecim lapides de Iordane eleuati, duodecim stellæ in corona sponsæ, duodecim fundamenta, duodecim portæ Ciuitatis.* Hæc Zaccharias, de præfato duodenario numero. Quare meritò Carolus Magnus Imperator ad hunc Mysticum numerum reflectens, hos tantùmodò duodecim seniores exprimi voluit, designãdo in eis allegoricè, duodecim Apostolos Noui Testamẽti.

Candidæ autem Vestes, quibus Senio-

Seniores induti sunt, integræ, puræque A Vitæ, perpetuæque felicitatis, solidæque lætitiæ, quâ Beati potiuntur, symbolum indicant; Coronæ verò aureæ victoriã aduersus malignos spiritus, non absq; animi fortitudine significant, de quibus diximus in cap. 24. nostri operis Vet. Monim. parte I. subtus Zophorum, Christi pedibus subiacet Musiuum monogramma ☧ Hieroglyphicum simile antiquitùs fuerat, etiam apud Ethnicos, honore B non carens. Superstitio tamen potiùs, quàm religio illud consecrauerat, quousque magni Constantini Augusta pietas sacris vsibus restituit violatam characteris dignitatem, qua salutare Saluatoris nomen indicans, galeam, & labarum insigniuit, quod postmodum alijs Christianis Imperatoribus familiare fuit, vt ex Antonio Augustino, alijsque scriptoribus, de numismatibus tractantibus, vbi diuer- C sa referuntur numismata, simili charactere impressa, nempè Constantini, Constantij, Maxentij, Valentij, Valentiniani, Gallæ Placidiæ, Honorij, & Maiorani, quarè cùm signum hoc veluti Imperialis dignitatis esset tessera, vt nunc Aquilabiceps est: Carolus Magnus tanquàm Christianus Imperator superiorum Principum vestigia sectatus, eadem Tessera ☧ siue monogrammate venustare voluit.

Satis quidem hucusque dicta esse D possent, ad instituti operis intentionem; verùm quià & in loco versamur, qui vberem tribuit curiosæ Lectorum solertiæ eruditionis messem; Ideo illa eos fraudandos non esse arbitror, Quoniam aliquando Regionum distantia, vel longa annorum series multa adimat Indagatoribus.

Pendet adhuc è summo Templi vmbilico vastâ Corona, non ex auro, vt vulgùs autumat, elaborata. Vetus ille fuerat metalli color, & genus etiam, si famæ credimus; nunc verò Corona *ænea* est, vel *ferrea*, vt nuperrimus scriptor testis oculatus affirmat, illud argutè subdens: *quippè cum duri sæculi moribus immutata*, de ista ni fallor, locutus est sæpe memoratus Eghinardus, in præfata Caroli Magni vita, vbi sic: *erat in eadem Basilica in margine coronæ, quæ inter superiores arcus, interiorem ædis partem, ambiebat, synopticè scriptum, continens quis auctor esset eiusdem Templi, cuius in extremo versus legebatur: PRINCEPS CAROLVS notatum, à quibusdam eodem, quo decessit anno, paucis ante mortem mensibus, eas quæ PRINCEPS exprimebant litteras, ita esse deletas, vt penitùs non appareant, sed superiora omnia sic, aut dissimulauit, aut spreuit, ac si nihil horum ad res suas quolibet modo pertineret.*

Eghinardi Verba subdolent aliquam eruditionis accessionem; videtur enim Caroli Imperatoris peritiam adumbrare: quam in Historicis assecutus fuerat. siquidem deletum nomen *paucis ante obitum mensibus*, quòd dissimulauerit, aut spreuerit Carolus; ostendit illum adnotauisse consimilem Octauiani Cæsaris euentum, à Suetonio in eius vita relatum, scilicet, quòd ictu fulminis, ex inscriptione statuæ, prima Cæsarei nominis litera effluxerat, quæ res cum ad vates perferretur, responsum fuisse ferunt, solos centum dies illum adhuc superstitem futurum, quem dierum numerum litera C notaret: Insuper futurum fore vt inter Deos referretur,

quòd

quòd ÆSAR, ideſt reliqua pars nominis, CÆSAR, Hetruſcâ linguâ *Deus* vocaretur. Huic itaque Hiſtoriæ alluſiſſe, videtur Eghinardi teſtimonium, & conſtantia Caroli nihil ſimile ſibi timentis, non ex eo quòd alienæ ſuperſtitionis ignarus Imperator fuerit, ſed quod augurium inane (vt omnia fermè ſunt, quæ vulgi opinione conciliantur, cum diſparata omninò ſint) diſſimulauit, aut ſpreuit. Subiacet coronæ illi quadratus lapis, conditorium antiquum Magni Imperatoris. Tractu verò temporis illius Principis oſſa decentiorem in locum translata

A fuiſſe, deduco ex addita epigraphe, quā ex ipſo Eghinardo decerpſi, talia ſcribente: *Tandem omnium animis ſedit nuſquàm eum honeſtius tumulari poſſe, quàm in ea Baſilica, quam ipſe propter amorem Dei, & Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & ob honorem Sanctæ æternæ Virginis Genitricis eius proprio ſumptu in eodem Vico conſtruit. In hac ſepultus eſt eadem, qua defunctus eſt die, arcuſque ſuper tumu-* B *lum deauratus, cum imagine, & titulo exſtructus, & titulus ille hoc modo deſcriptus eſt:*

SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS CAROLI MAGNI, ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS. QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER, ET PER ANNOS XLVII. FELICITER TENVIT DECESSIT SEPTVAGENARIVS ANN: DNI DCCCXIV: INDICT. VII. CALEND. FEBRVARII.

Nihil immoror in enarrando peculiari ſtudio religionis, quo ad hanc C Baſilicam confluunt, tum Incolarum tum Exterorum cœtus frequentiſſimi, quorum peregrinatione ſeptimus quique annus, præ ceteris inſignis redditur, cum etiam ſacris indulgentiarum theſauris eo potiſſimùm tempore opportuna ſpes veniæ accedentes alliciat; Frequentia Populi, octo dierum numero, præcedere ſolet feſtum Deiparæ Natalibus ſolenne, & æquali temporis ſpatio ſubſe- D qui, quibus propterea diebus accedit reuerentia maior, & ſanctimonia. Ad hanc fortaſſe alludens Celtes Poeta cecinit.

Quaque patent celſæ Genitricis templa Tonantis,
Sanctius in noſtro, queis nihil Orbe micat.

Animo hæreo; nùm appoſitæ ſeriæ narrationi fabellas annectam ſeculares, quæ de huiuſcè templi conſtructione narrantur. Altera legitur apud Franciſcum Petrarcham, quam, & ipſe irridet in libro 1. epiſt. 3. vbi refert miram cuiuſdam annuli, virtutē, qua fiebat, vt cuiqunque homini, vel etiam loco annulus adhæreſceret, illi etiam accederet Imperatoris voluntas, imò & perditiſſimum deſiderium; eum verò annulum poſtquàm in aquas Thermales, quæ circa Vrbem ſunt, proiecerit Epiſcopus, ferunt ſimpathica vi, quâ pollebat, Regis animum adeò deuinxiſſe, vt loci illius genio Carolus Imperator templum ibi B. Virgini, & mauſolæum ſibi excitari, curauerit. Stomaco maiori legentis animum afficiunt, quæ iſti fabulæ præponuntur de eodem annulo. Bilem pariter mouet fabella altera, neſcio

ſcio, an ſeculorum barbarie, an vulgi credulitate olim celebrata. Ferebant Imperatorem Carolum de huiuſce Templi conſtructione meditantem, malo Dœmoni conſilium aperuiſſe, molitionem inſimulantem à ſe parari, quę prophanis vſibus, ac tripudijs inſeruire deberet, quibus auditis in ſpem aſſurgens ſceleſtus Spiritus, omnem nauauit operam, vt à Carolo mercenarij ſtipendia promereretur. Momento itaque temporis columnas, marmora, & quęcunque ad perficiendum opus requirebantur, adduxit, quin etiam valuas, quæ ſolæ iam deſiderabantur, æneas aliunde aſportauit. Ingreſſus verò Dæmon offendit, oculis in ſacram hoſtiam, quæ religioſo dolo, per Imperatorem locata fuerat in digniori Templi loco: non tulit aſpectum hoſtilem indignabundus ſpiritus; propterea valuas, quas adduxerat, iracundè proijciens, vnam illarum ſciſſione, quæ adhuc viſitur, luculentiſſima deturbauit, digitorum etiam veſtigia impreſſa relinquens metallo. Indignari deſiſtas amice lector. Mos iſte vulgi eſt, vt res hominum conquiſitis data opera mendacijs amet, extollere; ea nempe ſuperbos Imperatorum animos tenet ambitio, vt laudari credant, humanos conatus, cum ea, quæ ab hominibus fiunt, ſuperiori arte confecta prædicent, vt pretium rebus addant indebitum, debitum adimunt.

Cæterùm, ſi quid ex ſupradictis delectationis excerpſeris, non mihi à te deberi id, velim, ſed à Reuerendiſs. D. Vvanderlingen eiuſdem Eccleſiæ Decano tribuere debes, cum ipſe pro ſua ergà me humanitate non ſolum Muſiui operis exemplar, verùm etiam nonnullas eiuſdem Eccleſiæ notitias mihi communicauerit, intercedente Domino Guillelmo ab Hinneſdal literarum, Breuiumque ſcriptore Apoſtolico, in Romana Curia à negotijs, amicitiaque mihi conjuncto.

CAPVT XXIII.

De Eccleſia S. Suſannæ ad duas Domus, ſiue inter duas Lauros Vrbis à Leone III. circa Annum Domini 797. muſiuo illuſtrata opere.

Vrè hæc admodum vetuſta, inclytaque Eccleſia, Sanctorum Martyrum ſeminarium, varijs ex Imperiali ſanguine illuſtribus plantis fæcundum celebrari ſolet; cum in eo Imperatori Diocletiano diuerſi ſanguine coniuncti fuerint commorati. Inter hos B. Caius in ordine XXIX Romanus Pontifex, B. Gabinius eiuſdem Caij Germanus, Diocletiani Imperatoris Conſobrini, B. Suſanna eiuſdem Gabinij filia, Pontificiſque Neptis. Hæc fuit illa celebris Virgo, quæ Maximiani Imperatoris nuptias, à Dioclectiano affine tentatas renuit; proptereaque Martyrij palmam propria in Domo, vt Chriſtiana cognita, promeruit. Locum iſtum ipſemet B. Caius ſanctificauit, cum in eodem ſacrificium, in B. Suſannæ commemorationem, Altiſſimo obtulerit. Cumque B. Caij domus, ædibus S. Suſannæ, & Gabinij Patris coniuncta eſſet; inde factum, vt Chriſtianorum ſtatio, in duabus illis ædibus inſtituta fuerit. Hæ in ſexta erant Regione apud vicum Mamuri, ante Saluſtij forum; Ibidemque

deinque Claudius Diocletiani pro- A
pinquus cum Præpidigna vxore, ac
duobus filijs Alexandro, & Curia,
sacra Baptismatis vnda perfusi, sa-
croque Chrismate illiniti fuere; vt-
potè etiam Maxentius eiusdem Clau-
dij germanus. Hic insuper locus, &
cuna, & tumulus B. Susannæ fuit,
cum in eo orta, mortuaque fuerit.
Iurè meritò inter antiquiores Vrbis
Ecclesias Altissimo, ac in honorem
Sanctorum dicatas hæc annume- B
randa venit. A Sergio I. summo Pon-
tifice Ciborio marmoreo fuit ornata,
vt narrat Bibliothecarius in ipsius
Pontificis vita, vbi sic: *Hic* (scilicet
Sergius) *Ciborium Basilicæ S. Susannæ,
quod ante ligneum fuerat, ex marmo-
re fecit. diuersa quæque cymelia aurea,
& argentea, vel immobilia loco illic
condonauit.* Ab Hadriano I. nouo te-
cto restaurata, ac a Leone III. sum-
mis Romanis Pontificibus à funda- C
mentis nouiter ædificata fuit, de qua
reædificatione laudatus Bibliotheca-
rius, in eiusdē Leonis vita hæc habet.
„ Ipse verò præcipuus Pōtifex (nem-
„ pe Leo) in titulo B. Susannæ, vbi
„ & Presbyter ordinatus fuerat,
„ dum breuiter destructus fuisset,
„ & iam per longitana tempora ipsæ
„ parietinæ marcuissent, ob nimium
„ amorem ampliauit ædificium, &
„ nouiter in altum fodiens firmissi- D
„ mum posuit fundamentum, & eru-
„ tâ planitie mirificè excelsâ, super
„ ipsa fundamenta ædificauit Eccle-
„ siam cum apsida amplissima, &
„ cacumina mirifica de musiuo, at-
„ que cameram decoratam, seu Pres-
„ byterium, & pauimentum mar-
„ moribus pulchris ornauit. Verum
„ etiam dexterâ, leuaque, & porticus
„ eius cum columnis marmoreis
„ construxit. Sed & Baptisterium ibi
„ constituit, vbi & dona obtulit, vi-
„ delicet, Gabathas aureas fundatas
„ tres, pensantes libras quatuor, &
„ semis. Cruces aureas duas cum
„ gemmis pens. lib. vnam, tum vi-
„ gas argenteas pensan. libras tres,
„ & vncias septem. Lucernam ar-
„ genteam vnam pēsan. libras quin-
„ que, imagines argenteas tres pen-
„ san. lib. trigintaquinque. Fecit &
„ Confessionem eiusdem Altaris ex
„ argento purissimo pensan. libras
„ centum tres, & vncias duas. Co-
„ lumnas argenteas octo, & gamma-
„ dia duo, & arcus duos cum Cru-
„ cibus argenteis quinque, & gaba-
„ thas quindecim pensan. simul li-
„ bras centum quinquaginta. Cru-
„ cem diacopron pens. libras qua-
„ tuordecim. Canistrum ex cede Ca-
„ fotij pens. libras duodecim, & se-
„ mis. Coronam maiorem de argen-
„ to vnam cum Delphinis triginta
„ duobus pensan. lib. 32. Nec non
„ & Canistrum argenteum vnum
„ pensan. libras decem, & octo, sed
„ & aliud Canistrum argenteum
„ pensan. libras decem & octo; Vasa
„ colatoria argentea deaurata pens.
„ libras quatuor, & vncias tres. Ga-
„ bathas argēteas habentes gryphos
„ deauratos pens. libras duas. Coro-
„ nas argenteas duas cum Delphinis
„ decem & octo pensan. libras decem
„ & nouem. Enim verò idem præ-
„ cipuus Antistes fecit in eadem Ec-
„ clesia vestem chrysoclabam cum
„ periclysi, cum chrysoclabo vnam:
„ sed & aliam vestem de blatthin ha-
„ bentem in medio Crucem de chry-
„ soclabo. Et tabulas chrysoclabas

„ quatuor cum gemmis ornatas, at-
„ que gemmadias in ipsa veste chri-
„ soclabas quatuor cum periclisi de
„ chrisoclabo.

Martinellus vero in sua Roma sacra sequentem refert inscriptionem, olim in eiusdem Ecclesiæ apside extantem.

„ Dudum hæc B. Susannæ Mar-
„ tyris Aula coangusto, & tetro exi-
„ stens loco marcuerat: quæ Leo III.
„ Papa à fundamentis erigens, &
„ condens corpus B. Felicitatis Mar-
„ tyris comptè ædificans ornabit,
„ atque dedicabit:

Sub Clemente deinde VIII. vetustate hæc Ecclesia deformata à pia Hieronymi Cardinalis Rusticucci j liberalitate anno 1595. ferè in totum restaurata, picturisque vndequaque ornata ea, qua ad presens nitet, forma.

Musiui Operis pars, quod in antiqua extabat Tribuna, exemplar descripsimus ex codice Vaticano signato, vt in annexa Tabula XLII. vbi ad dexteram cernis Leonis III. effigiem, Ecclesiam præ manibus sustinentem, in signum reædificationis eiusdem Templi, ab ipso Pontifice executioni mandatæ. Si curiosus Lector scire cupiat colores hanc figuram compingentes, à sequentibus literis in originali adnotatis habebit. A viridis, B. Venetus, G. Albus. Huius extremitates sunt virides, Crux autē rubea, D. ceruleus, E rubeus, calcei albi viridi colore adumbrati, Crucis ornatus rubeus.

Ad huius Pontificis sinistrā statCarolus Magnus Imperator, qui dexteram Pontifici extendit, libertatē eidem Pontifici restitutā demonstrans, nā calumnijs Pontifici obiectis, detectis, & penitùs dissiparis pristinæ Pontificiæ maiestatis existimationem, & reuerentiam in integrū apud omnes subditos restituit. Indumētorum colores etiam literæ denotant. A cæruleus, BBB albus D. cæruleus, EE croceus, cuius extrema sunt cærulea, F caligæ siue ocreæ venetus subalbidus, Calcei terreus.

Post caput ambæ figuræ quadratum ostendunt, de quo disseruimus supra in cap. XXI. de Triclinio Leoniano, & infra in Ecclesia S. Mariæ in Domnica.

CAPVT XXIV.

De Ecclesia S. Mariæ in Domnica Vrbis, Anno 815. *reædificata, nec non musiuis illustrata picturis.*

INter antiquas Vrbis Ecclesias, meritò hæc annumeranda est; cum ob illius vetustatem, primæ erectionis memoria penitùs delitescat. Hoc tamen asserere, sit satis, quòd erat Diaconia, prout adhuc Diaconiæ retinet nomen; nempè locus, vbi per Diaconum regionarium pauperes, viduæ, pupilli, ac senes propriæ alebantur regionis. Non ignoratur tamen, Paschalem I. Sum. Pontificem Ecclesiam hanc, iam vetustate collabentem, â fundamentis construxisse. Narrat id Bibliothecarius in eiusdem Pontificis vita; vbi sic. Ecclesiam
„ Sanctæ DEI Genitricis, semper-
„ que Virginis Mariæ Dominæ no-
„ stræ, quæ appellatur Dominica,
„ olim constructam, & iam ruinæ
„ proximam solerti vigilantia præ-
„ fatus Pontifex ampliorem, melio-

remque


TAB XLII
A
B
C
D
E
A.
B
C
D
E
F
pag. 140



remque, quàm antea fuerat, â fundamentis ædificans renouauit. Absidamque eiusdem Ecclesiæ Musiuo mirificè decorauit, vbi & plurima obtulit dona, scilicet Cyborium ex argento pensantem libras trecentas triginta, & duas. Propitiatorium sacri altaris ex laminis argenteis comptè decorauit. Confessionem quoque eius cum regulis intus, & foris mirum in modum perficiens adornauit pens. libras centum, & quindecim, & vncias tres. Item vbi supra fecit gubatham ex auro purissimo pens. libras duas, & vncias octo: verum etiam. & arcum ex argento, & columnellas duas, cum gammadijs duabus pens. libras.

Immò & in sacro altari fecit vestem de chrysoclauo habentem historiam Dominicæ Natiuitatis Domini Nostri IESV CHRISTI miræ pulchritudinis exornatam. Iterum, vbi supra, fecit vestem de stauraci pulcherrimam cum periclysi de blattin. Item aliam vestem de blattin bizantea habentem tabulam de chrysoclauo cum vultu Sanctæ Genitricis, & Angeli obsequio stantes cum periclysi de staurace. Pariterque aliam vestem de staurace habentem pauones, & in medio Crucem de blattin. Item, vbi supra, fecit vestem ex auro textam cum periclysi de blattin. Coopertorium rubeum de Serico vnum. Fecit etiam in circuitu altaris vela rubea serica quatuor, cum gammadijs, & cruces de quadrapulo. Hic venerabilis Præsul obtulit in trabe ante vestibulum Altaris vela tria, & de quadrapulo numero viginti, & per arcus presbyterij vela parua de stauraci quatuor, simulque in ingressu presbiterij vela tyria duo. Hic benignissimus Pontifex fecit in ingressu iam dictæ Ecclesiæ cortinas maiores, de quadrapulo cum periclypsi de fundato mirificè valdè.

Quantus fuerit istius Pontificis erga diuinum cultum zelus, quanta erga sacras ædes deuotio, non solùm ex narratis, verum etiam ex alijs infra dicendis Ecclesijs clariùs apparebit. Floruit Paschalis Anno 817.

Hæc Ecclesia S. Mariæ in Dominica, siue in Domnica, aut Kyriaca, *della nauicella* nomen apud vulgus progressu temporis, siue appellationem sortita est: tres priores denominationes idem sonant; nam Dominica vox adiectiuum est â Substantiuo Domina deriuatum, nempe Hera; Domnica verò à Dominica per sincopem dicta, vt domnus Apostolicus, pro Dominus Apostolicus: ita Kyriaca græca vox est, quæ Dominicam significat; *nauicella* verò vox italica est, quæ nauiculam denotat, sic dicta à marmorea nauicula, quæ in platea ante ipsius Ecclesiæ prospectum est sita

Martinellus in sua Roma ex Ethnica sacra opinatur, Ecclesiam hanc â nobili matrona Ciriaca nomine in propria domo constructam fuisse. Reuerendissimus verò Dominicus Toschi Archidiaconus in Ecclesia Regiensi, quem honoris causa hic nomino, in sua peculiari dissertatione M.S. quam in meo librorum MM.SS. cimelio seruo, putat, Ecclesiam eandem olim Palatium, ac residentiam

Summo-

Summorum Pontificum fuisse, ante A Siluestri Beatissimi Pontificis tempora, & in hoc Palatio S. Laurentium Martyrem pauperibus Ecclesiæ thesauros distribuisse; nec non secunda Dominica Quadragesimæ ibi stationem celebrari; quoniam prima Dominica in Lateranensi Ecclesia prima habebatur statio. In hac igitur Diaconia, quæ maiori alijs prerogatiua gaudebat, Archidiaconus residere consueuerat. Et hæc satis dicta de fun- B datione, huiusque Ecclesiæ denominatione. Hæc eadem Ecclesia temporis progressu euasit Collegiata. Ad præsens verò vnicus in ea superest Canonicus, nomine Ioseph de Nora, qui ob peculiarem amorem hanc erga suam Ecclesiam in ea ad ingredientium dexteram Altare variorum marmorum incrustationibus ornatū ædificauit, aliudque simile ad sinistrā construere intēdit. Quamobrem eius- C dem Viri Ecclesiasticū zelum ad aliorum exemplum hìc palam facere, ac ad imitandum proponere volumus. Itaq; ad Musiuum opus deueniamus.

Huius Musiui operis primus aspectus proponit arcum supra Tribunam, quem in Tab. XLIII. exhibeo. In eius summitate expressa est Imago Christi Domini nostri, veluti in globo sedentis rubeis indumentis vestiti, ac diademate cum cruce caput orna- D tum habentis. Peripheria, siue area à tergo ipsius Saluatoris Cęlestem Iridem præsefert. Vnus ad dexteram, alter ad sinistram Angeli assistunt, vestibus albis amicti. Post hos: sex ad dexteram, totidemque ad sinistram viri sunt, etiam albis vestibus induti, singuli librum manibus tenentes, præter primum ad Saluatoris sinistram, qui claues in manibus tenet. Quamobrem absque vllo dubio, omnes isti Apostolos repræsentant, liberque, quem gestant, Euangeliorum codicem indicat, quique ad illud Dominicum præceptum eis datum tendit: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Superior area coloris cælestis, inferior viridis est, ad demonstrandum cælum & terram; flores inter imagines rubei, ac sub earundem pedibus albi coloris apparent. Ad eiusdem arcus latera duo sunt Viri, stantesque dexteram erga Saluatorem tendunt, quasi ipsum indicantes, eodem modo vestiti, ac Apostoli: quos nam Viros, siue sanctos, siue Prophetas illi duo, siue vt alati etiam Angelos fidelium custodes tutelares, & directores repræsentent; ad arbitrium iudicandi locum relinquo; ideo ad Tribunæ explicationem pertranseo.

In arcus huius summitate, vt in Tabula XLIV. cernitur monogramma



scilicet *Paschalis* nomen, huius Musiui operis Auctoris. In Tribunæ medio præclaram Sellam occupat Beatissima Virgo Maria, cęrulea veste induta, Filium suum vnigenitum, ac Dominum N. I. Christum, aureo circumdatum amictu, in sinu sustinens; tali pacto, ni fallor, expressa, quòd ipsa Deipara esset, contra impiam Nestorij hæresim, quam talem esse, iste nefandus Hæresiarca negabat. Ad Virginis pedes genuflexus stat Paschalis I. Summus Pontifex, vt apposita Epigraphes declarat, qui alba, & Dalmatica aurea indutus est. Post

eius


ISTA DOMVS PRIDEM FVERAT CONFRACTA
ET DECVS ECCE SVVS SPLENDET CEV PHOEBVS I
VIRGO MARIA TIBI PASCHALIS PRAESVL HON
M

9. 142


ISTA DOMVS PRIDEM FVERAT CONFRACTA RVINIS
ET DECVS ECCE SVVS SPLENDET CEV PHOEBVS IN ORBE
VIRGO MARIA TIBI PASCHALIS PRAESVL HONESTVS
NVNC RVTILAT IVGITER VARIIS DECORATA METALLIS
QVI POST FVRVA FVGANS TETRAE VELAMINA NOCTIS
CONDIDIT HANC AVLAM LAETVS PER SAECLA MANENDAM

pag 142



pag. 142.



pag. 242

eius caput quadratum se extendit, A quod signum viuentis Alemannus in suis Lateranensibus parietinis cap. 6. esse asserit. Sed nos dubitandi ansam desumimus ex diuersis alijs similibus figuris, quas in nonnullis antiquissimis Ritualibus vidimus, quos in lucem, si Deus nobis vitam concesserit, afferemus; vbi demonstrare intendimus, quod olim capitis ornamentum, siue Episcopale signum, vt hodie Thiara vulgo, Mitra erat. Ipse Pontifex B dexterum pedem Beatissimę Virginis, quasi deosculaturus, tenet. Ad præfatę Beatissimę Virginis latera diuersi sunt Angeli albis vestibus induti, quarum exteriores viridibus, interiores verò rubeis fascijs interdistinctę apparent. Quod Hieroglyphicum tendere videtur ad illud, quod canit Ecclesia: *Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad Cœlestia regna*. fusiusque de tanta C Virgine cecinit sexti sęculi Poetarum Cycnus ille Pictauensis Episcopus Venantius Honorius Fortunatus in lib. 8. sect. 5. vbi sic:

Cùm regio ergo Poli, totusque exercitus astri,
Te ornatam inspiciet laudibus ora mouent.
Inspiciens Michael præconia ferre Beatæ,
Cumque suis turmis hæc tibi Virgo refert.
O Deus excellens, ò fœmina forma salutis,
Partus fruge potens, virginitate placens.
Per quam est se nasci dignata redemptio mundi,
Et reparare genus, quod tulit Eua ferox.
Hanc tibi mater opem legionum millia mille,
Per classes resonent carmine voce lyra.
Angelus inde duos repetit paranymphus honores,
Qui tibi de cælis nuncia sancta venit.
Dicens, ò felix imitari nescia Virgo,
Cuius & Agnus ouis conterit ora lupi.
Tartara disrumpens, patriæ captiua reducens.
Et libertati post iuga pressa refers.
Excipit has iterum ingeminans pars altera laudes,
Perstrepit, & cunctis vox reuoluta choris.

CAPVT XXV.

De Ecclesia S. Praxedis Vrbis Musiuis Picturis exornata Anno 818.

BEatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli necessitudinem, magnus ille Vrbis Senator Pudens, contrahere meruit, & hac mediante æternam acquirere gloriam; non enim ipse solùm cum Praxede, & Pudentiana sanctissimis Virginibus filiabus suis, verùm etiam sui nonaginta domestici sacra Baptismatis Vnda ab ipsomet Apostolorum Principe D Petro in propria abluti fuere domo, quę dein in Ecclesiam conuersa, ac mox tituli Cardinalis Presbyteri nomen est sortita. Quamobrem inter primas Romæ fundatas Ecclesias enumeranda videtur, vt fusè probat Franciscus Maria Florentinus in suo vetustiori Martirologio ad diem 1. Augusti exercitat: 11. Ecclesia hęc antiquitate fatiscens, ab Hadriano I. restaurata;


ſtaurata; ſucceſſiuè à Paſchale I. Summis Pontificibus à fundamentis in ea, quæ ad præſens cernitur forma, parumper immutato ſitu, conſtructa fuit. Ambas has ædificationes Bibliothecarius in eiuſdem Hadriani vita, qui floruit anno 772. ſic enarrat: *Titulum verò Sanctæ Praxedis ex parte ruentem in integrum renouauit.* De Paſchale verò, Hadriani ſucceſſore Anno 817. ſic proſequitur: Eccleſiam etiam „ Beatiſſimę Chriſti Martyris Praxedis, quæ quondam priſcis ædificata temporibus nimio iàm laſſata ſenio, itaùt à fundamentis caſura, ruinam ſui minaretur, idem venerabilis Pontifex (illius ruinam antè præuidens, eidemq; Eccleſiæ curam adhibens, illic peruigil ſępiùs exiſtens) in alium non longè demutans locum in meliorem eam, quàm dudum fuerat, erexit ſtatum. Abſidam verò eiuſdem Eccleſiæ muſiuo opere exornatam, varijs decentèr coloribus decorauit. Simili modo, & Arcum triumphalem eiſdem metallis mirum in modum perficiens compſit. Hic Beatiſſimus, & præclarus Pontifex multa corpora Sanctorum diutiùs in Cęmiterijs iacentia, pia ſollicitudine, ne remanerent neglecti, quærens, atq; inuenta colligens magno venerationis affectu in iàm dictæ Sanctæ Chriſti Martyris Praxedis Eccleſiam, quàm mirabilitèr renouans conſtruxerat, cum omnium adoratione Romanorum, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Clericis laudem Deo pſallentibus, deportans recondidit. Quæ dùm Sanctiſſimi, atq; Coangelici Præſulis intima cordis vigilantia gererentur, vt reconditorum ibidem Sanctorum Corporum Deo indeſinentèr ſuper aſtra placentium precibus apud Omnipotentem Dominum iuuaretur; conſtruxit in eodem loco à fundamentis Cęnobium, quod & nomine Sanctæ Praxedis Virginis titulauit. In qua, & Sanctam Græcorum Congregationem aggregans, quæ die, noctuq; græcæ modulationis pſalmodiæ laudes Omnipotenti Deo, ſanctiſq; illius ibidem quieſcentibus ſedulò perſolueret, introduxit. Siquidèm in eodem venerabili Monaſterio plurima conferens prædia, & poſſeſſionum loca vrbana, vel ruſtica ſuperfluè, atq; abundantèr ditauit. Quinimò, & in eadem Eccleſia fecit Oratorium B. Zenonis Chriſti Martyris, vbi & ſacratiſſimum eius corpus ponens muſiuò ampliantèr ornauit; De hoc Oratorio infrà in cap. XXV. fuſiùs agemus. Apud antiquos fideles ante Presbyterium, ſiuè Tribunam magnum erigendi Arcum, quem Triumphalem denominabant, mos fuit, vt hìc Romæ antiquis in Eccleſijs, nempè S. Pauli, S. Crucis in Hieruſalē, ac S. Mariæ Maioris, ſiuè in Liberiana Baſilica obſeruari poteſt; de quibus arcubus, eorumque denominatione diſſeruimus in noſtro opere Vet. Mon. par. 1. cap. 22. ideò breuitatis gratia calamum ſuſpendimus, illumq; ad Arcum Triumphalem, qui in præſenti S. Praxedis Eccleſia eſt, deſcribendum, conuertimus.

Arcus iſte Muſiuo eleganti opere extenſus à temporis iniuria aliqua in parte diminutus eſt, vt ipſum exemplar demonſtrat in Tabula XLV. Figuræ in eodem expreſsæ, quod in Apo-

TAB XLV



pag. 1


D

Apocalypsi cap.7. continentur, repræ- A
sentant: nempè in arcus summitate, quædam Ciuitas apparet, in cuius medio stat Christus, sinistra globum Cruce insignitum sustinens; ad dexteram est Angelus, vtpotè etiam ad sinistram alter, itidem nouem ad dexteram, totidemque ad sinistram visuntur virorum figuræ diadematæ, veluti dona offerentes. Ad portas Ciuitatis duo sunt Angeli, vnus in limine portæ, alter extrà, ac propè eam, qui ad dexte- B
ram, dextera manu proximæ multitudini indigitat Ciuitatis portam, iuxtà eum multitudo hominum, dona ferentium est, tendentiumque ad Ciuitatem. Quid ista hominum multitudo denotet; me minimè fallere autumo, si asseram Monacorum, aliorumque Religiosorum turbam indicare, qui in via Domini ad Ciuitatem Sanctam Hierusalem progrediuntur; nam vestes, quibus ipsi induti apparent, Monachos esse demonstrant. Ad sinistram,
vt dixi, extrà portam est alius Ange- C
lus, ad cuius dexteram stat vir Diadematus, vtpotè etiam ad sinistram alius similis vir, ponè quem est alia virorum multitudo. Quid hoc significat Hieroglificum, ità expono: per duos viros ad Angeli dexteram, & sinistram, Beatos Apostolos Petrum, & Paulum significari puto; nam B. Petrus proximior portæ videtur, ab Angelo turbę indigitari, vt Cęli Ianitor.
Turba autem subsequens Clericorum D
Cętum repræsentat, vt ex ipsis colligo vestibus. Ab vtraque supradictarum Imaginum parte alia hominum multitudo, palmas manibus extollentium, cęterorum fidelium populus creditur.

Maior allatorum emblematum pars, ex Apocalypsi c.21. n.2. desumpta est, vbi perscrutator ille Diuinitatis Ioannes suã hanc exponit visionem:

›› Vidi Sanctam Ciuitatem Ierusa-
›› lem nouam descendentem de Cęlo
›› à Deo paratam, sicut sponsam or-
›› natam viro suo. Et audiui vocem
›› magnam de throno dicentem: Ec-
›› ce tabernaculum Dei cum homi-
›› nibus, & habitabit cum eis. Et ipsi
›› populus eius erunt, & ipse Deus
›› cum eis erit eorum Deus: & abster-
›› get Deus omnem lacrimam ab
›› oculis eorum, & mors vltrà non
›› erit, neque luctus, neque clamor,
›› neque dolor erit vltrà, quia prima
›› abierunt. Et dixit, qui sedebat in
›› throno: ecce noua facio omnia. Et
›› dixit mihi: Scribe, quia hæc verba
›› fidelissima sunt, & vera. Et dixit
›› mihi: factum est, ego sum A & Ω;
›› initium, & finis. Ego sitienti dabo
›› de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vi-
›› cerit, possidebit hęc, & ero illi Deus,
›› & ille erit mihi filius. Timidis au-
›› tem, & incredulis, & execratis, &
›› homicidis, & fornicatoribus, & ve-
›› neficis, & idololatris, & omnibus
›› mendacibus pars illorum erit in
›› stagno ardenti igne, & sulphure:
›› quod est mors secunda. Et venit
›› vnus de septem Angelis habenti-
›› bus phialas plenas septem plagis
›› nouissimis, & locutus est mecum,
›› dicens: Veni, & ostendam tibi spon-
›› sam vxorem Agni. Et sustulit me
›› in spiritu in montem magnum, &
›› altum, & ostendit mihi Ciuitatem
›› Sanctam Ierusalem descendentem
›› de Cœlo à Deo, habentem clarita-
›› tem Dei: & lumen eius simile lapi-
›› di pretioso, tanquam lapidi iaspi-
›› dis, sicut crystallum. Et habebat
›› murum magnum, & habentem

„ portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres. Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, vt metiretur Ciuitatem, & portas eius, & murum. Et Ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo: & mensus est Ciuitatem de arundine aurea, per stadia duodecim millia: & longitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia sunt. Et mensus est murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est Angeli. Et erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa verò Ciuitas aurum mundum simile vitro mundo. Et fundamenta muri Ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, iaspidis: secundum, sapphirus: tertium chalcedonicus: quartũ smaragdus: quintum sardonix: sextum sardius: septimum chrysolithus: octauum, beryllus: nonum topatius: decimum chrysoprasus: vndecimum hyacinthus: duodecimum amethystus. Et duodecim portæ duodecim Margaritæ sunt, per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis Margaritis: & platea Ciuitatis aurum mundum, tamquàm vitrum perlucidum. Et Templum non vidi in ea. Dominus enim Deus Omnipotens Templum illius est, & Agnus. Et Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea. Nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine eius, & Reges terræ afferent gloriam suam, & honorem in illam. Et portæ eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic. Et afferent gloriam, & honorem gentium in illam. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

A

B

C

D

Quæ in supra relata B. Ioannis Euangelistæ visione audisti, benigne Lector, nostro Musiuo commodè adaptari possunt; nam nuper legimus; *& sustulit me in spiritu in Montem magnum, & altum, & ostendit mihi Ciuitatem Sanctam Ierusalem descendentem de Cœlo à Deo, habentem claritatem Dei*. Musiuarius igitùr Artifex, vt potuit, visionem hanc sic adumbrare sategit; pro monte magno sumpsit arcus summitatem, in qua narratam Ciuitatem mirabilitèr perlucentibus, ac quadratis musiuis lapidibus efformauit, in cuius medio Christum Dominum Nostrum stantem, sinistraque globum tenentem collocauit. Quod hieroglyphicum adaptari posse iudico verbis illis eiusdem visionis: *Et Templum non vidi in ea. Dominus enim Deus Omnipotens Templum illius est, & Agnus*. Iure igitùr in medio Ciuitatis, vbi Templa construi solent, Dominum posuit, ad cuius designandam omnipotentiam Mundum in eius expressit manu. Qui verò intrà muros cum diadematibus circumstant, à Musiuario ad Sanctos indicandos efformatos fuisse, arbitror, qui æterna beatitudine fruuntur, vt in laudata innuitur visione, *& ambulabunt gentes per lumen eius, & Re-*

ges

TAB. XLVI



pag 147

TAB. XLVI



pag. 147

ges terræ offerent gloriam suam, & honorem in illam. Quem locum Ambrosius Ansbertus sic explanat: Hoc quod gentes per lumen eius ambulare dicuntur, non ad futuri temporis remunerationem, sed ad præsentis laborem referendum esse, satis elucet. Neque enim iam tunc in ambulando laborabunt, sed post laborem beati viuentes quiescent. Tempus ergo nunc est, quo ambulant Peregrini per lumen Agni, vt quandoque peruenientes ad Patriam in ipso quiescant lumine Agni. *Et infrà.* Qui sunt autem Reges terræ, nisi qui, & corpora, & motus cogitationum disciplinæ vigore regere nouerunt? qui videlicèt in illam Ciuitatem gloriam, & honorem suum afferre narrantur.

Angelus verò, qui extrà Ciuitatem est, & ingressum in Ciuitatem indigitat, illum repræsentare credo, de quo in eadem visione scripsit B. Ioannes: *Ostendit mihi Ciuitatem sanctam Ierusalem.* Locum hunc idem laudatus Ambrosius Ansbertus sic etiam explicat: *Ipsa* (Ciuitas) *illa est, de qua in Euangelio Dominus dicit; non potest Ciuitas abscondi suprà Montem posita, Ecclesia videlicèt Electorum super Christum stabilita. Ipsa, inquam, est, quę in Ioanne suprà Montem adducta est. De qua etiam per Psalmistam dicitur, Ierusalem, quæ ædificatur, vt Ciuitas.* Multitudo verò virorum, quæ tàm ad dexteram, quàm ad sinistram Ciuitatis est: pro electorum Turba expressa est; Sub his aliæ turbæ cum palmis, quas fortasse repræsentare autumo, de quibus itidem in eadem Apocalypsi descriptis cap. 7. n. 9. habemus hæc: *Post hæc vidi turbam magnam,* A *quàm dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Hac autem innumerabili multitudine, Fidelium Ecclesię turba, absque dubio in libro vitæ scriptorum demonstratur.

Literæ DD. designant locum, vbi antiquitus etiam extabat Musiuum similes Turbas repræsentans, quod B occasione constructionis loculamenti marmoreis incrustationibus ornati ad sacra custodienda lipsana destructum fuit; & hæc satis de triumphali arcu; modò ad aliũ, qui Tribunæ imminet.

Arcus iste, quem in Tabula XLVI. exprimo, easdem prorsus repræsentat figuras, quas exhibet similis Arcus in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani: in hoc tantummodò differt, quod ille à lateribus mutilus est, præsens verò S. C Praxedis integer; deest tamen aliqua pars in media summitate arcus. Ab huius arcus figurarum descriptione, cum multa in præcitato SS. Cosmi, & Damiani arcu scripserim, abstineo. Quare ad Tribunam calamum conuerto. In huius Tribunæ summitate, siuè arcus fastigio, vt in Tabula XLVII. cernitur monogramma PAL

quod Paschalis nomen explicat. Subtus D manus coronam deferens è Cęlo exit. Hieroglyphicum hoc in nuper allatis figuris demonstrauimus, denotare Deum. Quare illa, in præsenti Emblemate, cum Christi capiti imminens sit, videtur, quòd misticè adaptari possit ad regiam, sacerdotalemque Christi plenissimam ostendendam dignitatem, multiplicemque gratiam. Lorinus enim in Psalmo 20. vers. 4.

Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso: & in Psalmo 8. vers.6. *Gloria, & honore coronasti eum*. Per coronæ vocem meritum humiliationis indicare, idem Auctor commentatur. Quò circà multò aptiùs supra allata verba intelliguntur de Christo, quàm de homine secundùm se, quia coronari ratione bonorum naturæ, nemo dicitur, sed causâ laboris, certaminisque glorioso precingitur diademate. Subtus hanc coronam eiusdem D.N. Iesu Christi stantis Imago, veluti inter nubes, erumpit dexteram eleuatam tenens in actu exclamantis, & fortassè dicentis: *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ*. Cum id argui valeat tàm ex ouibus, quæ sub ipsius pedibus, quàm etiam ex Sanctis, qui ad eiusdem latera sunt: sinistra volumen stringit; eiusdem verò indumenta croceum, siuè aureum colorem præsefe-runt; ad eius pedes legitur, *Iordanus*, cum ameni ibidem fluctus vndantes clarissimè discernantur. Ad eiusdem Saluatoris dexteram stat S. Paulus, albis indutus vestimentis, cuius Pallij fimbria exhibet monogramma P. dextera librum tenet; ponè hunc visitur Puella, quam S.Praxedem repræsentare iudico, vt ex infrà apposita inscriptione deduco, circumamicta gemmatis vestibus coloris crocei, coronam, siuè rotundam figuram, gemmis etiam ornatam, manibus velo albo, siuè exterioris vestis partibus obductis, habens, quàm coronam nil aliud indicare autumo, nisi antiquas illas oblationes, quas prisci fideles in sacrificijs offerebant. Quare fortassè Pictor per hanc oblationem in manu Virginis, ipsam Virginitatem exprimere voluit, quàm Deo obtulit, ipsasque passiones, quas pro eius amore sustulit. Sequitur vir, qui Ecclesiam manibus itidem velatis sustinet, palliumque ex humeris pendentem, ac quadratum retrò caput defert, interioribus vestibus albis, exterioribus verò crocei coloris indutus est. Quid ista denotet figura, in illius explicatione minimè insumendum est tempus, cum quadratū retrò caput signum viuentis sit, vt placet Paulo Diacono in vita S.Gregorij, & alijs ipsum sequentibus; Ecclesia verò in ipsius Pontificis manibus ipsam Ecclesiam S.Praxedis ab eodem ædificatam, siuè denuò constructam innuit. Itàque ipsum Pontificem Paschalem ambo hæc signa absque vllo dubio ostēdunt, vtpotè etiam id comprobat subtus posita inscriptio, quæ in tabula citata perlegi potest. Sequitur deindè Palmæ arbor, de quo symbolo alibi fati sumus, præsertim in nostro opere de sacris ædificijs à Constantino Magno constructis cap.4. & 10. In eiusdem palmæ ramis subsidet auis, quæ Phœnicem, ni fallor, adumbrat. Quamobrem cum oriens, præsertìm Ægyptus, & Iudea palmis abundent, & Phœnicem in Ægypto renasci antiqui Patres affirmauerint; non abs re allusit in Phœnice Pictor hic mortuorum resurectioni, vt tradit Zeno Episcopus Veronensis serm. de resurectione post medium, vbi sic: Si-
„ militèr Phœnix auis illa pretiosa
„ resurrectionis euidentèr nos edocet
„ iura, quæ nobilitatem generis sui,
„ non à parentibus accipit, non liberis
„ tradit; ipsa genus, ipsa finis, ipsa
„ principium, non ex coitu nascitur,
„ nec officio alieno nutritur, non in
„ vita, non imprudens moritur, sed

cum


EMICAT AVLA PIA E VARIIS DECORATA META
PONTIFICIS SVMMI STVDIO PASCHALIS ALVM
PLVRIMA SCORVM SVBTER HAEC MOENIA CONDB


IORDANES
EMICAT AVLA PIAE VARIIS DECORATA METALLIS
PONTIFICIS SVMMI STVDIO PASCALIS ALVMNI
PLVRIMA SCORVM SVBTER HAEC MOENIA CONDENS
PRAXEDIS DNO SVPER AETHRA PLACENTIS HONORE
SEDIS APOSTOLICAE PASSIM QVI CORPORA CONDENS
FRETVS VT HIS LIMEN MEREATVR ADIRE POLORVM

„ cum maturum lethi tempus aduene-
„ rit à se met ipsa, ex citatis sacris igni-
„ bus, libentissimè concrematur, se-
„ pulcrum nidus est, illi fauillæ nu-
„ trices: cinis propagandi corporis
„ semen: mors natalis dies. Denique
„ post momentum festo exultat in
„ tumulo, non vmbra, sed veritas,
„ non Imago, sed Phœnix: non alia,
„ sed quamuis melior alia, tamen
„ peior ipsa. Hanc etiam auem suis in numismatibus nonnulli expressere antiqui Imperatores, & præsertim Magnus ille Constantinus, quorum occasione eruditissimus Spanhemius in suo tractatu de Præstantia, & vsu Numismatum dissert. 3. de hac eadem aui agit, non nullos citans Auctores, tàm Ethnicos, quàm Christianos, qui de simili aue tractarunt: & hæc satis de hac dextera parte, modò ad sinistram.

In hac parte propè Saluatorem apparet S. Petri effigies, albis indumentis vestita, iuxtà quem Virgo cernitur eiusdem formæ, vt altera in opposita est facie, quem S. Pudentianam eiusdem Praxedis sororem exprimere iudico, cum earumdem Sanctarum Virginum corpora in hac eadem Ecclesia requiescere narret Pancirolus de Ecclesijs Vrbis. Ad eiusdem Virginis sinistrum latus stat vir alba dalmatica vestitus, qui librum gemmatum tenet. Liber enim gemmatus Euangeliorum codicem denotat, vt fusè demonstraui in cap. 16. mei operis Vet. Mon. part. 1. Puto igitùr S. Zenonem ostendere, cuius corpus in eiusdem Sancti Oratorio, de quo mox disseremus, iacet; Sanctumque istum Presbyterum fuisse ad nonnullorum aliorum eiusdem nominis discrimen, qui vel Episcopi, vel milites ab Historicis referuntur. Modò ad inferius positæ peripheriæ explicationem descendimus, cuius in medio extollitur Agnus diadematus super rupem stans, è qua quatuor flumina erumpunt; ac sex ad dexteram, totidemque ad sinistram sunt agni, quæ figuræ Christum cum duodecim Apostolis exprimunt, vt in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani dixi, in qua etiam de Ciuitatibus, quæ in angulis præsentis peripheriæ etiam repræsentantur, disserui. Subtus hanc peripheriam inscriptio est aureis, palmaribusque literis formata, quàm sub oculis pono, ad facilem Lectoris cognitionem.

Emicat aula pia è varijs decorata metallis
Praxedis Domino super æthra placentis honore
Pontificis summi studio Paschalis alumni
Sedis Apostolicæ passim, qui corpora condens
Plurima Sanctorum subter hæc mœnia ponit,
Fretus vt his limen mereatur adire Polorum.

CAPVT XXVI.

De Cappella S. Zenonis in Ecclesia S. Praxedis à Paschale I. constructa, picturisue decorata musiuis, Anno 819.

Vetustam, si demonstrauimus, S. Praxedis Ecclesiam esse, non minoris vetustatis gaudet priuilegio S. Zenonis Cappella, in eadem Ecclesia sita; nam Bibliothecarius in supra laudati

laudati Paschalis I. vita etiam de eadem Cappella talia fatur: *Quinimò in eadem Ecclesia* (scilicet S. Praxedis) *fecit Oratorium B. Zenonis Christi Martyris, vbi & Sacratissimum eius Corpus ponens Musiuo amplianter ornauit*. Musiuum hoc opus à temporum iniurijs, tàm intus, quàm extra Oratorium adhuc cernitur in multis dirutum, atque offuscatum, cum tempus ipsum omnia corrodat, deprauet, ac ad nihilum redigat; nihilominus ex ijs, quæ supersunt, parietinis clarissimè apparet, quanta antiquitùs illius extiterit pulchritudo. Quare meritò prisci Fideles Oratorium hoc, ob illius formositatem, Paradisum denominarunt. Nam si ipsa exemplaria eruditus Lector consideret, ex eisdem probè cognoscet, quod *Conueniunt rebus nomina sæpè suis*. Tab. XVIII. quã exhibeo exteriorem ipsius Oratorij faciem demonstrat; in primis si ipsam consideremus ianuam, hæc architectonicum ordinem in nonnullis minimè continet; cum ex ruinis alicuius antiqui, ac nobilis ædificij marmora desumpta sint, vt peculiariter corona, aliæque eius partes, quæ epystilio imminent, abundè ostendunt: nihilominus quamdam in se habet venustatem, quæ oculos allicit, atque delectat. In ipso epistilio huius Oratorij pulchritudinem, insulpta narrant carmina, quæ sic se habent,


Pascalis præsulis opus decor fulgit in Aula
Quod pia optulit vota studuit reddere Dõ
Scilicet Domino

In carminum extremitate Monogramma PASCAL

A Paschalem exprimit. Supra eiusdem ianuæ coronam ampla se extendit fenestra cum ferrea crate, ac in eiusdem fenestræ spatio, antiquum exurgit, atque admodum pulchrum marmoreũ vas striatum, ansulas habens, vt ipsum patefacit exemplar. Circa ipsius fenestræ arcum vndecim extenduntur peripheriæ, quarum singulas quædam depictæ exornant imagines. In eiusdem arcus summitate peripheria est, B quam quinque ad dexteram, totidemque ad sinistram aliæ sequuntur peripheriæ. In illa Beatissima Virgo Maria Filium suum vnigenitum, ac D.N. Iesum Christum in sinu tenens, expressa est. Duo Viri vnus ad dexteram, alter ad sinistram in annexis peripherijs picti cernuntur, quos ex Ecclesiasticis indumentis, coronaque clericali S. Nouatum, ac S. Timotheũ, ambos germanos fratres, SS. Virgi- C num Praxedis, & Pudentianæ indicare, arguo. Octo deinde Virgines in alijs peripherijs similiter concomitantur; nempe quatuor ad dexteram, totidemque ad sinistram. Quas esse, puto, SS. Praxedem, & Pudentianam, aliasque Virgines eisdem coniunctas, siue de earumdem Sanctarum Praxedis, & Pudentianæ familia; cum S. Petrus in domo Pudentis earundem, ac præfatorum Nouati, & Timothei D Patris, eosdem cum tota familia, vsque ad numerum duo supra nonaginta baptizauerit, vt in eorundem Sanctorum Martyrum actis, apud Mombritium, aliosque legitur. Descriptas peripheris aliæ similes ambiunt, quę exteriùs efformatę tredecim enumerantur. In Peripheria media, ac superiori parte collocata Christus Dominus Noster expressus est, retro caput

loco






PASCHALIS PRAESVLIS OPVS DECOR FVLGIT IN AVLA V
QVOD PIA OPTVLIT VOTA STVDIT REDDERE DO· PS CAL v


C
SCA AGNES
SCA PVDENTIANA
SCA PRAXEDIS






E


A
SCA MARIA
SCS IOHANNIS
CH
SCA PRAXEDIS
MR
CH
SCA PVDENTIANA


B
SCS IOHANNIS
SCS ANDREAS
SCS IACCOBVS


SCS PETRVS
SCS PAVLVS
D

pag. 151

B

SCS IOHANNIS

SCS ANDREAS

SCS IACCOBVS

SCS PETRVS

SCS PAVLVS

D

pag. 151

loco Diadematis seu, Nimbi, Crux effulget. Sequuntur sex ad dexteram, sexque aliæ ad sinistram similes peripheriæ, in quibus viri quidam, veluti tonsurati continentur, quos repręsentare autumo duodecim Apostolos. In eiusdem Arcus fastigio, ac in lateribus angulos formantibus. Vir quidam ad dexteram, ac alter ad sinistram similitèr in peripheria spectantur, quos B. Pudentem, vt diximus Patrem, ac B. Pastorem Presbyterum demonstrare iudico, cum hic S. Praxedis descripsissent acta, vt docet Baronius ad annum 164. nu. 24. In huius Arcus extremitatibus duo efformantur quadrata, duas continentia Imagines, quę non Musiuo Opere, sed coloribus appictę sunt, fortaſsè in locum aliarum similium Imaginum ex Musiuo Opere iàm collapsarum subrogatæ. Et hæc sàtis de his, quę extrà Oratorium sunt.

Ingrediamur modò Oratorium, cuius interiores partes musiuo opere ornatas, sequentes exhibent tabulæ sub nu. II. quarum signata nu. A. nobiliorem eiusdem Oratorij locum designat, in quo ara constituta est; huius parietis faciem aliqua in parte ab antiqua forma immutatam esse iudico, cum ad præsens duæ sint paruæ columnæ, vtpotè etiam parastatæ cum epystilio, zophoro, corona, ac tympano ex marmore constructis, in cuius medio Beatissima Virgo Maria Christum filium suum vnigenitum D. N. in sinu habens, in gemmato sedet solio, quas figuras ad faciliorem cognitionem, absque marmoreis ornamentis expressimus, & iuxtà formam, quam iudicauimus, antiquitùs fuisse delineatas. Hæ figuræ hodiè minimè cernuntur, cum sericis velaminibus

A obductæ sint. Descripserat iàm eas bonæ memoriæ Ioannes Lucius rerum antiquarum amantissimus, de quo nos iam fati sumus in præfatione nostræ primæ partis Vet. Monim. Ex eius schedis illius exemplar mutuati sumus. Propè caput Beatissimę Virginis ad dexteram hæ perleguntur literæ abbreuiatæ ΜΡ; ad sinistram verò aliæ sunt literę paritèr abbreuiatæ, sic ΘΥ, quæ explicatæ græco in idiomate sonant B μήτηρ Θεοῦ, latinè redditæ Mater Dei significant. Quod literis expressit Pictor, etiam figuris adumbrauit, cum Iesum Christum Dominum nostrum in sinu Beatissimæ Virginis delineauerit ad ostendendum, quod ex eius vtero genitus erat, contra impiam Nestorij Hæresim, qui ipsam Beatissimam Virginem Christiparam appellabat, de qua historia locuti sumus in nostro Opere Vet. Monim. part. I. cap. 22. Ipse C Christus diademate gemmato in Crucis forma cingitur; sinistrâ tenet velamen expansum, in quo legitur: *Ego sum Lux Mundi*, hac desumpta Epigraphe ex Euangelio S. Ioannis cap. 8. nu. 12. Ad laudatæ Cœlorum Reginæ dexteram, stat Virgo dexteram eleuatam tenens, ac in sinistra quid rotundum gerens, quæ S. Praxedis est, vt nomen post humeros scriptum sonat; Illud rotundum, quod in manu habet, D ni fallor, est oblatio floribus sparsa, siuè coronata, quam antiqui fideles in sacrificijs offerebant, de quibus nos suprà fati sumus in cap. VII. occasione Musiui Operis Ecclesiæ SS. Cosmę, & Damiani, & alibi. Ad sinistram eiusdem Beatissimæ Virginis Mariæ stat alia Virgo, scilicèt S. Pudentiana, vt ipsa epigraphes indicat, quę pari forma oblationem coronatam tenet. Co-

lum-

lumne cum epistilio, zophoro, & corona sunt posterioris æui, quę ornamenta antiquum Musiuum aliqua in parte obducunt; quamobrem difficile admodum redditur, quid figurę suprà ipsam extantes demonstrent, explicare; vna solummodò intelligitur, scilicèt quæ in medio est, quæque Christum Dominum nostrum repræsentat, qui dexteram in actu benedicendi tenet, ac sinistra volumen complicatum gerat. Ponè ipsius diadema, duæ cernuntur literæ, nempè CH, scilicèt Christus: tàm ad eiusdem dexteram, quàm ad sinistram aliæ sunt figuræ, nempè quatuor stantes, duæ verò in genua prouolutæ à longa annorum serie ità deformatæ, vt vix dignosci possint. Suprà has figuras erigitur Arcus, & suprà huius fastigium fenestra cernitur, vt litera A, ad intromittendum lumen. In dextero ipsius fenestræ angulo itidem Musiuo Opere expressa est Beatissima Virgo stans, vt ipsę literæ palàm faciunt, nempè *Sancta Maria*; ad sinistrum angulum præfatæ fenestræ alia est figura, quæ S. Ioannem Baptistam indicat, vt etiam literæ, ac ipsius vestes, nec non Crux, quam sinistra tenet, patefaciunt, scilicèt *S. Ioannes*. Ad dexteram ingressus, alius est Arcus, vt dicta Tabula exhibet, in cuius summitate alia est parua fenestra, vt litera B, ad lucem olim immittendam, modo verò muro oppleta: ad eius dexteram stat S. Ioannes Euangelista, qui librum, scilicèt Euangeliorum, præ manibus habet; à tergò legitur epigraphe S. Ioannes: ponè aliud fenestræ latus duæ aliæ sunt figurę, quarum prima S. Andreã, secunda verò S. Iacobum demonstrant, & hos indicant literę iuxtà eos expressæ.

A Ad eorundem Sanctorum pedes alius est paruus Arcus, siuè lunula, vt nu. 2. in quo tres itidem figurę cernuntur, quarum media, ni fallor est, Iesus Christus, vt ex diademate Cruce insignito infero, librum sinistrâ tenens. Duo etiam sunt viri, vt ex diadematibus, vnus ad dexteram, & alter ad sinistram eiusdem Christi, ille ad dexteram clausum tenet librum, iste ad sinistram apertum; qui nam isti sint viri, diuinare difficile redditur; at ne

B ieiunus remaneat Lector, meam proferam sententiam, nempè, quòd ille ad dexteram, fortassè B. Pium Pontificem, iste ad sinistram, S. Pastorem presbyterum esse, ostendunt. Et hec de hac parte; modo ad oppositam, scilicèt ad sinistram me confero, vt lit. C. vbi paritèr cernitur Arcus cum fenestra, quę similitèr muro est obducta. Ponè altare B. Virgo Praxedes appicta

C est, coronam prę manibus habens; eam sequuntur S. Pudentiana, & S. Agnes similem gestantes coronam; sub earundem Virginum pedibus lunula expressa cernitur, ac rupes, è qua diuersi aquarum riuuli erumpunt; in eiusdem summitate stat Agnus diadematus, ac duo ad illius dexteram, totidemque ad sinistram sunt Cerui; Quare per Hieroghyphicum hoc demostrari autumo, Christum D.N. in

D Agni forma, per Ceruos verò Ecclesię fideles, vt ostendimus in Nostro Opere de Sacris Ædificijs à Constant. M. constructis cap. 4. sect. 2. nonnullorum Patrum adducendo auctoritates exponentium vers. 1. Psal. 41. *Quemadmodum desiderat Ceruus ad fontes aquarum*. Immediatè post hoc sacrum Emblema, quatuor apparent alię figurę, omnes, ni fallor, Virgines represen-

tan-





pag. 153.

tantes, quarum indiuiduationes, nul- A lo signo indicatas, erudito Lectori relinquo. Notanda est illa, quę post caput habet quadratum, quod signum viuentis est, vt nonnulli eruditi scriptores censent, & nos exposuimus in Cap.XXIV. vbi de Musiuo opere in Ecclesia S. Marię in Domnica egimus. Subtus has figuras est ærea crates, varios in ramos dispartita, nonnulliq; stellulis exornata; quæ illam spectantibus admodum gratam red- B dunt. Per hanc mulieribus patet aspectus ad Oratorij interiora, tàm ad Altare, quàm ad Columnam, in qua Christus Dominus alligatus fuit, de qua infrà: Mulieribus enim in Oratorium ingressus interdictus est.

Quoniam hìc mentio contigit de Columna D.N.Iesu Christi, illam intelligimus, in qua alligatus, & flagellatus fuit, quam Ioannes Cardinalis Columna ex Orientalibus partibus, C post annum 1216.cum Legati munus ibi exerceret, de Turcis victor rediens, secum detulit, vt apud Ciaconium de Vitis Pontificum, aliosque Auctores perlegi potest. Huius Columnę forma est expressa lit.E, illius verò situs, vbi nunc asseruatur, est sub dicta lit.C. Superest modò quartam eiusdem Oratorij ostendere faciem, dum de tribus D iam disseruimus. Hęc est suprà ianuam, quę lit.D designatur, ac Altari opposita est. Arcus formam, vt aliæ tres, præsefert, in cuius medio stat Thronus gemmatus, siuè Sedes Episcopalis, ad dexteram S. Petrus cum volumine expanso, ad sinistram S.Paulus cum volumine clauso; Et hęc de quatuor faciebus istius Oratorij; modò aliqua de fornice disserendum etiam videtur.

Fornix iste itidem Musiuo Opere ornatus est, cuius formam exhibeo in Tab.L. In eius medio extenditur circulus, in quo D.N. Iesus Christus cum crucigero diademate est expressus, & præ manibus volumine obsignato; in quatuor angulis, quatuor Angeli ipsam peripheriam sustentant; clariùs ipsa Tabula omnia exprimit. Et hęc de Oratorio S.Zenonis, Ecclesiaque S.Praxedis, Musiuisque Operibus in eisdem exstãtibus dicta sint satis; Ideò ad alia Musiua Opera in alijs Ecclesijs explicanda gradum facimus.

CAPVT XXVII.

De Ecclesia S. Ceciliæ Vrbis, exornata musiuis picturis à Paschale I. circa Annum Domini 820.

QVoquò nostros oculos, siuè mentis, siuè corporis hac in Vrbe vertamus, aut eiusdem antiquę magnificentiæ supersunt rudera, aut saltem illorum perennat memoria. In eadem celebris est Transtyberina regio, in qua magnificum spectandum se præbet Templum Deo, ac in honorem Ancillæ suæ Beatæ Ceciliæ, ex Nobilissimis ortæ Parentibus, dicatum. Hoc in loco, tantæ Virginis domus fuit, & campus, in quo Martyrij promeruit palmam. Nam balneo inclusa, subtusque eo tota die, ac nocte, magna vi ardentis ignis adhibita, vt calefacto aere suffocata periret, libera tamen Dei adiutorio euasit. Balneum hoc, Clementis VIII. sa.me. tempore, occasione, qua bo.mem. Paulus Emilius Sfondratus, eiusdem Ecclesiæ Cardinalis Titularis, illam restaurauit, repertum fuit, vt Pancirolus de Vrbis

Ecclesijs enarrat. Hanc eandem Ecclesiam olim vetustate collabentem à fundamentis etiam instaurauit Paschalis Papa I. qui floruit anno 817. vt in eius vita Bibliothecarius scribit;
„ vbi sic: Christi namque Omnipotentis Domini famulus, & prænominatus Pontifex maximam Dei Ecclesiarum curam, & sollicitudinem prævidendo indesinentèr gerens, cum quadam die, orationis studio, ad Sanctæ Dei Virginis, Christique Martyris Ceciliæ Ecclesiam adueniret, nimio iam quassata senio Ecclesiæ eiusdem mænia, etiam à fundamentis ruitura, videns, quæ per olitana tempora, defectu vetustatis marcuerant, & penè ruinis confracta diù antiquitus lacerata manebant, dato studio operis, eodem in loco, magnifico opere, nouam construere Ecclesiam cœpit, & perficere satis meliorem, quàm fuerat, studuit.

„ Sed neque illud prætereundum esse existimamus, dum quadam die ad Beati Petri Principis Apostolorum Ecclesiam pergeret, quatenùs apud eundem Beatum Petrum Apostolum solito more vigilias celebraret, & ante eiusdem confessionem matutinales lucescente Dominica laudes residens decantaret, subitò depressus sopore vidit adsistentem sibi virginali aspectu puellam Angelicis vestibus decoratam, talia locutionis affamina protulisse, dicens. Multas tibi gratias referimus, quia certamen, quod de me diù posueras frustatorias relationibus peruulgatis aures accomodans reliquisti, quippè qui tanto penès me fuisti, vti proprio loqui inuicem ore valeremus. Hæc iam sæpè præfatus Pontifex diligentèr audiens studiosè requirere cepit, quæ esset ipsa, quæ talia illi verba diceret, vel quo nomine vocaretur. Cui illa respondit. Si nomen inquiris, Cecilia famula Christi vocor. Ad quam Summus inquiens Præsul: Quomodò hoc credere possum, eò quod olim fama relata sit, quatenùs eiusdem Venerabilis Christi Martyris Ceciliæ corpus ab Aistolpho Longobardorum Rege hostilitèr Romæ residente furtim, & ab illius hominibus fuisset ablatum. Cui talia Venerabili Pontifici intimanti, Omnipotentis Dei famula dixit. Quia me desiderâtèr, vt inuenirent Longobardi quæsiuerunt, omninò verum est, sed Domini mei Iesu Christi opitulatione, & Dominæ meæ Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ auxilio, neque me inuenire, neque deportare, sicut voluerant, hinc longiùs potuerunt. Et ideò sicut me quærere cepisti, qualitèr me inuenias asiduo labori non desistas incumbere, quia Domino Deo, pro cuius amore, & honore passa sum, placuit, vt tu me inuenias, & in Ecclesia, quàm nouitèr construxisti, recondas. Et hæc dicens ab oculis aspicientis ablata est. Tunc idem Venerandus Pontifex matutinalibus laudibus persolutis pro tàm certæ, & indubitabilis reuelationis iudicio cepit hac, illacque operosiùs quærere, vbi sacratissimum eius corpus iaceret humatum. Quod tribuente Deo, dùm sollicitè quæreret, reperit in Cimiterio Prætestati sito foris portam

„ tam Appiam aureis illud vestitum A „ indumentis, cum corpore venerabilis sponsi sui Valeriani, pariterque & linteamina Martyris ipsius „ sanguine plena, quando ab impio „ percussa carnifice Christi Domini „ Martyr est regnantis in secula consecrata. Quibus, & linteaminibus „ sanguis Sanctæ Martyris extersus „ inuoluta ad pedes illius corporis „ sacratissimo cruore plena, de trina „ carnificis percussione reperta sunt. B „ Quæ cuncta suis pertractans manibus collegit, & cum magno honore infrà muros huius Romanæ Vrbis in Ecclesia nomine ipsius Sanctę „ Martyris dedicata ad laudem, & „ gloriam Omnipotentis Dei, eiusdem Virginis corpus cum charissimo Valeriano sponso, atque Tiburtio, & Maximo Martyribus, „ nec non Vrbano, & Lucio Pontificibus sub Sacrosancto Altari collo- C cauit, pro quorum Sanctorum honore videlicèt,& opitulatione construxit Monasterium in honorem Virginum,seù Martyrum Agathæ, „ & Ceciliæ iuxta ipsius Ecclesiam in „ loco, qui dicitur Colles iacentes, in „ quo & Monachorum Deo seruientium congregationem pro quotidianis laudibus, in præfato titulo S. „ Ceciliæ die, noctuque Omnipotenti Domino decantandis, consti- D tuit. Et pro subsidio, & luminariorum concinnatione, seù vtilitate, „ atque stipendijs Monachorum,nec „ non,& pro amore,atque dilectione, „ quâ ergà Prædecessorem suum piæ „ recordationis Domnum Leonem III.Papam habere videbatur hospitale S. Peregrini positum ad Beatum Petrum Apostolum in loco, „ qui vocatur Naumadia,quod idem „ Prædecessor suus construxerat, & „ ob neglectum, atque destitutionem præpositorum paupertatis „ inopia consumi videbatur; idcircò „ pio iuuamine consulens, præfatum „ hospitale cum fundis, & casalibus, „ atque massis,seu etiam colonis,siuè „ domibus, nec non familijs, & vniuersis, quæ iustè, & rationabilitèr, „ secundum legum statuta, eique à „ Prædecessore suo in iàm prædicto „ hospitali donata sunt. Quæque ab ipso pia deuotione ad augmentum iàm dicti Monasterij adiuncta „ sunt,siuè agris,vel vineis,etiam domibus, nec non rustica familia suę „ auctoritatis pagina pro iam nominata Monachorum Congregatione „ in eodem Monasterio confirmauit. „ Qui Sanctissimus Præsul amore „ venerandorum Sanctorum fecit in „ ornamentis ipsius Ecclesiæ absidam „ Musiuo opere decoratam, & Cyborium miræ magnitudinis ex argento pens. libras quingentas, & „ semis, & vncias octo. Propitiatorium denique Sacri Altaris, seù „ confessionem interiùs, exteriùsque „ cum regulis suis ex laminis argenteis mirum in modum perficiens „ compsit. Quæ simul pens.libras sexaginta quatuor, & vncias 5. Ad „ sacrum verò eiusdem Virginis corpus obtulit Imaginem ex argenteis laminis pens.libras nonaginta „ quinque. Fecit etiam ante vestibulum Altaris regularem inuestitum „ ex laminis argenteis, & columnis „ duabus,vbi & posuit arcum vnum, „ & gammadias duas pens. insimul „ libras centum, & semis. Obtulit „ ibi ipse Imagines argenteas deauratas tres pens. insimul libras quadraginta, & octo semis. Sæpè fa-

,, tus quoque Præsul fecit per arcus
,, eiusdem Ecclesiæ calices maiores
,, ex argento viginti, & sex pens. insi-
,, mul libras centum nouem, & se-
,, mis. Item, vbi suprà obtulit cani-
,, stra ex argento duo pens. libras
,, duas, & vncias octo. Gabatham
,, ex auro purissimo pens. libras tres.
,, Fecit iam prædictus Pontifex cani-
,, stra Enafoti ex argento duo pens.
,, libras decem. Gabathas ex argento
,, tres pensan libras quinque. Thuri-
,, bulum ex argento deauratum pen-
,, san. libram vnam. Hic benignissi-
,, mus Præsul obtulit in Sacro Altari
,, vestem de blattin byzantea haben-
,, tem in medio tabulam de Chryso-
,, clauo cum Historia, qualitèr An-
,, gelus Beatam Ceciliam, seù Vale-
,, rianum, & Tiburtium coronauit cũ
,, periclysi de Chrisoclauo miræ pul-
,, chritudinis exornata. Item ibi fecit
,, vestem de fundato alythino haben-
,, tẽ in circuitu periclysin de olouero.
,, Ob amorem eiusdem Virginis
,, fecit aliam vestem de fundato pro-
,, phyretico habentem in medio Cru-
,, cem ex auro texto comptè decora-
,, tam. Enim verò in iam dicto Altari
,, obtulit vestem albam sigillatã cum
,, rosulis habentẽ in medio Crucẽ de
,, blattin cum psillijs, & periclysin de
,, blattin byzantea pulcherrimè exor-
,, natam. Obtulit, & in prænomina-
,, to Altari vestem de quadrapulo.
,, Venerabilis Pontifex fecit vela
,, alythina penden. in circuitu Alta-
,, ris quatuor habentes Cruces, &
,, gammadias de fundato, & qua-
,, drapulo. In arcella verò, vbi ve-
,, nerabile caput eiusdem Virginis
,, condidit, fecit vestem paruam de
,, tyrio cum periclysi de blattin. Ob-
,, tulit vbi suprà, vestem de fundato

A ,, prasino. Imò & aliam vestẽ de stau-
,, raci cũ periclysi de olouero, & vestẽ
,, de blattin cũ periclysi de fundato.
,, Fecit etiam in arcella ad corpus
,, iam dictæ Virginis vestem de qua-
,, drapulo, cum periclysi.
,, Porrò, & aliam vestem de stau-
,, race cum periclysi de olouero. In
,, iam dicta Ecclesia fecit vela tyria
,, cum periclysi de blattin byzantea
B ,, num. vigintiquinque. Itẽ vela prasi-
,, na cũ periclysi de Olouero numero
,, quatuor. Obtulit, vbi suprà vela aly-
,, thina cũ periclysi de blattin parua
,, cũ pariclysi numero duo, paritèr ve-
,, la Tyria cũ periclysi de fũdato duo.
,, Hic venerabilis, & præclarus
,, Pontifex fecit per arcus iam dictæ
,, Ecclesiæ vela de fundato numero
,, duodecim, & de quadrupulo qua-
,, tuordecim. Fecit & in arcu Presby-
C ,, terij vela parua cum periclysi de
,, blattin byzantea numero duode-
,, cim. Hic à Deo protectus Venera-
,, bilis Præsul fecit in ingressu eius-
,, dem Ecclesiæ cortinam maiorem
,, de quadrapulo, & staurace pulcher-
,, rimè exornatam. Vtrum Musiui
Operis, quod vsque ad nostra tem-
pora illæsum prospicitur, Pontifex iste
Auctor fuerit, non solum ipsius in
eodem musiuo expressa imago, verùm
D etiam carmina, sub eodem musiuo in-
scripta, ac monogramma in arcus
summitate appositum abundè testan-
tur. Relato igitùr Musiui operis Au-
ctore, eiusdem Musiui exemplar, pro
nostro consueto more, referendum est;
quod sub tabulis LI. & LII. adducimus
Tabula enim LI. Anteriorem Musiui
Operis faciem exhibet, in cuius sum-
mitate Beatissima Virgo Maria ap-
paret, in gemmato sedens solio, ac
Dominum Nostrum Iesum Chri-
stum,



pag 157



pag. 151

ſtum, filium ſuum vnigenitum, in gremio ſedentem tenens. Non caſu, A ſed conſultò Pictorem in huiuſmodi actu has pinxiſſe imagines, reor, nempè, Beatiſſimam V. Mariam Deiparam fuiſſe, quem digniſsimum titulum eidem attributum, impius ille Hæreſiarca Neſtorius, in Epheſino Concilio, in dubium reuocare tentauit; quare poſt huiuſmodi motum dubium Chriſtifideles ad patefaciendum eandem Beatiſſimam Virginem B Deiparam fuiſſe, ſic & picturis, & numiſmatibus expreſſere, vt fusè in noſtro Opere Vet. Mon. part. 1. cap. 22. enarrauimus. Ad throni dexteram, ſtat Angelus, hunc quinque ſequuntur Virgines, pari forma ſtantes. Ad ſiniſtram alius eſt Angelus, & poſt eum aliæ quinque Virgines, quæ omnes prę manibus velutiras gerunt. Per has autem Virgines illas decem indicari autumo, quas Saluator Mundi C Dominus Noſter Ieſus Chriſtus ſua in parabola expreſsit, vt narrat Euangeliſta Matthæus cap. 25. 1. *Tunc ſimile erit Regnum Cęlorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Varij ſunt huius ſacræ parabolæ Expoſitores: Nos contenti erimus, duos tantùm antiquiores, in Lectoris gratiam, exponere, D quorum primus ille ſit Nolanus Epiſcopus S. Paulinus, qui in epiſt. 27. ad S. Amandum ſecunda, ſiuè appendice prioris, ſic fatur: Mens noſtra fertilis

„ Deo ſit, & vitæ fructus operibus
„ bonis pariat. Sit & ſpiritus virgo,
„ vt nullâ ſeculi corrumpatur illece-
„ brâ, & ab omni labe vitiorum
„ integer maneat. Stultæ enim Vir-
„ gines illæ, mihi videntur eſſe ani-
„ mæ, quæ virtutibus ſteriles, & illæ
„ ſapientes, quæ vitijs incorruptæ
„ ſunt. Denique in vtroque Virgi-
„ num genere quinque ponuntur, vt
„ intelligatur ad ſenſus hominis in-
„ tegritatem, aut corruptionem refer-
„ ri. Nam quinque ſenſibus omnes
„ præditi ſumus, per quos aut vitam
„ recipimus, aut mortem. De ipſis
„ enim dolens Propheta dicit; Mors
„ introiuit per feneſtras noſtras; quas
„ obſtruamus timore Dei, vt ad om-
„ nes huius Mundi formas, & voces,
„ ſurdi, & cœci ſimus. Sepiamus au-
„ res noſtras ſpinis contra linguam
„ nequam, & illecebroſa modulami-
„ na. Auertamus oculos noſtros ne
„ videant vanitatem. Obſtruamus,
„ & nares noſtras, ne de corruptione
„ huius ſeculi mortis odorem traha-
„ mus. Neque per guſtum illicem
„ gulæ morbus obrepat, & concupi-
„ ſcentiarum cibus continentiæ ro-
„ bur eneruet. Neque mollibus ve-
„ ſtimentis corpori blandiamur, ne
„ carneos tactus, & amplexus illici-
„ tos delicatis malè palpata tegmini-
„ bus membra deſcateant. Ità fiet, vt
„ in vnoquoque noſtrum omnibus
„ ſenſibus caſtis, & oleo doctrinæ fi-
„ delis imbutis, virgines omnes quin-
„ que ſapientes maneant; & oleo in
„ vaſis ſuis repoſito, expectatione ſe-
„ cuta quieſcant, facile mox parandi
„ facibus occurſuræ, cum primò ſu-
„ peruenientis ſponſi tumultu fuerint
„ excitatæ. Nam in tantis Eccleſiæ
„ Populis (in quibus non ſolū Virgi-
„ nes, quarum tamen innumera mul-
„ titudo eſt, ſed etiā maritatę, & viduę
„ diuerſis moribus cernūtur, & fructi-
„ bus) nō arbitror, alia ratione quinq;

tan-

„ tantùm Virgines fatuas, & quinque A
„ sapientes esse positas, nisi quia
„ vtraque persona est in totiùs Po-
„ puli vniuersitate diuersa. Numerus
„ autē ratione supradicta singillatim
„ in omnibus cōtinetur, vt vnusquis-
„ que in semetipso, aut stultas, aut
„ prudentes virgines habeat, pro
„ qualitate sensuum suorum, in qui-
„ bus prouidis sapiens, inertibus au-
„ tem stulta virginitas est. Nam ideò,
„ & fatuæ, sicut sapientes, in tanta B
„ sui dissimilitudine similiter Virgi-
„ nes appellantur; quia Virginibus
„ secundum carnem sterilitas in fe-
„ cunda, secundum spiritum fructuo-
„ sa charitas adest. Quare nec sapien-
„ tes sterilem Virginitatem habent,
„ quia sapientes sunt; nec stultæ fru-
„ ctuosam, quia stultæ sunt. Quarum
„ forma mihi videtur esse sapientia
„ Mundi, quæ stultitia est apud Deū,
„ & sapientia carnis, quæ verè Virgo C
„ stulta est, quia legi, & sapientiæ
„ Dei non est subiecta. Cuius lucerna
„ facilè extinguitur, quia non habet
„ oleum veritatis; vacua Spiritus San-
„ cti, quo oculus interior illumina-
„ tur, & impinguatur animæ caput,
„ quod est fides nostra, cui oleum est
„ doctrinę celestis infusio. Itaque oleū
„ peccatoris non impinguet caput
„ nostrum, neque muscæ morituræ
„ exterminent oleum suauitatis; vt D
„ semper nobis caput Christus sit, ne
„ vnquam deficiat oleum capiti no-
„ stro, quia vnguentum exinanitum
„ est nomen eius. Et tunc omnibus
„ perfecti sensibus erimus Virgines
„ sapientes, si in nobis manserit sa-
„ pientia Dei, per quam facta est
„ etiam in corpore fœcunda virgini-
tas. Floruit laudatus S. Paulinus in principio quinti seculi.

Secundus, quem exhibeo, Expositor est Eusebius Episcopus Gallicanus, cum Paulino synchronus, seù quiuis alius Sanctus. Is enim in homilia Natalis Virginum sic ait: Simile est Re-
„ gnum Cœlorum decem Virgini-
„ bus. Tale est, ac si diceret: similis
„ est Sancta Ecclesia cunctis Virgini-
„ bus. Et mox ipsam exponit simili-
„ tudinem, dicens: Quæ accipientes
„ lampades suas exierunt obuiam
„ sponso, & sponsæ. Quia enim quo-
„ tidiè morti appropinquamus, quo-
„ tidiè sponso, & sponsæ, idest Chri-
„ sto, & Ecclesiæ obuiam pergimus.
„ Hæc enim via simùl cum vita fini-
„ tur. Lampades autem accipimus, si
„ bona opera nobiscum ferimus.
„ Quod enim bona opera lampades
„ dicantur, ipse Dominus ostendit, di-
„ cens: sic luceat lux vestra coram
„ hominibus, vt videntes bona opera
„ vestra glorificent Patrem vestrum,
„ qui in Cœlis est.
„ Quinque autem ex eis erant fa-
„ tuæ, & quinque prudentes. Quod
„ quidem alios in Ecclesia vanos, &
„ fatuos, alios verò prudentes, & iu-
„ stos esse significat. Quamuis & in
„ ipso numero aliquid intelligi po-
„ test. Quinque enim sunt corporis
„ sensus, quibus aut prudentes, aut
„ fatui, omnes homines fiunt. In qui-
„ bus & ipsa eorum fatuitas manife-
„ stissimè declaratur.
„ Sed quinque fatuæ acceptis lam-
„ padibus non sumpserunt oleum se-
„ cum. Talis autem fuit Dina filia
„ Liæ, talesque significabat. Quę, dùm
„ Iacob moraretur iuxta Vrbem Sa-
„ lem, egressa est sicut fatua, & stul-
„ ta, vt videret mulieres regionis il-
lius,

„ lius, quam Sichem filius Emor A
„ Princeps illius terræ, rapuit, & dor-
„ miuit cum ea. Quid enim per Di-
„ nam filiam Liæ, nisi simplices,
„ quosque fatuos, & carnales intelli-
„ gimus, qui ad matris similitudi-
„ nem, lippitudinem in oculis haben-
„ tes, & lampades extinctas secum fe-
„ rentes, facillimè decipi possunt.
„ Quid verò per Sichem, qui hume-
„ rus interpretatur, nisi hæretici in-
„ telliguntur, qui quasi viri fortes B
„ quoscumque decipere possunt, in
„ suum gregem ferre conantur? Benè
„ autem Sichem filius Emor esse di-
„ citur, quoniam Emor asinus inter-
„ pretatur. Hic igitùr humerus, &
„ hic Asinus multos ferunt in perdi-
„ tionem æternam. Benè autem hæ-
„ retici asini, & filij dicuntur, quia
„ sanum, & rationabilem intellectum
„ non habent, magisque in magna, &
„ clamosa voce, quàm in aliqua ra- C
„ tione confidunt. Egreditur autem
„ Dina ad videndum mulieres regio-
„ nis illius, quando simplices, & fatui
„ viri ab Ecclesia separantur, quos
„ hæreticorum, & Philosophorum
„ dogmata audire delectat. Mox igi-
„ tùr capiuntur, & decipiuntur; & in
„ hæreticorum gregem transferun-
„ tur. Vndè fit, vt anima Deo de-
„ sponsata, scortum diaboli esse, inci-
„ piat. Talis igitùr fuit Dina, tales, & D
„ virgines fatuæ, quæ per eas signifi-
„ cantur. Sed non talis filia Iephte,
„ quæ sicut Virgo prudentissima
„ duobus mensibus Virginitatem
„ suam fleuisse narratur. Nota est hi-
„ storia. Iepte enim contrà hostes
„ pugnaturus, cum hostium exerci-
„ tum conspexisset, votum vouit Do-
„ mino, quia si ei de inimicis victo-
„ riam daret, quicquid ei domum
„ redeunti primum occurreret, ei im-
„ molaret. Commisit igitùr, & vicit
„ eique domum reuertenti filia eius
„ vnica cum choris, & tympanis pri-
„ ma occurrit. Cui ipse ait: Heù filia
„ mea decepisti me: & decepta es.
„ Aperui enim labia mea Domino,
„ & alitèr esse non poterit. Ad quem
„ ipsa: Si, inquit, labia tua Domino
„ aperuisti fac in me, sicut promisisti.
„ Sed vnum est, quod postulo, vt me
„ permittas flere Virginitatem meã
„ duobus mensibus, cum sodalibus
„ meis. Sed quid per Iepte, nisi viros
„ fideles, & catholicos intelligimus?
„ Isti quidem contrà suos pugnant
„ inimicos, quando vitia, & mali-
„ gnos spiritus, carnis voluptates, &
„ concupiscentias superant. Quid ve-
„ rò per vnicam eius filiam, nisi ani-
„ ma designatur, quæ quidem de ta-
„ li victoria plus omnibus gratula-
„ tur? Hæc autem melior est, & ad
„ Dei Imaginem, & similitudinem
„ facta est, digna vtique, quæ Deo
„ offeratur. Plangit itàque Virgini-
„ tatem suam, quia multum dolet,
„ quod plus non laborauit, quod non
„ maiorem fructum Domino obtu-
„ lit, & quod plures boni operis fi-
„ lios non genuerit. Virginitas enim
„ hoc in loco pro sterilitate ponitur,
„ quoniam quæ Virgo est, sterilem
„ quoque esse, necessè est. Steriles
„ enim in opprobrium erãt in Israel.
„ Considera igitùr, quàm prudens
„ Virgo ista fuerit, quæ non de mor-
„ te, sed de sterilitate potiùs lamen-
„ tatur. Iepte quoque prudentia
„ laudabilis est, qui ne votum fran-
„ geret, filiam interfecit. Qui enim
„ amat animam suam, perdet eam.

De

„ De voto autem Psalmista ait: Vo-
„ uete, & reddite Domino Deo ve-
„ stro omnes, qui in circuitu eius of-
„ fertis munera. Dedimus itàque for-
„ mam, atque exemplum, quæ Vir-
„ gines fatuæ sint, & quæ prudentes.
„ Sed quinque fatuæ acceptis lam-
„ padibus non sumpserunt oleum
„ secum. Prudentes verò acceperunt
„ oleum in vasis suis cum lampadi-
„ bus. Quasi enim sine oleo sunt fa-
„ tuarum lampades, quia etsi ad tem-
„ pus earum opera lucere videantur,
„ simùl tamen cum eis extinguuntur,
„ quoniam post hanc vitam nullum
„ lumen eis ministrant. At verò pru-
„ dentium lampades, quoniam syn-
„ cero pietatis, & misericordiæ oleo
„ nutriuntur, tunc clariùs lucent,
„ quando de his tenebris ad vitam
„ transferuntur. Ideòque Apostolus
„ ait: Nolite itàque ante tempus iu-
„ dicare, quoad vsque veniat Domi-
„ nus, qui & illuminabit abscondita
„ tenebrarum, & manifestabit consi-
„ lia cordium, & tunc laus erit vni-
„ cuique à Deo. Tunc enim, quæ
„ lampades habent oleum, & quæ
„ non habent omnibus reuelabitur.
„ Tunc fiet sermo, qui scriptus est de
„ Ecclesia, date ei de fructu manuum
„ suarum, & laudent eam in portis
„ opera eius.

Hæc de Virginibus satis; modo ad alias explicandas Imagines. Ab vtraque Virginum parte duæ apparent Ciuitates, in quarum portis, veluti lampades suspensæ pendent. Quid hæ Ciuitates, quidue lampades significent, disseruimus in nostro opere Vet. Monim. part. 1. cap. 21. ad quod Lectorem mittimus. In Arcus huius angulis duodecim ad dexteram, totidemque ad sinistram sunt viri, eleuatas habentes manus, velaminibus obductas, & veluti coronas in eisdem tenentes; quinã isti sint; procul dubio illos esse puto, de quibus in Apocalypsi cap. 4. disseritur; Nosque etiam aliquid exposuimus in citato nostro opere Vet. Monim. par. 1. cap. XXIV. ac etiam suprà cap. XXII. in Ecclesia Aquisgranensi, pariterque in Ecclesijs SS. Cosmæ, & Damiani, ac S. Praxedis; at ne ieiunus Lector remaneat, hìc aliquid breuitèr notare duco. Duodecim enim viri in parte vna existentes intelligendi sunt, qui in veteri lege sapientia, & virtute præ alijs illustres extitere; per reliquos autem duodecim, totidem alij veteris testamenti Heroes apud Iudeos celebres, nempè duodecim Patriarchæ; duodecim Tribuum Principes, & quasi capita. In nouo autem Testamento duodecim Apostoli, quos propter excellentem virtutem, & sapientiam, Christus Dominus duodecim Tribuum Israel Iudices olim futuros docuit. In hanc iuerunt sententiam diuinorum voluminum admodum studiosus S. Victorinus Pitabionensis Episcopus, & Martyr, S. Cypriano in tempore æqualis, vel paulò posterior, ac Andreas Archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ, qui floruit seculo quarto in eorum in Apocalypsim commentarijs. Et hæc de exteriori facie satis; Itaque ad interiorem, siuè Tribunam sermonem vertamus. In huius Arcus summitate hoc cernitur monogramma quod Paschalem indicat; subtus hoc manus è nubibus descendens, coronamque gemmatam perstringens: quid manus ista significet, disseruimus suprà in Ecclesia S. Agnetis, SS. Cosmæ,


I
C
C
B
✠ HAEC DOMVS AMPLA MICAT VARIIS FABRICATA METALLIS OLIM QVAE FVERAT CON
HANC AVLAM DÑI FORMANS FVNDAMINE CLARO AVREA GEMMATIS RESONAN
CAECILIAE ET SOCIIS RVTILAT HIC FLORE IVVENTVS QVAE PRIDEM IN CRYPTIS
60



TAB. LII
A·aureum
B·argenteum
C·croceum
D·uiridem
A
B
B
B
B
C
C
C
D
+ HAEC DOMVS AMPLA MICAT VARIIS FABRICATA METALLIS OLIM QVAE FVERAT CONFRACTA SVB TEMPORE PRISCO CONDIDIT IN MELIVS PASCALIS PRAESVL OPIMVS
HANC AVLAM DÑI FORMANS FVNDAMINE CLARO AVREA GEMMATIS RESONANT HAEC DINDIMA TEMPLI LAETVS AMORE DEI HIC CONIVXIT CORPORA SCA
CAECILIAE ET SOCIIS RVTILAT HIC FLORE IVVENTVS QVAE PRIDEM IN CRYPTIS PAVSABANT MEMBRA BEATA ROMA RESVLTAT OVANS SEMPER ORNATA PER AEVVM


S· IOhS·
S·IACOBUS


TAB LIII
S IACOBUS
S PETRUS

mæ, & Damiani, ac alibi; ideò curiosum Lectorem ad præcitata remittimus loca. Subtus manu, Christus, Mundi Saluator, veluti inter nubes stans aspicitur, sinistra volumen obuolutum tenens, dexteram eleuatam in benedicendi actu, ac pollicem cum annulari, græco more iunctum extendens. Dixi græco more, quoniam Græci in benedictione impartienda annularem digitum, cum pollice coniungunt, nos autem Latini, pollicem, indicem, & medium extendimus, ac reliquos duos digitos contrahimus. Per illos tres priores, Trinitatis symbolum designari asserimus; quare non solum ex præsentis figuræ actu, verùm etiam ex vestimentorum ornatibus, ipsisque imaginibus, quæ exiles sunt, à Græco Musiuario constructas fuisse deduco. Ex Leonis Ostiensis historia, quæ in Chronico Monasterij Casinen. habetur, quod notis illustrauit laudandæ semper memoriæ eruditissimus Præsul Angelus de Nuce, olim C ipsius Monasterij Abbas, deindè Archiepiscopus Rossanen. qui dum vixit mihi necessitudine coniũctus valdè fuit. Leo igitùr lib. 3. c. 28. scribit: Desiderium præfati Monasterij Abbatẽ, posteà Cardinalẽ Anno Dominicę Incarnationis 1066. nouam Ecclesiæ fabricã inchoasse in honorẽ S. Benedicti, & in c. 29. sequenti addit: *Legatos Constantinopolim ad locandos Artifices destinat peritos in arte* D *Musiuaria, & quadrataria, ex quibus alij Absidam, & Arcum, atque vestibulum Maioris Basilicæ Musiuo comerent, alij verò, totius Ecclesiæ pauimentum diuersorum lapidum varietate consternerent. Quarum artium tunc ei destinati Magistri, eiusque*

A *perfectionis extiterint, in eorum est operibus extimari; cum, & in Musiuo animatas ferè autumet se quisque figuras, & quæquæ virentia cernere, & in marmoribus omnigenum colorum flores pulchrà putet diuersitate vernare. Et quoniam artium istarum ingenium à quingentis, & vltrà iam annis Magistra latinitas intermiserat, & studio huius inspirante, & cooperante Deo nostro, hoc tempore recuperare* B *promeruit, ne sanè id vltra Italiæ deperiret, studuit vir totiùs prudentiæ, plerosque de Monasterij pueris diligentèr ijsdem artibus erudiri.*

Ad Saluatoris dexteram cernitur Sanctus Paulus dextera demissa; sinistram verò complicatam pectori admouens, qua librũ sustinet, vt doctrinæ symbolũ. Sequitur Virgo circumamicta pretiosarum vestium varietate, ac in capite coronam gemmatam, siue vnionibus interdistinctam, cum diademate gerens, quare ex his insignibus, procul dubio aliqua Sancta demonstrari videtur. Quid autem per istam Imaginem repræsentetur, me minimè fallere puto, si asseram, ostendere S. Agathã, de qua supra in Bibliothecarij narratione: quoniam Paschalis iam memoratus Pontifex, Ecclesiam hanc in honorem Sanctarum Virginum Agathæ, & Ceciliæ dedicauerat. Huic Sanctæ proximus est idem Beatissimus Pontifex Paschalis eiusdem Ecclesiæ Fundator, qui posteriori capitis in parte, quadratum habet, quod viuẽtis signum est, vt placet Alemanno de Lateranensibus Parietinis, & alijs, de quo quadrato disseruimus supra in cap. 19. 21. 23. 24. & 25.

Præ manibus Pontifex ædificium gestat, quo designat Ecclesiam hanc

à se nouitèr fuisse constructam; Quòd A sit Paschalis Pontifex, etiam abundè apposita sonant carmina, vbi eius legitur nomen. Ponè hunc Pontificem Palmę arbor assurgit, cuius in summitate auis radiato capite cernitur, per quam Phœnicem denotari autumo. De huiusmodi symbolo disseruimus etiam suprà cap. XXV. agentes de Ecclesia Sanctæ Praxedis, ibique etiam de arboribus Palmæ, & plura alibi notauimus; ideò illa re- B petere breuitatis gratiâ omittimus. Et hæc de dextera, modò de sinistra parte aliquid exponemus.

Iuxtà Saluatorem stat S. Petrus, Regni Cœlorum claues sinistra detinens; hunc Beatissimũ Apostolorum Principem sequitur S. Valerianus, iuxtà quem est Beata Virgo Cecilia, in eius vxorem tradita, pretiosis vestibus ornata, more sponsarum: ambo hi Sancti coronã, ni fallor, manu gestant, C atque coronam illã designare iudico, quã ob Dei amorem, sanguinem fundendo, promeruerunt, de quibus coronis etiã alibi, præsertìm Cap. XIV. diximus. Pauimentum varijs plantis interdistinctum est.

Hæ figuræ, scilicèt Sancti Pauli, ac S. Agathæ, Præsulisque Paschalis ad Saluatoris dexteram positæ ad sinistrã locandę erant; Quoniã sic positę Græcorum videtur confirmare sententiam, D qui læuam dextera nobiliorem esse, iudicant. Quamobrem hæc etiam coniectura Musiuarium fuisse Græcum, confirmat.

In altero segmento, ad huiusmodi figurarum pedes in medio Agnus diadematus se se offert, sexque oues ad dexteram, totidemque ad sinistram ipsum aspiciunt. Hieroglyphicum hoc alibi exposuimus, prę̨sertim in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani Cap. VII. vbi per Agnum Christum, per oues, Apostolos indicari diximus. Post oues tàm ad dexteram, quàm ad sinistram duæ Ciuitates cernuntur. Per ambas has Ciuitates Bethleem, & Hierusalem demonstrantur, de quibus etiam alibi, præsertim in nostra prima parte Vet. Monim. cap. 21. vbi de Ecclesia S. Sabinæ. Et hæc de laudata Ecclesia S. Ceciliæ dicta sint satis.

CAPVT XXVIII.

De Ecclesia S. Mariæ Nouæ Vrbis denuò constructa, picturisque illustrata anno 848.

INclytum extitit, eritque semper Templum hoc, tùm suam ob vetustatẽ, tùm etiam ob proximum celebrẽ Triumphalem Titi, & Vespasiani Arcum, Iudęorum sacra spolia expressa, in se affabrè insculpta, exhibentem. Hic posterioribus seculis, in rerum cognitionibus cæcutientibus, septem lucernarum denominatus fuit; eò quia in altera ex interioribus eiusdem Arcus parte, candelabrum illud aureum est expressum, quod in Hierosolymitano Templo septem ardentes sustinebat lucernas, ideò ab huiusmodi hieroglyphico nomen sortitus est. Huius Ecclesiæ antiquior extat mentio apud Bibliothecarium, in vita Ioannis VII. vbi: *Basilicam S. Dei Genitricis, quæ antiqua vocatur, picturis decorauit, illicque ambonem nouitèr fecit, & super eandem Ecclesiam Episcopium quantùm ad se constituere maluit, illicque Pontificatus sui tempus expleuit.*

Flo-

Floruit Ioannes anno 705. hisce verbis idem Bibliothecarius, de eadem Ecclesia prosequitur narrationem, in vita Leonis III. qui B. Petri Cathedram regebat, anno 795. *vt in Diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur antiqua; similiter fecit coronam ex argento pensantem libras* 13. Leo verò IV. qui vixit sequenti seculo, scilicet, anno 847. Hanc Ecclesiam à fundamentis infrà scriptus Leo Pontifex denuò extruxit, vt in Benedicti III. legitur vita apud eundem Bibliothecarium: *Fecit autem in Basilica B. Dei Genitricis, quæ vocatur antiqua, quam à fundamentis Leo Papa iuxtà viam sacram construxerat, vela de fundato cum periclysi de blattin numero* 13. Et paulò post: *Nec non, & in Basilica Beatæ Dei Genitricis, quæ olim antiqua vocabatur, nunc autem sita est iuxtà viam sacram, fecit vestem de Chrisoclauo habentem historiam Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi secundum Carnem*. Laudatus Bibliothecarius eiusdem Ecclesiæ historiam prosequitur in vita Nicolai I. qui floruit anno 858. ibi: *Ecclesiam autem Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ primitùs antiqua, nunc autem noua vocabatur, quam Dominus Leo IV. Papa à fundamentis construxerat, sed, & picturis eam decoratam iste Beatissimus Præsul pulchris, & varijs dipingi coloribus; augens decorem, & pulchritudinem, corde puro ornauit speciebus*. A prædictis clarè deducitur Bibliothecarij verbis, Ecclesiam hanc olim antiquam, pòstea Nouam fuisse appellatam. Quare sine fundamento affirmauit Baronius ad Annum 707. Ecclesiam Sanctæ Mariæ Transtyberim à Calisto Papa erectam, illam esse, quę antiqua denominabatur; cum in citata Vita Benedicti III. exprimatur: Basilicam antiquam illam esse, quæ erat iuxtà viam sacram; at sacra via erat in foro, ergò non erat in Transtyberina regione. Id ad eruendam è tenebris veritatem cum tanti viri reuerentia solummodò dictum sit. Hæc breuitèr de Ecclesiæ S. Mariç Nouæ constructione, Musiuique Operis ornatu; nam, sub picturæ nomine etiam Musiua venire, ambigendum minimè est, vt ex allatis inscriptionibus in alijs similibus Musiuis operibus, facilè argui potest; præsertim in Ecclesia S. Agnetis, de qua suprà. Modò ad Musiui Operis descriptionem, quod in eadem Ecclesia S. Mariæ Nouæ ad præsens conspicitur, quodque in Tab. LIII. & LIV. annexis referimus.

Musium hoc opus pulchritudine sua mirabile, in Ecclesię abside, constructum est, cuius in Arcus vertice est Monogramma, ☧ subtus cernitur inuerso ordine paruus mons, è cuius summitate exoriuntur, veluti duæ palmæ, in quarum medio Crux aurea; varij deindè sequuntur ornatus, variorũ semicirculorum formas præseferentes. In ampliori eorundem medio extenditur manus, veluti de Cœlo exiens, coronamque perstringens: sub hac expanditur magnum loculamentum, gemmatum continens solium, in quo Beatissima Virgo Maria, pretiosis circumamicta vestibus, duplicique corona caput redimitum habens sedet, ac Filium suum vnigenitum stantem læua sustinet, & amplectitur. Animaduersione digna videtur figura hæc ob vestium formam, quæ constructionis tempus absque vllo dubio redolet,

nam veſtis manicata, more Dalmata- A rum, Pictorem, ſiuè Muſiuarium Græcum fuiſſe clariſſimè demonſtrat, non ſolum ex ſupradicta veſte manicata, verùm etiam ex alijs figuris, quæ ſimplici modo, & abſque membrorum proportione delineatæ apparent: tale etiam deduco iudicium ex Philippo Baldinuccio in ſuo libro inſcripto *Notitie del Diſegno*: vbi plura, quæ ad figurarum delineationem, illiuſque progreſſum, tempora diſtinguendo, oſtendit; pulchrum ſanè, & delectabile opus pro Pictoribus, alijsq; Pictura delectantibus: Iu- B dicium hoc meum, quòd Pictor natione Græcus fuerit, confirmo ex ſupra citati Leonis Oſtienſis hiſtoria in antecedenti Capite indicata.

Ad eiuſdem Virginis dexteram in alio minori loculamento expreſſus eſt S. Iacobus, qui brachium dexterum pallio inuolutum, & manum ex eodem proſilientem extollit; ſiniſtra volumen ſemiapertum regit; in pallij fimbrijs eſt monogramma L. C ad pedes legitur *S. Iacobus*. Cumque in Apoſtolatu duo fuerint Iacobi, hunc illum repræſentare autumo, qui frater Domini erat, vt narrat Doctor Gentiũ Paulus in Epiſt. ad Galathas cap. 1. num. 18. ***Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum Fra-*** D ***trem Domini***. In altero loculamento ad ſiniſtram eſt B. Petrus ſimili forma repræſentatus: itidẽ ad dexterã eſt S. Ioannes, vtpotè ad ſiniſtram eſt S. Andreas, ambo iſti, volumina complicata geſtant. Ex quibus figuris Muſiuarium voluiſſe exprimere iudico; hos Apoſtolos ſanguine, vel amore Chriſto chariores; & hæc de præſenti Muſiuo, in Tribuna delineato dicta ſint ſatis: Modo ad aliud, quod in Arcus faſtigio olim apparebat nunc dirutum. Huius exemplar in ſchedis bon. mem. Ioannis Lucij adinueni: de quo celebri viro aliqua diximus in præfatione primæ partis Muſiui Operis Vet. Moniment. eiuſdem teſtando peculiarem diligentiam in indagandis, conſeruandiſq; priſcorum memorijs, cuique vehementer obſtrictus ſum, cum me pluries ad inquirendas antiquitates, illaſque examinandas incitauerit, quamobrem in ijs eundem Inſtructorem meum agnoſco, hoc ob grati animi teſtimonium, omnibus denuo notum eſſe volo. Quod animaduerſione dignum in hoc Arcu obſeruo eſt circulus, in cuius vertice, in medio cernitur græca Crux, in inferioribus angulis duæ ſunt literæ græcæ, ſcilicet A & Ω, quæ principium, & finem ſignificant, Deum nempè, qui omnium rerum principium, & finis eſt, vt Euangeliſta Ioannes notum facere voluit Apocalip. cap. 1. & num. 22. *Ego ſum* (inquit) *Alpha: & Omega, principium, & finis*. De hoc Hieroglyphico aliàs diximus. Tria ad dexteram, quatuor ad ſiniſtrã ſunt Candelabra, græco more expreſſa, quæ conferri poſſunt cum illis Eccleſiæ SS. Coſmæ, & Damiani, & latinam redolent formam.

Quatuor etiam Euangeliſtæ in huius Arcus ſummitate, in animalium ſpecie expreſſi ſunt: Obſeruatione dignum in hiſce figuris eſt, quod S. Ioannes loco libri, annulum pretioſum tenet, antiqua forma delineatum. Quid Pictor per annulum hunc oſtendere

dere voluerit, opinor, annulum illum A obsignatoriũ demonstrare, duxit, qui signaculum fidei dicitur à S. Eucherio Lugdunensi Episcopo in suo formarum spiritualium libro cap. 8. vbi allegat Euangelium Luc. cap. 15. vers. 22. Date annulum in manum eius. & Psal. 7. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

In arcus lateribus duo sunt Prophetę expansum volumen intus scriptum manibus extollentes, ad sini B stram intuentium cernitur Isaias Propheta, vt ex Epigraphe in volumine exarata deducitur: *ecce concipiet, & pariet filium*, quæ habetur cap. 7. & 14. eiusdem Prophetę. In apposita verò parte, scilicet ad dexteram, est Baruc. etiam Propheta, in cuius legitur volumine: *hic est Deus Noster, & non æstimabatur alius aduersus eum*, vt legitur apud eundem Baruc. cap. 36. Horum Prophetarum à tergo duæ C protenduntur Palmæ arbores, quas prisci fideles ad Iudæam indicandam appingere solebant, vt in nostro opere de Sac. Ædific. à Magno Constantino constructis cap. 4. & 10. explicauimus; supra quodlibet volumen adest Cauea cum aue inclusa: an duæ istæ Caueæ ad ornatum expressæ sint, vel potiùs ad aliquid edocendum, hoc numeris platonicis obscuriùs est, nihilominus nè omninò cęcutiat Lector D cũ Isychio Presbytero in Leuitico lib. 1. cap. 1. hoc lumen addere possumus. *Volatilia spiritus ostendere contemplationi vacantes. Terrenis omninò se non miscentes negotijs: quod & si forte necessitas exegerit, mox reuolant ad sublimia, & illo Euangelij iuuantur testimonio, quòd Dominus ait: considerate Volatilia cæli, quia non semi-* A *nant, neque metunt, & Pater vester Cælestis pascit illa*: Quamobrem hæc Isychij explanatio applicari posse videtur, viris Asceticis in Monasterio inclusis. Hæc de huiusmodi sacris symbolis, modò ad carmina, quæ in Arcus peripheria leguntur, Leonino metro exarata, scilicet.

Arbor sacra Crucis sit mundo semita Lucis.
Quam qui portauit nos Christus ad astra leuauit.

De his Leoninis Carminibus, & quonam tempore adinuenta fuerint disseruimus in nostro opere Vet. Monimentorum part. 1. cap. 3. ibique contra Pascasium, citatum à DuCange in suo Magno Glossario, asserentem, seculo 12. hæc carmina principium duxisse ostendimus, ipsa antiquiora redolere tempora, quod nunc his duobus Carminibus denuò confirmamus, addendo etiam Baronij auctoritatem, qui simile carmen in Bedæ sepulchro inscriptum ad ann. 731. sic refert.

Hac sunt in fossa Bedæ Venerabilis Ossa.

CAPVT XXIX.

De Ecclesia Capuana, eiusque Musiuo Opere circa finẽ octaui, vel principium seculi noni constructo.

DVm sub pręlo præsens gemebat opus, R.D. Erasmus Gattola celebris Cassinensis Monasterij Vicarius, nec non eiusdem Monasterij à Bibliotheca; bonarum literarum fautor, & cultor, exemplaris Musiui Operis, quod adhuc in inclyta Capuana Metropoli spectatur, mihi copiam fecit.

fecit. Mea interesse putabã, illud huic secundæ parti annectere, nec ad tertiam differre. Propterea de eodem sic differere duxi; nempe quòd inter conspicuas Italiæ Vrbes inclyta Capua enumeratur, quæ olim totiùs Campaniæ Felicis potentissima, Punicique Belli tempore Romanæ Vrbis æmula fuit; Meruitque à Romanæ eloquentiæ parente, altera Roma appellari. Vulturnus hanc abluit Amnis, & coronat. Romanorum postmodum Colonia facta; à Genserico Vandalorum Rege anno 455. vastata ab Ostrogottis dein occupata, & his expulsis à Narsete Iustiniani Imperatoris Duce, successiuè in pristinum restituta splendorem, iterumque à Saracenis distructa. Fuit tandē anno 840. à Longobardis sub triginta Ducibus deleta: Posteà à fundamentis in loco, qui dicitur Casulini à Lando Comite, & Landulpho Episcopo, cæterisque Fratribus Landulphi filijs Anno 856. nouitèr ædificata, eòque Episcopalis translata sedes. Ità scribunt Michael Monachus in suo Sanctuario Capuano, ac Vghellus in sua Italia Sacra; testaturque inscriptio in Musiui Operis calce, quod in Tab. LV. exhibemus.

Musiuum hoc ab Vgone Episcopo 34. in ordine, vt narrat laudatus Vghellus constructum fuit; quod contigisse deducitur circa finem noni seculi, vel decimi principium; nam dubium est, quo tempore Vgo Capuanam rexerit Ecclesiam. Vt autem eiusdem Musiui Operis constructionis tempus manifestè appareat, citati Monachi, non nulla ad examen reuocata dubia referre ducimus, quæ sic idem Auctor in Episcopis Capuanis pag. 229. exponit:

A B C D

„ Oto Episcopus Capuæ, & Ecclesiam, quam ille condiderat, consecrauit, vt ex eodem pariete cognosci potest.

„ Vgho Episcopus prædicti Otonis successor, musiuum ornatum addidit, vt eodem in loco notatur. Epigramma, quod in Musiuo est exaratum, ità se habet.

„ Condidit hanc Aulam Landulfus, & Oto beauit Mœnia, res morem vitreum dedit Vgo decorem.

„ Hinc Cęsari Costæ, & Cardinali Bellarminio visum est Templum à Landulfo Episcopo conditum, ab Otone Episcopo beatum, idest consecratum, & ab Vgone Episcopo Musiuo decoratum.

„ Hinc eisdem etiam visi sunt Landulfus, Oto, & Vgo fuisse tres primi, qui Capuæ nouæ Episcopatum continua successione tenuerunt. Profectò quamquam ex modò dictis apparet, Otonem non proximè succesisse Landulfo: tamen longa temporum spatia inter illos non intercesisse innuit hoc Epigramma. At cum, & primus, & secundus Episcopus vocatus sit Landulfus, vter Ecclesiam ædificauit? Primus absque dubio; nam ille in Episcopatu vixit annos viginti duos, & fuit etiam Comes, alter verò, & paucos annos in Episcopatu vixit, & continuò schismate à Landulfo exagitatus. Cœterum verbum illud *Beauit*. Ego vt mœnijs, rebus, & mori, æquè benè quadret expono *Beauit*, idest ditauit, & Landulfo conditori consecrationem attribuo: consecrationes enim illo sæculo differri non consueuerant.

Et







p. 166.

CONDIT HANCAULAM LANDULFUS ETO

TAB. LIV.















CONDIT HANC AULAM LANDULFUS ET TOTO BEAUIT MCENAS RES MOREM UITREUM DEDIT UGO DECOREM

A Et verbum condidit prolatum de Episcopo, consecrationis actum ab eo non excludit. Exemplum in vita Sancti Gebhardi Episcopi Cōstantiensis: ille Ecclesiam quandam fundauit, ædificauit, dotauit, dedicauit, & tamen Epigramma tumulo eius appositum de fundatione tantùm meminit illo versu:

Hancque Deo SedemTempli fundauit, & ædem.

B Certè significans illum, qui fundauit Ecclesiam, cętera peregisse ex nouo Surio 27. Augusti. Ditata verò meo iudicio sunt mœnia, quando in illis, vt mos erat antiquitus Beatorum Imagines depictæ fuerunt. De Otone extat aliud Epigramma in parua Porta Aquilonari.

Hoc pius Antistes Cleri lux Otto parauit,
Ecclesiæque pater res, mores amplificauit.

C Vt vides huius Epigrammatis sententia, cum sententia illius, quod est in musiuo, maximè congruit, in eo, quod pertinet ad Otonem. At inquies, quid Oto parauit? profectò hoc Epigramma à principio alibi fuisse oportet; nam si à principio illi portæ fuisset appositum, fuisset inscriptio multum inepta: fuit meo iudicio in porta sacrarij, idest Thesauri, vel sacristię, D quæ olim erant intra Ecclesiam, vbi nunc sunt schalæ Palatij, & Archiepiscopi Iordani Gaetani Cappella. Tandem, etsi vtrumque Epigrāma cōpositū est Rhythmo, seu vt vocant, carmine Leonino, & exaratum caractere Romano, non propterea Oto, & Vgo censendi sunt illi, quos infrà leges Archiepiscopos, tempore Normandorum, nam, & tempore Longobardorum vsitatum fuisse caracterem Romanum, demonstrat sepulcrum Athenolfi Primi Principis Capuæ, quod cernitur in atrio Cathedralis, & lapis quidam sepulchralis, sepulchri scilicèt Charæ filiæ Athenulfi II. qui intra Cathedralem in ala aquilonari non longè à porta in pauimento conspicitur: vsum quoque Leonini carminis antiquissimum esse constat ex Baronio, qui anno 538. refert epigramma positum à Villisario, & anno 752. refert poema quoddam Metelli Monachi Tegerensis, in quibus Rhythmi apparet forma. Musiuum autem ab aliquo Magistro Græco elaboratum ex eo credo, quòd ad pedes Beatissimę Virginis habentis Iesum in gremio, cernitur inscriptio græcè posita MP OV idest Miter Theu, latinè Mater Dei. Illo planè seculo Musiuarijs carebat Italia, vt patet ex Cass. Chron. lib. 3. cap. 9. ideòque adsciscere Græcos oportebat. Hæc Monachus.

Quidquid sit de Ecclesiæ consecratione, meum non est illam inquirere, sufficiat tamen illius constructionem indicasse, vt exinde musiui ornatum enarrare valeam. Musiuum igitur hoc de laudati Vgonis mandato confectum est, vt prædicta indicat inscriptio, in ipsius musiui sinistra parte exarata, & ipsius constructionis tempus confirmat eius delineatio, quę finem ix. siue principium x. seculi redolet, vt facilè argui potest, si eiusdem collatio fiat cum musiuo S. Mariæ

Nouæ

Nouæ supra relato, & sanè Spectator aperte fatebitur ambo musiua eundem Artificem Græcum habuisse auctorem. Hęc de tēpore Musiui operis; properemus modò ad figurarũ explicationẽ. In Arcus summitate est Christus Saluator noster, dexterâ benedictionẽ impartiens, sinistrâ sceptrũ extollens, cuius in summitate parua apparet Crux. In angulo huius Arcus, ac ad dexterã Saluatoris, stat Hieremias Propheta, vt ipsa patefacit inscriptio, qui dexterâ volumen reseratũ expandit inscriptum: *Fortissimè magnè, & potens Dominus exercituum nomen tibi.* Quæ ipsius Prophetæ sunt verba, vt cap. 40. ver. 10.

In apposito angulo alter adstat Propheta Isayas, qui itidem volumen sustinet, in quo hæc leguntur delineata: *Ecce Dominus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur.* Prolata verba ab eodem Isaya in cap. 32. n. 18. Hæc de exteriori Tribunæ parte; in interiori verò hæc cernuntur. In summitate expressus est Spiritus Sanctus in columbæ specie, & capite diademate triangulari redimito, quod Sanctissimæ Trinitatis symbolum est, differtque ab alijs Sanctorum sertis, quæ figuram præseferunt circularem, de quibus peculiariter egimus in nostro opere Vet. Monim. par. 1. c. 14. Huius triangularis formę aliud antiquius me vidisse minimè recordor. Subtus mediũ occupat locum Beatissima Virgo in pulcherrimo sedens solio, coronâ aureâ, ni fallor precincta, quæ in gremio vnigenitum filium Iesum Christum Dominum nostrum amplectitur, quo actu ostendit ipsam esse Dei Genitricem, contrà impiam Nestorij hæresim, de qua differuimus in cap. 22. dicti nostri Operis Vet. Monimentorum. Similem etiam exposuimus Imaginem supra in cap. xviii. occasione musiui operis S. Mariæ Nouæ. Christus verò eleuat dexteram benedictionem impartiens, sinistrâ baculum Cruce insignitum stringit. In solij limine hæc græca charactera MP ΘV expressa cernuntur, quæ abbreuiata sunt, ac latinè reddita, Mater Dei sonant, vt laudatus exponit Monachus.

Ad Virginis dexteram apparet S. Petrus, qui dextero indice Beatissimam Virginem ostendit, sinistrâ Cœlorum claues gestat. In Pallij fimbria monogramma L. appictum est, sandalibus pedes indutos exponit.

Ponè S. Petrum conspicitur S. Stephanus, vt ipsa epigraphes indicat, librumque, scilicet Euangeliorum, sinistrâ gerit: quæ in hac Imagine animaduersione digna sunt, nota, quòd Pictor non alba, sed Dalmatica vestitum expressit, scilicet veste alba manicata; item casula, quæ vsque ad vlnas se extendit, gemmisque circum collum ornata; alba verò, siue Dalmatica supra crura, ornatum habet fasciæ ad instar, quasi palmaris altitudinis, quod Ecclesiasticum ornamentũ hodie derelictum penitùs est.

In sinistra verò parte S. Paulus, qui dexteram eleuat, quasi in exclamandi actu, sinistrâ volumen semiapertum stringit, ac pedes sandalijs, vt S. Petrus pari modo vestitos demonstrat. Iuxtà hunc est B. Agnes veste deaurata, varijsque floribus interdistincta, sinistrâ coronam gemmatam gestitat, quæ Virginitatis est signum, totum hoc claudit musiuum sequens inscriptio à citato Monacho, etiam supra-

fuprarelata, quæ, vt in eodem iacet in annexa Tabula inſpici poteſt, nempe;

CONDIDIT HANC AVLAM LANDVLFVS, ET OTO BEAVIT MOENIA RES, MOREM VITREVM DEDIT VGO DECOREM.

CAPVT XXX.

De Cyclo Paſchali in antiquo marmore inſculpto, qui adhuc in Metropolitana Rauennatum Eccleſia ſpectatur.

RErum omnium Opifex Deus homini, quem ad imaginem, ſimilitudinemque ſuam creauerat, ſuę Diuinę proprietatis cómunicauit vmbram; nempe ſapientiam, quæ in Adę filios, poſteroſque ſuos varijs modis propagata eſt: Nam alij vnam; alij alteram didicere ſcientiam. Hoc ſciendi deſiderium à Protoplaſto infuſum, in Poſteros adeò creuit, vt non ſolùm rerum omnium cognitionem concupiſcerent, verum etiam cogniti conſeruationem exoptarent. Aſſertionis huius patentia ſunt teſtimonia: Sacra Scriptura, quæ Nobis ad ſalutem ianuam pandit, plura Nos edocet, quæ in obliuionis tenebris deliteſcerent, niſi fuiſſent illi, qui nobis, Poriſq; noſtris, Sacram Hiſtoriam Æternitati tradendam demandaſſent: Sethi filij, memorati Adami Protoplaſti nepotes, cum ex Aui prædictione, futurum, rerum omnium cognouiſſent interitum, duas extruxerunt columnas, quarum vna ex lateribus, altera ex lapidibus conſtructa erat, quòd ſi lateritia ab imbribus deſtrueretur, lapidea permanens, integram ſcripturam legentibus conſeruaret. Hiſce in columnis ea, quæ ad obſeruationem Siderum pertinerent à ſe inuenta inſcripſerunt, vt tradit Ioſephus lib. 1. Antiquitatum. Quarè Aſtronomię ſcientiam ab Hębreis ad Ægyptios, & Chaldæos, & deinde ad reliquos Aſtronomiæ cupidos manaſſe, credere par eſt. Plura alia æternę memoriæ in Ægypto adhuc extant marmoribus inſculptę tã in obeliſcis, quã in Piramydibus, quibus ſimiles adhuc plurimæ in Vrbe ſpectantur erectæ, vnde literata marmora nũcupari poſſunt. Æquè Rauennæ literatum marmor non incognitum, vt illa Ægyptia, ſed notum cum latinis caracteribus inſculptum vſque ad pręſentem cernitur diem, ibi pluribus à ſeculis poſitum, vnde bo: me. Fabius Guiniſius eiuſdem Ciuitatis Archiepiſcopus audiens, quòd Ego, ſacra Rauennatum muſiua deſcriberem, obſeruanſque marmor illud humi iacens, ac derelictum, ſacram in ſe continere memoriam, in ſacrario, ſiue camera Eccleſiæ Metropolitanæ Cartilogio denominata, illiuſque pariete poni voluit, vt illius perennaret memoria. Marmor hoc Canonem Paſchalem continet, inſcriptum ab illo viro cognominis quidem paruo, ſed virtutibus magno, nempe Dionyſio Exiguo, ſexti ſeculi principio adinuentum, quo certus modus inueniendi diem Paſchatis in futurum celebrandi exaratũ eſt; firmata certa temporis periodo. Voluit etiam laudatus Fabius Archiepiſcopus antiquam Epiſcopalem Cathedram varijs ſacriſq; hiſtorijs inſcriptam, ac in eiuſdem ſacrarij angulo neglectã, priſtino, quod ad fieri potuit,

tuit, splendori restitui; meque hortatus est, vt hanc inter alias ipsius Ciuitatis antiquas memorias, meis scriptis etiam notam facerem; Quòd fauente Deo, si mihi vitam prorogare placuerit, adimplere curabo. Modò ad Cyclum Paschalem redeo, vnde discesserat sermo.

Cum iàm secunda meorum veterum monimentorum pars typis commissa, ferè absoluta esset. Accessit ad me Dominus Philippus Bonarota, vir rerum antiquarum amantissimus, cuius eruditio propediem patens erit occasione nonnullorum antiquorum nummismatum, quæ Auctor iste explicat, quæque in celebri Eminentissimi Cardinalis Carpinei Cymelio asseruantur, mihique laudatus Philippus suasit, vt inter alias antiquas ipsius Ciuitatis Rauennatum memorias Cyclum hunc Paschalem annecterem. At cum iste nonullis ab hinc annis ab Eminentissimo Norisio, tum in sacris, cum in profanis eruditissimo, Reipublicæ literariæ admodùm celebri, in lucem (me supplice) emissus fuerit; illum iterum euulgare minimè necesse esse putabam, ne viderer refrigere crambem; præualuit tamen Amici consilium, vt antiquarũ, sacrarumque rerum Amantes erudito genio indulgere valerent; Primo igitur loco ipsius Cycli imaginem iuxtà prototypum, at verò in compendium redactam, delineatamque spectandam expono, illamque exhibeo in annexa Tabula LV. deinde eidem breuem addo explanationem, desumptam ab illa, quam sapientissimus laudatus Norisius ingenij sui splendoribus, aureo suo calamo, illustrique doctrina loquacia reddens marmora, explicatam publici iuris fecit: Cum Idem, nunc meritò purpuratæ dignitati donatus, inter alia ab eo edita præclara opera. Anno Christi 1689. Florentię Typis luculentum euulgauerit tractatum: *de Anno, & Epochis Syro--Macedonis*: Ibique fastos cõsulares Anonymi addiderit, cuius occasione ab eo conseruatum Cyclum annorũ LXXXIV animaduerterit, in sex tessaradecaëterides (idest Cyclos nouendecim annorum) à Latinis Patribus diuisas fuisse, ad demostrandas Neomenias Paschales (videlicet festiuitates in nouilunio) quas ex ætate lunæ descripta, singulis kalendis ineuntium annorum Cycli, deducebànt fuisse acceptum; ideò ad huiusmodi, Cycli Ecclesiastici rationẽ, exponendam animum cõuertit. Quapropter ostendit Cyclum hunc inuentum, vel reformatum saltem fuisse, illicò post Nicenam Synodum; Antiquatum verò circa Leonis, & Hilari Pontificum tempora, qui floruerunt circa medium tempus quinti Seculi. Ipsum porrò Cyclum Ecclesiasticum à Ciuili (qui Kalendis Ianuarij incoabatur) diuersum habuisse initium, nempe 31. Martij; sortitum quoque fuisse, alium annorum embolimæorum ordinem (nempe annorum intercalarium) Primum enim eiusdem annum fuisse embolimæum; sex verò embolimæos, qui in Cycli ciuilis tessaradecaëteride (nempe quartadecima) postrema collocantur in Ecclesiastici statim altera positos, primumque mensem, qui in anno ciuili plenus est, in Ecclesiastico cauum fuisse, quum verò qui de Paschate veterum Latinorum commentati sunt, Cyclus Lunaris ignoratur Latinorum, qui Cyclo Lunæ Alexandrinorum analogus sit,

Cyclus Paschalis
extat Rauennæ in Cam
Ecclesiæ Metropolita
Cartilogio denominata

XV
XIIII. LV.
AN·XGIII·XIIII·K·A
PA·PD·NO·AP
CY·II·P·A
K·AP
XIIII·ID·AP·
AN·XGIII·XIIII·ID·AP·
PA·PD·ID·AP·LV·XGI
CY·II·P·AS
III·ID·AP·LXV
Y·III·PAS
II·K·M
I·LV·

atque hinc à Dionyfio Exi...
lexandriorum Canones traducta fuit, nec non de Liliana reformatione pauca tradidit, vitium Cycli Anonimi, ... rem procertò ipſe Cyclus nacturus eſſet ſortem, ſi tantum Auctorum habuiſſet Interpretem. Quamobrem meis

Cyclus Paschalis annorum xcv. ab anno Æræ Christi DXXXII. ad annum DCXXVI.

extat Rauennæ in Camera Ecclesiæ Metropolitanæ Cartilogio denominata

Lapidis Diameter est palm. Roman. 4 1/4
Literæ sunt m. 4



sit, allegare soleant, atque ex illo deriuare controuersias, quæ post Concilium Nicænũ cum Latinis,& Orientalibus intercesserunt.Probat eruditissimus Norisius luculenter, omnia dissidia,quæ de Paschatis die in veterum Patrum monumentis commemorantur, ex ætatæ lunæ in Cyclo annorum LXXXIV prenotata fluxisse,dubiumque die Paschatis, inter Latinos, ac Orientales tunc fuisse redditum, cum in Cyclo Anonymi, Luna, in Kl.Ian: numerabatur XXVI cum feria VI itẽ Luna XXVIII cum diuersis ferijs concurrens; denique Luna XXX incidens prima anni die in Sabbatum, vel Dominicam. Id autem vt demonstret, breuiter ex Victorio Aquitano, Ecclesiæ Alexandrinæ, & Latinæ Canones Paschales refert, Clauiumque confutat, qui contendit in Ecclesia Latina Dominica XIV Lunam proximè sequenti Pascha semper celebratũ fuisse; cum tamen ex Victorio, alijsque manifestè constet, Latinos diù satis Luna XV Pascha nullum egisse, quia absurdum putabant, letum, ac festum diem Resurrectionis recolere ea Luna, qua Christus crucifixus, ac sepultus est. Ex hisce ergo conficit, Latinorum Cyclum Lunarem commentitium esse, veteribusque Scriptoribus planè ignotum, idque argumentis pluribus additis euincit. Tandem postquam de Victorij periodo, quę omnem quidem de mense Paschali discordiam inter Alexandrinam,Latinamque Ecclesiam extinxit, sed veteres tamen de die Paschali contentiones reliquit, atque hinc à Dionysio Exiguo ad Alexandriorum Canones traducta fuit, nec non de Liliana reformatione pauca tradidit, vitium Cycli Anonimi, quo scilicet Nouilunia Cęlestia olim pluribus diebus morabatur, deinde verò eadem peruertebat, corrigit, veramque ætatem Lunæ in singulis Kalendis Ianuarij ex Astronomicis Tabulis mediorum motuum designat, media Nouilunia mensis Decembris ab A. C. 294. ad exitum vsque Cycli in tabulam conijciendo. Veritatem autem sui calculi comprobat, dum eum exigit ad aliquot Eclipses à veteribus commemoratas. Additum est huic Disserationi Diagramma Cycli Ciuilis, & Ecclesiastici LXXXIV annorum in sex tesseredecaëterides distributi, cuius initium cadit in annum Christi 298. Ex hoc vnico intuitu statìm deprehenditur, quis Cyclus solaris, dato anno Christi respondeat; quotus sit annus datus in Cyclo LXXXIV annorum quæ feria competat Kalendis Ianuarij? Quænam ætas Lunæ eisdem Kalendis sit; in quem diem incidat Neomenia Paschalis,quis dies Paschatis festo sacer; quænam ætas Lunæ in festo Paschali? Quis anni ciuilis finis? quot dierum sit annus Lunaris Ciuilis? & tandem quot dies annus Ecclesiasticus comprehendat.

Hæc est huius dissertationis breuis summa, quam è typis illicò emissam clarissimus Auctor pro sua in me humanitate ad me miserat; Ego verò in mutuum literarum commercium supra memoratum Rauennatum Cyclum,quem tunc à R.P.Cæsare Pronti Rauenna transmissum acceperam, laudato Auctori communicare duxi, vt pro eius summa eruditione prioris sequendo vestigia, explicaret; maiorem procertò ipse Cyclus nacturus esset sortem, si tantum Auctorum habuisset Interpretem. Quamobrem

meis indulsit precibus, ac secundam A primæ annexit dissertationem, licèt tot tantæque difficultates in hoc argumento vndique ipsum circumstiterint, vt eisdem territus insisteret, cum non secus, ac in Labyrinto sinuosis circumquaque anfractibus implicaretur; parumque abesset, quin retro legens vestigia vix incoatum iter absolueret. Cyclus autem Paschalis, de quo nunc sermo est, Rauennæ (vt diximus) extat in Camera Ecclesiæ Me- B tropolitanæ Cartilogio denominata, lapidi incisus, cuius diameter est palm. Rom. 4. ÷ Literę verò minutorũ quatuor palmi Romani, illumque lineis, ac versibus ad prototypũ circumductis perhibent exscriptum. Comparent in eo quinque Enneadecaëterides (scilicet Cycli nouendecim annorum) in gyrum sigillatim circumductę, ex quibus LXXXXV annorum Cyclus conflatur, incoatus quippe ab A. C. 532 C desinens verò anno 626. In totius Rotæ circumferentia anni Cycli Lunaris eminent, hos sequuntur proximè anni Cycli Paschalis, ad quos in prima Enneadecaëteride notati sunt dies, in quibus omnibus quinque Cyclis Lunæ XIV Paschales contingunt, quæ eodem tenore per nouendecim Cyclorum quinque annos inuariatæ recurrunt. Succedunt Dies Paschatis, variæque in illis Lunæ ætates. Vlti- D mus tandem gyrus annorum communium, & intercalarium ordinem in Cyclo nouemdecennali designat. Numerus autem VI ob laterculi angustias non binis numeralibus Romanorum notis sed frequenter charactere G inferius tamen sinuato exprimitur, eo modo, quo numerus 6 in nummo, quem in libro de Epochy-syriæ clarissimus Auctor pag. 144 produxit. Hic ergo Cyclus vere Dionysianus, vt explicetur, sequentia proponit, Quamuis Nicæna Synodus diuturnis de Paschali festo ritè celebrando controuersijs finem imposuisse visa fuerit, cum Dominicæ Resurrectionis solennia post Lunam XIV Die Dominico, qui tum eandem, tum etiam Æquinotium XII Kal. Apr. affixum proximè consequeretur instauranda decreuisset, eiusdem etiam solennitatis quotannis indicendæ cura Alexandrino Patriarchæ commissa, quòd Ægyptij rerum Astonomicarũ peritia cęteros antecellere dicerentur; graues tamen etiam post illud decretũ contentiones inter Orientis, ac Occidentis Ecclesias erupisse. Latinos enìm vetustos in celebrando Paschate ritus, quibus cum Alexandrinorum canones pugnabant, deserere recusasse, ac cum Cyclo annorum VIII vterentur, quo non modo Lunationes verum etiam ferias perpetuo in orbem duci arbitrabantur, Alexãdrinorum Enneadecaëteridem recipere renuisse, quòd hæc feriarum apocatastatin (scilicet instaurationem) ne vtiquam in sui repetitioni reddebat; His ergo motum S. Cyrillum Alexandrinum, quo iactatam Latinis sui ipsorum Cycli in ferijs restituendis excellentiam, ad Enneadecaëteridem transferret, Cyclum annorum XCV excogitasse, qui ab A.C. 437. ad 531. quinque Enneadecaëterides continens non solum feriarum apocatastasin, sed lunationes quoque eodem, quo priùs ordine restitueret.

Victorium deinde Aquitanum, Cyclum annorum DXXXII vt Neomeniæ rectiùs indicarentur ad Latinorum

norum Canones partim deflexum contexuisse, nec sustulisse tamen controuersias omnes Paschales. Tandem *Dionysium Abbatem* cognomento *Exiguum*. Græcis, Latinisque literis exultum, à Petronio Episcopo rogatum, Cyclum Paschalem annorum XCV concinasse, Cyrilliano succedaneum, initium quippe capientem ab A.C.532, cum anno superiori ille exitum habuisset, Quia autem plerique Scriptores, inter quos enumeratur doctissimus Antonius Pagius in dissertatione de periodo Græco Romana, animaduersionibus in Baronij Annales præfixa, Dionysio tribuunt Cyclum DXXXII annorum, negatur, hoc ipsum cum Petauio ex Ceolfredi Abbatis Bedæque testimonijs contra secus sentientes disputatur, ac Bedæ tribuitur, quòd ab A.C.532. ad 1063 Cyclum digesserit, qui tamen in alienum planè locum operum ipsius fuerit reiectus. Sed cum mirum videri possit, quòd Dionysius Cyclo Victorij repudiato, systema 95 annorum conscripserit, in quo ob intercurrentes bissextos dies Pascha varia ratione occurrit, cum tamen facili negotio Victorij Periodum ad Alexandrinorum Canones, quos secutus est, redigere potuisset; Auctor noster censet, Dionysio, cum sibi proposuisset Paschalem Ecclesiæ Alexandrinæ methodum in Ecclesiam Romanam inuehere, consultum visum fuisse Cyrillianum Cyclum, qui hactenus in Ægypto, ob Auctoris famam, summa Religione seruatus fuerat, ad Latinos traducere, quibusdam regulis superadditis, quibus eiusdem Cycli defectus impediretur; respondetque ad illa, quæ ex Georgio Syncello de Aniano, Cycli 532 annorum apud Ægyptios auctore obijci possent. *In capite secundo de defectibus huius Cycli* agitur, quorum vnus ex Lunari anticipatione ortus, veteribusque ignotus, Cyclis ferè omnibus communis est, alter verò Enneacontapentaeteridi proprius, quod scilicet exactam feriarum apocatastasin non continet; vnde à Scaligero Cyrilliana methodus non vitiosa solum, sed & ridicula dicta fuit. Hunc tamen defectum non à Dionysio solum, sed à Cyrillo quoque perspectum imò ab vtroque correctum fuisse probatur. Quamuis autem Dionysianus Cyclus propositus publicè, & à multis Ecclesijs admissus fuerit, non defuisse tamen in Italia, Gallia, & Hibernia, qui eidem Victorianam periodum prætulerint ex varijs antiquis Auctoribus *capite tertio* eruditè demonstratur. Quibus ita propositis ad partes Cycli Rauennatis sigillatim explicandas Clarissimus Auctor descendit in *capite quarto*, primumque de Cyclo Lunari, (cuius primus annum cum quarto decemnouennali componitur) eiusque differentia à decemnouennali strictè sic dicto agens, Scaligeri lapsum in hoc argumento acriter reprehendit. Eruditè sanè probat Cyclum illum Lunarem methodi gratia ab illis ipsis, qui decemnouennali vtebantur inuentum fuisse, ad prodendam Lunæ ætatem, in Kalendis præcipuè Ianuarij, cum hoc nisi per longiores ambages, ex alterius Cycli decemnouennalis tenore cõsequi non possent, nequaquam verò originem suam debere Iulio Cæsari, sed Cyclum Lunarem, & Kalendarium Iulianum, quæ Gauricus (forsan alieno dolo deceptus) tamquam

ex

ex marmoreis tabulis Capitolinis exscripta venditarit, meram esse imposturam. *In capite quinto*, quod Cycli decemnouennalis Paschalis expositionem continet, notatur, methodum colligendi initij anni Paschalis à Luna XV ac eiusdem finem statuendi in Luna XIV qua vsus Dionysius, à nemine vnquam fuisse vsurpatam, cum tot tamen gentes annos Lunares habuerint. Et quia in anno Cyclum decemnouennalem inchoante constituendo, nec Dionysius, nec Bæda sibi constare videntur, sed modo aureo numero XIX modo I facere initium Enneadecaëteridis, sententia illorum explicatur, & contra Petauium defenditur; Clauius vero, qui veterem Cyclum ab aureo numero III cæpisse scribit, refellitur. Tandem cum S. Cyrillus annis sui Cycli epocham ab imperio Diocletiani addiderit. Dionysius autem Tyranni memoriam nomenque perosus, notam chronologicam conditi abs se parilis Cycli, ab æra Incarnationis Dominicæ, noua methodo desumpserit; Epoca quoque illa explicatur, ostendendo Dionysium Æram suam ab Incarnatione, seu Conceptione Verbi Diuini, quæ contigerit anno V. C. 754 Per. Iul. 4714 d. 25. Martij deduxisse, cum vulgaris nostra Epoca post Christum A. V. C. 75 Per. Iul. 4713 d. 15. Decembris natum, septem diebus omissis à Kalendis Ianuarij A. Per. Iul. 4714 initium cæperit, ita vt natalis Christi secundũ Dionysium fuerit die 25 Decembris primo anno ære vulgaris exeunte. Refertur quoque Epocam Incarnationis ad elapsum, vsque proximum seculum Galliam retinuisse, & hodie Florentinos quoque tra-A dito à maioribus ritu, eadem in publicis tabulis vti, ac pro anno à nato Christo 1691 numerare annum 1690 ab Incarnatione Domini; verum quia Epocam vulgarem Petauius, Langius, Ricciolus, alisque ad Bedam auctorem referunt, quasi illam ex hallucinatione quadam, prò Dionysiana Posteris venditarit, contra accusationem illam Venerabilis Præsul defenditur, & secus sentientes variorum errorum B compotes peraguntur. *Caput sextum saltum Lunæ* eodem die in Cyclo Dionysiano, & Alexandrino committi docet, cumque inseri à Dionysio primo Cyclo anno, quo deinceps factum, vt incoharit annum primum non vt alios, à XV sed XIV Luna, quæ tamen ad præcedentem annum pertinet, ne vnus primo anno dies deesse videretur. Id vero cum iam Brideferto, Bedæ scoliastæ incommo-C dum visum fuerit, Bedaque in Cycli finem illum saltum reijciendum arbitretur, in huius sententiam concedit Norisius, Petauiumque verba Dionysij, ac Bedæ non rectè explicantem aliquoties refellit. *Vltimum tandem caput* in annorum embolimæorum Enneadecaëteridis dispositione declaranda versatur, liquidoque ostendit, octauum annum apud veteres embolimæum fuisse, secus ac Clauius con-D tendit. Deinde progressionem Embolimæorum annorum, quæ perplexa admodum est in Cyclo Dionysiano, & Rauennate exponit, simulque docet, Bedam alia ratione menses intercalares disposuisse, nec reiecisse ad finem anni Lunaris, sed, duobus tantum exceptis, cæteros per varios anni menses, digessisse, quo factum, vt aurei numeri II & XIII in diem 2.

Decem-

Decembris perperam fuerint consti- A pati, qui tamen error in veteri Kalendario deinceps fuerit emendatus.

Hoc est de huiusmodi Rauennato lapide à tanto viro promulgatum iudicium; & cum ingenui hominis sit fateri, per quos profecerit; fatemur propterea ad has Norisianas dissertationes in summam redigendas nobis plurimum profuisse Acta Eruditorum Lypsiæ à peritissimo viro Ottone Menkenio, qui in eruditione, ac elo- B cutione latina, nulli nostri seculi secundus est, cuius sequitur vestigia M. Ioh. Burcardus eius natus, quibus nos adstrictos esse testamur, ob peculiarem amorem mihi confirmatum, tum in ipsis actibus frequenti nominis mei interpositione, tum etiam meo Nomini nuncupando dissertationem de Monogrammate ☧, quamobrem cum hæc publica sint, publicum etiam hoc testimonium edere volui, vt in- C notescat, quàm gratus meus sit animus, illisque à Patre Luminum, bonorumque omnium Datore Deo, mentis, & Corporis sanitatem ex toto precor corde, vt possimus tanquam vnanimes fratres in eodem Domino amplecti. Ac vt firmiùs, tenaciusq; hactenus dicta Lector benignus mente retinere valeat, breuissimè singula in annexa tabula LV contenta exponere aggrediar.

In prima enim linea sectionis quartæ, vbi legitur L V. PRI✝MVS scilicet Lunæ primus Lunaris Cyclus nouendecim annorum habet initium, cuius numeratio in sequentibus succedit sectionibus, siue Circuli portionibus, quod legentibus patens est; Cyclus iste à Latinis Aureus appellatur numerus, à Grecis verò Enneadecaëteridis illius principium in inclyto Nicæno Concilio habuisse scribit Magnus ille Insubrum Antistes, Ecclesiæque Catholicæ Doctor Ambrosius in ennaratione ad Episcopos per Æmiliam constitutos de Paschalis celebritatis ratione, vbi sic fatur -- Non
,, mediocris esse sapientiæ diem cele-
,, britatis definire Paschalis, scriptu-
,, ra diuina nos instruit, & traditio
,, maiorum, qui conuenientes ad Sy-
,, nodum Nicænam, inter illa fidei
,, vt vera, ità admiranda decreta,
,, etiam super celebritate memorata,
,, congregatis peritissimis calculandi
,, decem, & nouem annorum colle-
,, gere rationem, & quasi quemdam
,, constituere circulum, ex quo exem-
,, plum in annos reliquos gigneretur.
,, Hunc circulum Enneadecaëteridem
,, nuncuparunt, sequentes illud, quòd
,, non debeamus vana quadam opi-
,, nione super celebritate huiusmo-
,, di fluctuare; sed vera ratione com-
,, perta, ita omnium concurrat affe-
,, ctio, vt vna nocte vbique sacrifi-
,, ciũ pro Resurrectione Domini fra-
,, tres dilectissimi? eo vsque à vero
,, nos deuiare non conuenit, nec va-
,, go ingenio discrepare, vt quædam
,, necessitas celebratis huius omni-
,, bus sit imposita Christianis.

At longè ante Concilium Nicæ- D num habuit initium Aureus numerus, nam illius Inuentor fuit Meton Atheniensis, qui floruit Anno ab Vrbe condita 321. ac ante Christi Natiuitatem 430.

In 2. linea primæ sectionis pariter alius incipit Cyclus Nouendecim Annorum, quo indicatur dies Decimaquarta Lunæ post Æquinoctium vernum. Cum Pascha post d. diem cele-

brandum

brandum sit, vt edocet citato loco A laudatus Ambrosius, scribit enim plerosque Romanos Pontifices ipsum requisiuisse de huiusmodi Paschatis celebritate; Quare diffusè de hac re disserit, ac de die XIV lunæ 4. sic: *Duo autem sunt obseruanda in solennitate Paschæ quartadecima Luna, & primus mensis, qui dicitur nouorum &c.* Infra declarat qualis sit iste mensis, nempe: *Incipit autem mensis non secundum vulgarem vsum; sed secun-* B *dum consuetudinem Peritorum ab Æquinotio, qui Dies est duodecimo Kalendas Aprilis, & finitur vndecimo Kalendas Maij* Ac de d. die decima quarta Lunæ sic etiam ait: *si inciderit quartadecima luna mensis primi Die Dominica, quia neque Dominica ieiunare debemus, neque decimatertia Luna die Sabbati incidenter ieiunium soluere, quod maximè die Passionis est exhibendum: In alteram Ebdomadam* C *celebritas Paschæ est differenda siquidem sequitur quintadecima Luna, qua passus est Christus, & erit 2ª feria*: 3. *quoq; feria erit sextadecima Luna, qua Domini caro in sepulchro quieuit, cum quarta etiam feria septimadecima Luna futura sit, qua Dominus resurrexit*: Quamobrem laudatus Dionysius, vt clariùs certa appareret Dies, qua Pascha celebrandum esset, voluit propterea indicare Diem XIV Lunæ, qui D Pascha præcedebat; vtpote etiam Lunæ Diem, qui recurrebat in ipso Paschate, vt videre est in ipsa tabula.

In quarta Linea narratur Titulus Cycli secundi; In 5. notatus est Dies Paschatis, & Dies Lunæ in ipso Paschate.

In Lineis 6. 7. 8. signatur Titulus tertij Cycli, cum diebus Paschatis, & Lunæ.

In Lineis 9. 10.& 11. legitur Titulus quarti Cycli, cum Paschate, & Luna.

In Lineis 12. 13. 14. inscribitur quintus Cyclus, cum eiusdem Diebus Paschatis, & Lunæ.

In Linea 15. narratur Annus Communis, cum Literis C. M. & si intercalaris fuerit cum Literis E M. scilicet Embolimeus.

Et hæc de Dyonisiana Tabula; ac vt distinctè ipsa oculis etiam percipi possit, eamdem in Columnas disposuimus, ad illarum formam, quæ in Breuiariorum, atque Missalium initio apponi solet: vt in Tabula LVII.

In Prima Columna posuimus numerum sectionum, siue portionum Circuli. In 2. Aureum numerum, In 3. Annos currentes, In 4. Annos Lunares, cum Die 14. Lunæ præcedente Paschate, In 5. demonstratur ipsa Dies Paschatis.

In 6. quot Dies habeat Luna in ipso Paschate, in septima notati sunt Anni communes, ac bisestiles, siue intercalares: Communes cum literis C.M. Intercalares cum literis EB. scilicet Embolimei; in alijs Columnis distribuuntur alij Cycli eodem ordine, vt ipsa Tabula LVII. patefacit.

Pro huius capitis, de Paschatis tempore coronide, ac gratia illorum, qui talium cognitionum cupiditate tenentur, hìc addere censeo vetustam Tabulam marmoream, siue veterum lapidem, qui Vesunæ Petrocoriorum ingredienti Basilicam S. Stephani extabat, in quo Paschalis Canon insculptus erat, refertur à Grutero in suis Inscriptionibus Romanis, & in apendicula pag. 1061. n. 5. cuius etiam meminit Scaliger de emendatione tem-

temporum lib.7. pag.734. C. D. se- A quentibus verbis -- *Augustæ Vesunnæ Petrocoriorum vetustissimum splendorem testantur adhuc eximiæ priscorum monimentorum reliquiæ, Inscriptiones, Amphiteatrum, Turris admirandi operis, quæ sola retinet nomen Vesunnæ, tam claræ Vrbi multum quidem nocuit tempus, sed longe magis superiorum bellorum ciuilium licentia deformata fuit. Nam, & Episcopium, quod amplissimum erat, & Basilica* B *Stephani euersa sunt. In ea Basilica, in dextro latere Altaris maioris, insculptæ erant Dominicæ Paschales litera meliore, quam vt longè infra tempora Iustiniani descriptæ videantur. Titulus ita conceptus est: Hoc est Pascha sine termino, & num. .o. cum finierit à capite reincipe* MARCIVS XXIII. AP:XII| AP:III| AP:XXIIII |::: IIII | MR.XXXI| AP. XX |& ita deinceps. In fine autem MR. XXVII. AP. XVI |C MR.XXXI | AP.XX|, & mediocritèr docto apparet initium esse à Cyclo Paschali Dionysiano XVI, Solari XXIIII. Quare incipit, aut ab anno Christi XV, aut DXLVII Desinit autem in Anno CV, vel DCXXXVII. Cyclo Paschali XI, solari secundo. Interuallum anni XC, sed videtur deesse aliquot Dominicæ, non tamen, vt multo longior concepta periodus fuerit. Quare suspicor fuisse tantùm D periodum Cyrilli, aut Theophili annorum XCV, quod autem dicit, *Hoc est Pascha sine termino, & numero*; intellige, in eo laterculo, Dominicas tantum Paschales comprehendi, nulla mentione Termini Paschalis, & numeri aurei facta: Quod quidem verum est, & res ipsa indicat. Vt videre in annexa Tabula LVIII.

In hac referenda Gruteriana Tabula, nolui integrum de Paschate tractatum texere, sed solumodo coniecturis demonstrare, quòd Cyclus iste Paschalis antiquissimus sit, & forsitan omnes alios Paschales Cyclos, qui hactenus æditi sunt in antiquitate antecellat. Dixi coniecturis demonstrare, quoniam in re dubia, deficientibus validis probationibus, ad eas refugere necesse est; Vtinam adhuc præfata extaret Tabula, cuius exemplar cum Prototypo conferre curauissem. At Caluiniana hæresis Anno 1575. illam cum Ecclesia destruxit.

Primam igitur coniecturam, ad probandam Tabulæ antiquitatem, ex Diei Paschatis celebratione deduco; nam Victor Aquitanus, qui floruit quinto seculo, tres in vsu fuisse Cyclos pro Paschatis die celebrando scribit, nempè Vnum annor. LXXXIV. Alterum annor. XCV, Tertium verò CXX.

Quamobrem Gruterianam Tabulam magis congruere obseruo cum Cyclo XCV, quem sequitur Victorius, quam cum alijs duobus; Ideo illam in quinque Enneadecaëteridibus, scilicet Nouemdecemnalibus Cyclis diuisi, ad quorum complementum, quatuor tantùm desunt anni, quos ex Victorij Tabula suppleui; Eorumque desumpsi initium ab Anno Christi XCVIIII. eorumdemquè finis est in anno CXCIII. vt clarè demonstrat annexa Tabula sub num. LVIII. à me concinnata.

Secundam deduco coniecturam pro mea de Antiquitate coroboranda sententia, ex laudati Scaligeri verbis, qui scribit: Literas insculptas meliùs efformatas fuisse, quàm quæ tempore Iusti-

Iustiniani inscribebantur; Et cum post A Constantini ab Vrbe discessum cepissent bonæ artes, literæque in pessum ire, ideo conijcio Tabulæ literas anteriora Constantini tempora redolere. His admissis coniecturis, sequentia de luco.

Primo Ecclesiam Petragoricensem B in fine primi, aut principio secundi seculi erectam fuisse, quoniam præfata Tabula erat (vt laudatus Scaliger narrat) in dextero latere Altaris maioris, ac calculi ratio incipiebat ab Anno Christi XCIIII, ac desinebat in Annum CVCIII. vt ex collatione facta C cum Canone Victorij apparet; nec officit asserere, quod hęc Tabula perpetua erat, vt in ipsa met legitur, scilicet, *sine termino, & numero*, Atque adeo Posterioribus seculis applicari poterat; nam respondeo, quod Cyclus ille ità adamussim posterioribus seculis D non correspondet, si fiat collatio cum præfato Canone Victorij, & cum supra relata Tabula sub num. LVI. Dionisij Exigui; Vndè concludo, in primi seculi fine, aut principio secundi, vt demonstraui, Tabulam Gruterianam fuisse insculptam, sicque illorum retundere opinionem, qui negant in primis tribus Ecclesiæ seculis publicas fuisse Ecclesias.

Secundo pro maiori meæ sententię firmitate etiam deduco, quòd Ciuitas Vesunæ Petrocoriorum, nunc Petracoriensis vnam ex Antiquissimis Ciuitatibus Galliæ esse, vt docent Fratres Sammaritani in eorũ Gallia Christiana: quò nam verò tempore ipsa Ciuitas Christianam amplexata fuerit Religionem, ignorari; Constare nihilominus Ecclesiam in honorem Sancti Stephani Prothomartyris fuisse dedicatam; quamobrem ex huiusmodi dedicatione, etiam antiquitatem arguo, cum illis seculis Ecclesię Saluatoris, siue in honorem B. Mariæ Virginis dedicari solerent, quare ista forsan ex primis fuit, quæ in honorem Sanctorum dedicata extiterit. Fateor has, vt dixi esse meras coniecturas, & si quis meliores habet, deducat, & acquiescam. Dixi ad maiorem Dei gloriam, & Catholicæ Ecclesiæ exaltationem.

INDEX

Sectiones siue Portiones Circuli	Aureus Numerus	Anni currentes à Natiuitate Christi	Aureus Numerus indicans Diem XIV. Lunæ ante Pascha.	Paschatis Dies	Lunæ Dies in ipso Paschate	An. communes, & Embolimei.	es atis	Lunæ Dies in ipso Paschate.
Colña I.	Col. 2.	Col. 3.	Col. 4.	Col. 5.	Col. 6.	Col. 7.	18.	Col. 19.
1	XVII	532	Annus 1 Non. April. 5	III. Id. April. 11	XX	CM	April. 7	XVI
2	XVIII	533	An. 2 VIII. Kl. April. *Martij 25*	VI. Kl. April. *Martij 27*	XVI	CM	April. *ij 30*	*XIX*
3	XIX	534	An. 3 Idib. April. 13	XVI. Kl. Maij *Aprilis 16*	XVII	EB	l. Maij *is 19*	*XX*
4	Lunæ I	535	An. 4 IV. non. April. 2	VI. Id. April. 8	XX	CM	o. Apr. 4	*XVI*
5	II	536	An. 5 XI. Kl. April. *Martij 22*	X. Kl. April. 23	XV	CM	. April. *ij 26*	XVIII
6	III	537	An. 6 IV. Id. April. 10	Prid. Id. April. 12	XVI	EB	l. Maij *is 15*	*XIX*
7	IV	538	An. 7 III. Kl. April. *Martij 20*	Prid. Non. Apr. 4	XIX	CM	. April. *ij 31*	*XV*
8	V	539	An. 8 XIV. Kl. Maij *Aprilis 18*	VIII. Kl. Maij *Aprilis 24*	XX	EB	l. Maij *is 20*	*XVI*
9	VI	540	An. 9 VII. Id. April. 7	VI. Id. April. 8	XV	CM	. April 11	XVIII
10	VII	541	An. 10 VI. Kl. April. *Martij 27*	Prid. Kl. April. *Martij 31*	XVIII	CM	. April. 3	*XX*
11	VIII	542	An. 11 XVII. Kl. Maij *Aprilis 15*	XII. Kl. Maij *Aprilis 20*	XIX	EB	l. Maij *is 16*	*XV*
12	IX	543	An. 12 Prid. non. Apr. 4	Non. April. 5	XV	CM	. April. 8	XVIII
13	X	544	An. 13 IX. Kl. April. *Martij 24*	VI. Kl. April. *Martij 27*	XVII	CM	April. *tij 30*	*XX*
14	XI	545	An. 14 Prid. Id. April. 12	XVI Kl. Maij *Aprilis 16*	XVIII	EB	l. Maij *is 19*	*XXI*
15	XII	546	An. 15 Kl. April. 1	VI. Id. April. 8	XXI	CM	o. Apr. 4	XVII
16	XIII	547	An. 16 XII. Kl. April. *Martij 21*	IX. Kl. April. *Martij 24.*	XVII	CM	April. *tij 27*	XX
17	XIV	548	An. 17 V. Id. April. 9	Prid. Id. April. 12	XVII	EB	l. Maij *is 15*	XX
18	XV	549	An. 18 IIII. Kl. April. *Martij 29*	Prid. Non. Apr. 4	XX	CM	. April. *ij 31*	XVI
19	XVI	550	An. 19 XV. Kl. Maij *Aprilis 17*	VIII. Kl. Maij *Aprilis 24*	XXI	EB	l. Maij *is 20*	XVII

TAB. LVI

			CYCLVS I.				CYCLVS II.			CYCLVS III.			CYCLVS IV.			CYCLVS V.		
Sectiones siue Portiones Circuli	Aureus Numerus	Anni currentes à Natiuitate Christi	Aureus Numerus indicans Diem XIV. Lunæ ante Pascha.	Paschatis Dies	Lunæ Dies in ipso Paschate	An. communes, & Embolismei.	Anni	Dies Paschatis	Lunæ Dies in ipso Paschate.	Anni	Dies Paschatis.	Lunæ Dies in ipso Paschate	Anni	Dies Paschatis.	Lunæ Dies in ipso Paschate	Anni	Dies Paschatis	Lunæ Dies in ipso Paschate.
Colña I.	Col. 2.	Col. 3.	Col. 4.	Col. 5.	Col. 6.	Col. 7.	Col. 8	Col: 9.	Col. 10.	Col. 11.	Col. 12.	Col. 13.	Col. 14.	Col. 15.	Col. 16.	Col. 17	Col. 18.	Col. 19.
1	XVII	532	Annus 1 Non. April. 5	III. Id. April. 11	XX	CM	551	V. Id. April. 9	XVIII	570	VIII. Id. April. 6	XV	589	IV. Id. April. 10	XIX	608	VII. Id. April. 7	XVI
2	XVIII	533	An. 2 VIII. Kl. April. *Martij 25*	VI. Kl. April. *Martij 27*	XVI	CM	552	Prid. Kl. April. *Martij 31*	XX	571	IV. Kl. April. *Martij 29*	XVIII	590	VII. Kl. April. *Martij 26*	XV	609	III. Kl. April. *Martij 30*	XIX
3	XIX	534	An. 3 Idib. April. 13	XVI. Kl. Maij *Aprilis 16*	XVII	EB	553	XII. Kl. Maij *Aprilis 20.*	XXI	572	XV. Kl. Maij *Aprilis 17*	XVIII	591	VII. Kl. Maij *Aprilis 25*	XVI	610	XIII. Kl. Maij *Aprilis 19*	XX
4	Lunæ I	535	An. 4 IV. non. April. 2	VI. Id. April. 8	XX	CM	554	Non. April. 5	XVII.	573	V. Id. April. 9	XXI	592	VIII. Id. April. 6	XVIII	611	Prid. No. Apr 4	XVI
5	II	536	An. 5 XI. Kl. April. *Martij 22*	X. Kl. April. 23	XV	CM	555	V. Kl. April. *Martij 28*	XX	574	VIII. Kl. April. *Martij 25*	XVII	593	IV. Kl. April. *Martij 29*	XXI	612	VII. Kl. April. *Martij 26*	XVIII
6	III	537	An. 6 IV. Id. April. 10	Prid. Id. April. 12	XVI	EB	556	XVI. Kl. Maij *Aprilis 16*	XX	575	XVIII. Kl. Maij *Aprilis 14*	XVIII	594	III. Id. April. 11	XV	613	XVII. Kl. Maij *Aprilis 15*	XIX
7	IV	538	An. 7 III. Kl. April. *Martij 20*	Prid. Non. Apr. 4	XIX	CM	557	Kl. April. 1	XVI	576	Non. April. 5	XX	595	III. Non. April. 3	XVIII	614	Prid. Kl. April *Martij 31*	XV
8	V	539	An. 8 XIV. Kl. Maij *Aprilis 18*	VIII. Kl. Maij *Aprilis 24*	XX	EB	558	XI. Kl. Maij *Aprilis 21*	XVII	577	VII. Kl. Maij *Aprilis 25*	XXI	596	X. Kl. Maij *Aprilis 22*	XVIII	615	XII. Kl. Maij *Aprilis 20*	XVI
9	VI	540	An. 9 VII. Id. April. 7	VI. Id. April. 8	XV	CM	559	Id. April. 13	XX	578	IV. Id. April. 10	XVII	597	XVIII. Kl. Maij *Aprilis 14*	XXI	616	III. Id. April 11	XVIII
10	VII	541	An. 10 VI. Kl. April. *Martij 27*	Prid. Kl. April. *Martij 31*	XVIII	CM	560	V. Kl. April. *Martij 28*	XV	579	IV. Non. April. 2	XX	598	III. Kl. April. *Martij 30*	XVII	617	III. Non. April. 3	XX
11	VIII	542	An. 11 XVII. Kl. Maij *Aprilis 15*	XII. Kl. Maij *Aprilis 20*	XIX	EB	561	XV. Kl. Maij *Aprilis 17*	XVI	580	XI. Kl. Maij *Aprilis 21*	XX	599	XIII. Kl. Maij *Aprilis 19*	XVIII	618	XVI. Kl. Maij *Aprilis 16*	XV
12	IX	543	An. 12 Prid. non. Apr. 4	Non. April. 5	XV	CM	562	V. Id. April. 9	XIX	581	VIII. Id. April. 6	XVII	600	IV. Id. April. 10	XX	619	VI. Id. April. 8	XVIII
13	X	544	An. 13 IX. Kl. April. *Martij 24*	VI. Kl. April. *Martij 27*	XVII	CM	563	VIII. Kl. April. *Martij 15*	XV	582	IV. Kl. April. *Martij 29*	XIX	601	VII. Kl. April. *Martij 26*	XVI	620	III. Kl. April. *Martij 30*	XX
14	XI	545	An. 14 Prid. Id. April. 12	XVI Kl. Maij *Aprilis 16*	XVIII	EB	564	Id. April. 13	XV	583	XIV. Kal. Maij *Aprilis 18*	XX	602	XVII. Kl. Maij *Aprilis 15*	XVII	621	XIII. Kl. Maij *Aprilis 19*	XXI
15	XII	546	An. 15 Kl. April. 1	VI. Id. April. 8	XXI	CM	565	Non. April. 5	XVIII	584	IV. Non. April. 2	XV	603	VII. Id. April. 7	XX	622	Prid. No. Apr. 4	XVII
16	XIII	547	An. 16 XII. Kl. April. *Martij 21*	IX. Kl. April. *Martij 24.*	XVII	CM	566	V. Kl. April. *Martij 18*	XXI	585	VIII. Kl. April. *Martij 25*	XVIII	604	XI. Kl. April. *Martij 22*	XV	623	VI. Kl. April. *Martij 27*	XX
17	XIV	548	An. 17 V. Id. April. 9	Prid. Id. April. 12	XVII	EB	567	IV. Id. April. 10	XV	586	XVIII. Kl. Maij *Aprilis 14*	XIX	605	III. Id April. 11	XVI	624	XVII. Kl. Maij *Aprilis 15*	XX
18	XV	549	An. 18 IIII. Kl. April. *Martij 29*	Prid. Non. Apr. 4	XX	CM	568	Kl. April. 1	XVII	587	III. Kl. April. *Martij 30*	XV	606	III. Non. April. 3	XIX	625	Prid. Kl. April *Martij 31*	XVI
19	XVI	550	An. 19 XV. Kl. Maij *Aprilis 17*	VIII. Kl. Maij *Aprilis 24*	XXI	EB	569	XI. Kl. Maij *Aprilis 21*	XVIII	588	XIV. Kl. Maij *Aprilis 18*	XV	607	IX. Kl. Maij *Aprilis 23*	XX	626	XII. Kl Maij *Aprilis 20*	XVII

CYCLVS I. CYCLVS II. CYCLVS

LVNÆ CYCLVS iuxtà ALEXANDRINVM	ANNI à CHRISTI Natiuitate.	PASCHA, quo Menſe, & Die CELEBRATVM.	ANNI à CHRISTI Natiuitate.	PASCHA, quo Menſe, & Die CELEBRATVM	ANNI à CHRISTI Natiuitate.	PASC[HA,] quo Me[nſe,] & Di[e] CELEBRA[TVM]
4	99	MARTIVS XXIII	118	MR. XXVIII	137	MR. XXV
5	100	AP. XII.	119	AP. XVII	138	AP. XIIII
6	101	AP. IIII	120	AP. I	139	AP. VI
7	102	[1] AP. XXIIII	121	AP. XXI	140	AP. XXV
8	103	[2] AP. VIIII	122	AP. XIII	141	AP. X
9	104	MR XXXI	123	MR. XXVIIII	142	AP. II
10	105	AP. XX	124	AP. XVII	143	AP. XXII
11	106	AP. V	125	AP. VIIII	144	AP. VI
12	107	MR. XXVIII	126	MR. XXV	145	[7] MR. XXVI
13	108	AP. XVI	127	AP. XIIII	146	AP. XVIII
14	109	AP. VIII	128	AP. V	147	AP. IIII
15	110	MR. XXIIII	129	MR. XXVIII	148	MR. XXVI
16	111	AP. XIII	130	AP. X	149	AP. XIIII
17	112	AP. IIII	131	AP. II	150	MR. XXX
18	113	[3] AP. XXIIII	132	AP. XXI	151	AP. XVIII
19	114	AP. VIIII	133	[6] AP. VI	152	AP. X
1	115	[4] AP. I	134	MAR. XXVIIII	153	MR. XXVI
2	116	AP. XX	135	AP. XVIII	154	AP. XV
3	117	AP. V	136	AP. VIIII	155	AP. VII

ſchæ
II. Kl.
: mar-
Syno-
Aprilis
rologi
tùs in-
m ob-
XXV-
ritatis
deeſt,
vt di-
m Ale-
XXIV.
cadit
la cal-
eles ſe-
ſupple-
ex Vi-
l.Apri-
una per
Litera
correc-
XII. Kl.
tam La-
ſequi-
Canon
ia tran-
arbitror
IIII. ap-
e XXIX
ii cum
lemento
a Tabu-
tis cara-

CYCLVS I. CYCLVS II. CYCLVS III. CYCLVS IV. CYCLVS V.

ANNI CYCLVS iuxta ALEXANDRINVM	ANNI a CHRISTI Natiuitate.	PASCHA, quo Mense, & Die CELEBRATVM.	ANNI à CHRISTI Natiuitate.	PASCHA, quo Mense, & Die CELEBRATVM	ANNI à CHRISTI Natiuitate.	PASCHA, quo Mense, & Die CELEBRATVM	ANNI a CHRISTI Natiuitate.	PASCHA, quo Mense, & Die CELEBRATVM	ANNI à CHRISTI Natiuitate.	PASCHA, quo Mense, & Die CELEBRATVM
4	99	MARTIVS XXIII	118	MR. XXVIII	137	MR. XXV	156	MR. XXVIIII	175	MR. XXVII
5	100	AP. XII.	119	AP. XVII	138	AP. XIIII	157	AP. XI	176	AP. XV
6	101	AP. IIII	120	AP. I	139	AP. VI	158	AP. III	177	MR. XXXI
7	102	[1] AP. XXIIII	121	AP. XXI	140	AP. XXV	159	AP. XXIII	178	AP. XX
8	103	[2] AP. VIIII	122	AP. XIII	141	AP. X	160	AP. XIIII	179	AP. XII
9	104	MR XXXI	123	MR. XXVIIII	142	AP. II	161	MR. XXX	180	AP. III
10	105	AP. XX	124	AP. XVII	143	AP. XXII	162	AP. XVIIII	181	AP. XVI
11	106	AP. V	125	AP. VIIII	144	AP. VI	163	AP. XI	182	AP. VIII
12	107	MR. XXVIII	126	MR. XXV	145	[7] MR. XXVIIII	164	MR. XXVI	183	MR. XXXI
13	108	AP. XVI	127	AP. XIIII	146	AP. XVIII	165	AP. XV	184	AP. XVIIII
14	109	AP. VIII	128	AP. V	147	AP. IIII	166	AP. VII	185	AP. IIII
15	110	MR. XXIIII	129	MR. XXVIII	148	MR. XXV	167	MR. XXV	186	MR. XXVII
16	111	AP. XIII	130	AP. X	149	AP. XIIII	168	AP. XI	187	AP. XVI
17	112	AP. IIII	131	AP. II	150	MR. XXX	169	AP. III	188	[8] MR. XXXI
18	113	[3] AP. XXIIII	132	AP. XXI	151	AP. XVIIII	170	AP. XXIII	189	AP. XX
19	114	AP. VIIII	133	[6] AP. VI	152	AP. X	171	AP. VIII	190	[9] AP. XII
1	115	[4] AP. I	134	MAR. XXVIIII	153	MR. XXVI	172	MR. XXX	191	MR. XXVIII.
2	116	AP. XX	135	AP. XVIII	154	AP. XV	173	AP. XVIIII	192	AP. XVI
3	117	AP. V	136	AP. VIIII	155	AP. VII	174	AP. IIII	193	AP. VIII.

Num. 1. Discrepat à hoc D. Bucherius, nam Pascha celebratam [illegible] anno [illegible] fuisse scribit, VIII. Kl. Aprilis (scilicet XXV. Martij) ac in Tabulæ margine notat, quod Latini primi generis ante Synodum Nicænam fortè indixissent XIII. Kl. Aprilis (idest XX: Martij) Victorius tamèn in fine Prologi sui notat, numquam eo die celebratum pœnitùs inueniri. Hinc enim est illius casus. Quamobrem obseruo Tabulam hanc Gruterianam non diem XXV. Martij indicare; sed XXIV. Aprilis, cuius veritatis non est locus isti examini.

Num. 2. Quod in laudata Gruteriana inscriptione deest, vt indicant Puncta, minoribus caratheribus, vt dignoscatur, suppleuimus.

Num. 3. In hoc anno secundum Lunarem Cyclum Alexandrinum cadit Dies Paschatis in dicta die XXIV. Aprilis; secundum verò Victorij Canonem cadit Die XVII. eiusdem Mensis, quare hæc Tabula calculandi rationem Alexandrinorum Prisci fideles sequebantur.

Num. 4. Lacunam hanc (videlicet numerum) suppleui cum minusculo caractere, desumpta ratione ex Victorij Canone, vbi indicatur Dies Paschatis Kl. Aprilis, scilicet I. eiusdem.

Num. 5. Pro certo habeo Literam R. in hac Lacuna per errorem fuisse positam cum illius loco Litera P ponenda esset, nàm numeri, scilicet XX. corresspondent cum Canone Victorij, vbi legitur XII. Kl. Maij, videlicet Aprilis XX. ac tali forma dictam Lacunam suppleuimus.

Num. 6. Hoc in anno laudata Tabula Gruteriana sequitur Cyclum Alexandrinum, Victorij verò Canon indicat Pascha Die XVII. Aprilis.

Num. 7. Vt clariùs appareat, me fideliter omnia transcripsisse, in hoc numero à Typographo, vt arbitror cum errore additus fuit numerus I qui loco IIII. apposuit IIII. quarè Pascha fuit celebratum die XXIX

Num. 8. In hoc numero deficit Carather I, qui cum alijs constituit numerum XXXI.

Num. 9. Quatuor sequentes Anni, pro complemento Quinti Cycli, deficiunt in præfata Gruteriana Tabula, quos ex laudato Canone Victorij minutis caracteribus [illegible] suppleui.



INDEX RERVM MEMORABILIVM.

IN HOC OPERE CONTENTARVM

Vbi primus Numerus Paginam designat; Secundus Columnam denotat; Literæ verò A B C D *Locum ostendunt*.

A

B

Bartho-

C

Aquis-

D

Dedi-

E

F

M

T

APPENDIX
AD
JOANNIS CIAMPINI
VETERUM MONIMENTORUM
PRIMAM PARTEM.

PAg. 9. colum. 2. Seſſorianam Baſilicam BENEDICTUS XIV., qui ſumma cum laude Apoſtolatûs apicem tenet, quòd adhuc Cardinalis ejuſdem Baſilicæ Titulo decoratus fuerat, reſtaurandam, ac penè renovandam tam interiùs, quàm exteriùs, novæ Porticûs, Frontis, Abſidis, Tholi conſtructione, mandavit. Quæcunque beneficentiâ Pontificis adjecta ſunt, marmorea ſupra principem Portam in interna Templi parte adpoſita Inſcriptio memorat:

BASILICAM SESSORIANAM
A CONSTANTINO MAXIMO MATREQVE HELENA
A FVNDAMENTIS ERECTAM
ATQVE A LVCIO II. BONONIENSI RESTAVRATAM
BENEDICTVS XIV. PONT. OPT. MAX.
IAM EANDEM IN TITVLVM HABITAM
FRONTE PORTICV ABSIDE THOLO EXTRVCTIS
VIAQVE AD LATERANVM COMPLANATIS VNDIQVE MACERIIS
AGGERIBVSQVE EXCITATIS
INGENTI LIBERALITATE
ORNAVIT RESTAVRAVIT DITAVITQVE
ANNO REP. SAL. MDCCXLIV. PONT. IV.

In Baſilicæ fronte hæc leguntur.

BENEDICTVS XIV. P. M. IN HONOREM S. CRVCIS PONT. SVI ANNO IV.

Hac verò reſtauratione, ut novæ Architecturæ inſerviretur, de XII. magnis columnis quatuor occultatæ ſunt, duæ ſcilicet primæ, totidemque poſtremæ, quas Architectus muro penitùs obduxit, reclamantibus vetuſtatis cultoribus, qui hujuſcemodi monumenta auro argentoque contra æſtimant, ut ait R. P. Joannes Marangonius in Italico Opere, cui Titulus: *Delle Coſe Gentileſche, traſferite in uſo delle Chieſe*, pag. 338.

Pag. 12. col. 1. Pervetuſtum hoc Templum S. Clementis in Monte Cœlio, a Clemente XI.P.M. inſtauratum, ornatumque nos docet ſequens Inſcriptio, quæ ſupra Portam principem introrsùm viſitur:

ANTIQVISSIMAM HANC ECCLESIAM
QVAE PENE SOLA AEVI DAMNIS INVICTA
PRISCARVM VRBIS BASILICARVM
FORMAM ADHVC SERVAT
EO IPSO IN LOCO AEDIFICATAM
AC IN TITVLVM S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS ERECTAM
VBI S. CLEMENTIS PAPAE ET MART. PATERNA DOMVS
FVISSE CREDITVR
A S. GREGORIO MAGNO GEMINIS HIC HABITIS HOMILYS
ET SACRA QVADRAGESIMALI STATIONE
CONDECORATAM
CLEMENS XI. PONT. MAX.
IPSO ANNIVERSARIAE CELEBRITATIS EIVSDEM S. CLEMENTIS DIE
AD CATHOLICAE ECCLESIAE REGIMEN ASSVMPTVS
IN ARGVMENTVM PRAECIPVI SVI IN EVM CVLTVS
INSTAVRAVIT ORNAVITQVE
ANNO SAL. MDCCXV. PONTIF. XV.

Alia Epigraphe legitur extra Templum, ſupra lateralem Portam.

CLEMENS XI. PONT. MAX.
RESTAVRAVIT ET ORNAVIT
ANNO MDCCXIX
PONT. SVI XIX.

Pag. 195. BENEDICTI XIV. Summi Pontificis eximiâ, quâ erga Dei parentem Virginem excellit, pietate his temporibus factum eſt, ut dejectâ collabente jam veteri Porticu Liberianæ Baſilicæ, ab Eugenio III. olim reſtauratâ, altera, magnificentiſſimaque conſtrueretur, novâque fronte decoraretur, in qua ſic legitur:

BENEDICTVS XIV. P. M. A FVNDAMENT. EREX.

In nova verò Porticu ſupra principem Portam ſequentia inciſa ſunt verba.

BENE-

BENEDICTVS XIV. PONT. MAX.
LIBERIANI TEMPLI FRONTEM ET PORTICVM
IN HANC AMPLITVDINEM
EXCITAVIT
ANNO CIƆIƆCCXLIII
PONTIFICATVS SVI III.

In eadem Porticu a læva leguntur hæc:

BENEDICTO XIV. PONT. MAX.
QVOD LIBERALITATE OPTIMI PRINCIPIS
LIBERIANAE BASILICAE FRONTEM
A FVNDAMENTIS EREXERIT
IMPOSITIS SIGNIS ORNAVERIT
LABENTEM PORTICVM RESTITVERIT
COMMVNES CANONICORVM AEDES
A SOLO EXTRVXERIT
EXTERIORES GRADVS
AD AVERSAM ABSIDIS PARTEM REPARAVERIT
TECTVM VETVSTATE CORRVPTVM REFECERIT
CAPITVLVM ET CANONICI MVNIFICENTISS. PONT.
PP.

His Pontifex non contentus, Ferdinandi Equitis Fugæ Architecti Florentini operâ, internam Templi partem quaquaversùm renovat, reficit, exornat. Nam disjectis duobus Altaribus, quæ e lateribus Aræ maximæ ad normam Cyboriorum antiquitùs erexerat Romana Capocciorum Gens, auguſtior ornatus extruitur quatuor magnis porphyreticis columnis, Urnâque ex eodem marmore, quæ ſub Chriſti Cruci adfixi marmorea Icone propè Templi ingreſſum extabat; columnæ majoris Navis expoliuntur, & exæquantur, æquatis etiam Capitulis, & Baſibus; feneſtræ dilatantur; pavimentum renovatur. Quapropter Baſilica hæc æternum erit Poſteris munificentiæ tanti Pontificis monumentum.

Pag. 228. col. 1. Muſivum Opus in hac Baſilica S. Pauli reſtituit Clemens XII. Pontifex Maximus Anno 1732.

Clariſſimus Vir Franciſcus Blanchinus, qui ætatem hanc multiplici doctrinâ & eruditione illuſtravit, in Præfatione ad Anaſtaſii Bibliothecarii Tom. II. Icones adducit Summorum Pontificum, quæ in hac Baſilica in lævo Navis medianæ latere extant. Hæ Pontificiæ Hiſtoriæ Chronologiam a S. Petro ad Innocentium I. mirificè illuſtrant, nam ſub unaquaque Icone Pontificatûs Anni adnotantur, quos tamen in aliquibus tempus corroſit. Hæc autem Chronologia non immeritò tribuitur S. Leoni Magno, Baſilicæ hujus reſtauratori.

APPENDIX
AD SECUNDAM PARTEM
VETERUM MONIMENTORUM.

PAg. 127. col. 1. Leonianum Triclinium vetustate collabentem restauraverat Anno 1625. Franciscus Cardinalis Barberinus; deinde quum Lateranensem Basilicam novâ Porticu Clemens XII. ornavit, ut plateam laxaret, demolitâ Æde, quam vocant *Pœnitentiariæ*, cujus Septemtrionali lateri innitebatur Triclinium, Tribunam cum veteribus Musivis operibus loco moveri, alióque transferri jussit: sed hæc vel Artificum imperitiâ, vel rei difficultate aliquantulùm diffracta est. At Sapientissimo Pontifici BENEDICTO XIV. præclarissimum hoc Christianæ Religionis monumentum restaurare, & ab interitu vindicare curæ fuit; nam erectâ ad latus Orientale Oratorii S. Laurentii peramplâ, & augustâ Tribunâ, in ea Icones, quæ in Leoniano Triclinio extabant, aptari fecit, ad normam exempli sub Clemente XII. coloribus ex prototypo expressi, & similis veteri Picturæ in Vaticano quodam Codice delineatæ. Audi Epigraphen.

BENEDICTVS XIV. P. M.
ANTIQVISSIMVM EX VERMICVLATO OPERE
MONIMENTVM
IN OCCIDENTALI ABSIDE
LATERANENSIS COENACVLI
A LEONE III.
SACRO COGENDO SENATVI
ALIISQVE SOLEMNIBVS PERAGENDIS
EXTRVCTI
QVOD AD TEMPLI AREAM LAXANDAM
CLEMENS XII.
INTEGRVM LOCO MOVERI
ET AD PROXIMVM S. LAVRENTII ORATORIVM
COLLOCARI IVSSERAT
VEL ARTIFICVM IMPERITIA
VEL REI DIFFICVLTATE
DIFFRACTVM AC PENITVS DISIECTVM
NE ILLVSTRE ADEO
PONTIFICIAE MAIESTATIS AVTHORITATISQVE
ARGVMENTVM
LITERARIAE REIPVBLICAE DAMNO INTERIRET

AD

AD FIDEM EXEMPLI
IPSIVS CLEMENTIS PROVIDENTIA
STANTIBVS ADHVC PARIETINIS
ACCVRATE COLORIBVS EXPRESSI
ET SIMILLIMAE IN VATICANO CODICE
VETERIS PICTVRAE
NOVA APSIDE
A FVNDAMENTIS EXCITATA
ERVDITORVM VIRORVM VOTIS OCCVRRENS
VRBI AETERNAE
RESTITVIT
ANNO CIↃIↃCCXLIII.
PONT. SVI III.

De Triclinio Leoniano, & de ejus erectione loquitur Ciampinus *in Parte II. Veterum Monimentorum*, pag. 127. colum. 1. ac de ejus demolitione *in Tomo III. De Sacris Ædificiis &c.* pag. 20. De ejusdem Triclinii, & picturarum jam olim in eo existentium restitutione disserit præcitatus P. Joannes Marangonius in Opere *Delle Cose Gentilesche &c.* pag. 349.

APPENDIX
AD OPUS
DE SACRIS ÆDIFICIIS
A CONSTANTINO MAGNO CONSTRUCTIS.

PAg. 20. Obiter hîc Ciampinus loquitur de Oratorio, seu Sacrario S. Nicolai, demolito unà cum celebri Triclinio Leoniano. In hoc Oratorio cernebantur veteri Picturâ expressi aliquot Summi Pontifices, a Jacobo Grimaldo apud Floravantem Martinellum descripti in Opere *Roma ex Ethnica Sacra*, pag. 380. Picturam hanc Summ. Pont. BENEDICTUS XIV. ad priscum exemplar renovari, & in ædibus Fratrum Franciscanorum, Pœnitentiæ Sacramentum administrantium, apponi jussit, ut colligitur ex Inscriptione contrà dictum Sacellum additâ.

BENEDICTO XIV. PONTIFICI MAXIMO
SACRARVM ANTIQVITATVM
VINDICI PROVIDENTISSIMO
QVOD
ORATORIO DIVI NICOLAI
PROPE TRICLINIVM
A SVMMIS PONTIFICIBVS
CALLISTO II. ET ANASTASIO IV.
EXTRVCTO AC REPARATO
ATQVE ÆDIBVS FRATRVM FRANCISCANÆ FAMILIÆ
FIDELIVM EXOMOLOGESI DESIGNATORVM
QVARVM AMBITV ORATORIVM IPSVM CONCLVDEBATVR
AD SPATIA AREÆ LAXANDA
SEDENTE
CLEMENTE XII. P. M.
SOLO ÆQVATIS
SACELLVM
ET VETERES IN EO PICTVRAS
TVM CHALCOGRAPHORVM INDVSTRIA
TVM ANTIQVARIORVM LABORE
PLVRIES DELINEATAS
AC PRIVSQVAM DISIICERENTVR
COLORIBVS ELEGANTER EXPRESSAS
AD PRISCVM EXEMPLAR
RENOVARI IVSSERIT
ET VETVSTISSIMA CVLTVS
DECESSORIBVS SVIS
IAMDIV EXHIBITI MONIMENTA
RELIGIOSE SERVARI CVRAVERIT
ANNO MDCCXLVI.

De Leoniano Triclinio luculentiſſimè ſcripſit Nicolaus Alemannus in Opere *De Lateranenſibus Parietinis*, Romæ edito an. 1625.

Augumentum Indicis.

F I N I S.

JOANNIS CIAMPINI
ROMANI

Magiſtri Brevium Gratiæ, Literarum Apoſtolicarum Majoris Abbreviatoris, ac in utraque Signatura Referendarii,

OPERA

IN TRES TOMOS DISTRIBUTA.

Editio Noviſſima,

CÆTERIS CORRECTIOR, ET AUCTIOR.

TOMUS TERTIUS.



Gio: Batta. lenardi
Arnoldo van Westerhout sculp.

JOANNIS CIAMPINI
ROMANI
DE SACRIS ÆDIFICIIS
A CONSTANTINO MAGNO CONSTRUCTIS
SYNOPSIS HISTORICA.

Acceſſerunt ejuſdem Ciampini Opuſcula

DE ROMANI PONTIFICIS BACULO PASTORALI,
DE LINO INCOMBUSTIBILI, SIVE DE LAPIDE AMIANTO,
DE DUOBUS EMBLEMATIBUS MUSÆI CARPINEI,
DE VOCIS CORRECTIONE IN SERMONE VII. S. LEONIS M.,

Quæ paſſim deſiderantur.



ROMÆ MDCCXLVII.
Sumptibus CAROLI GIANNINI Librorum SUMMI PONTIFICIS Proviſoris
in Platea Capranicenſi.

Ex Typographia Komarek.)(*Superiorum facultate, & Privilegio.*

Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo
Domino

D. JOANNI JACOBO
MILLO,

Inſignis Abbatiæ Nullius S. Michaelis de Cluſa, aliàs de Stella,

COMMENDATARIO PERPETUO:

BENEDICTI XIV.

PONTIFICIS OPTIMI MAXIMI

DATARIO.



ANTA eſt Humanitas Tua, PRÆSUL AMPLISSIME, ut vix cum Dignitate Tua convenire poſſit. Experti conſuetudinem tuam tam benignè cum omnibus agendi, admirantur tam familiarem eſſe Tibi Clementiam, &

mo-

morum Suavitatem. Hujuſce laudis, quam Tibi univerſi adſcribunt, origo & cauſa eſt Pietas, quæ in Te refulget, cæteraſque Virtutes Tuas, utpotè illarum Domina, & Princeps, coronat, fovet, auget, & moderatur. Siquidem vix in lucem editus ad hanc informari ſpem cœpiſti, ut cultui, Religioni, & Eccleſiæ Dei ab incunabulis videreris deſtinatus, tantæque indolis ſpecimen jam tum præberes. Sic proinde inſtitutus es, ut ingenii acumine, doctrinæ eminentià, Vitæ integritate nemini ſecundus, Eccleſiaſticum planè Virum, numeriſque omnibus abſolutum præſtiteris. Tum demùm a Sapientiſſimo Cardinali, nunc Optimo Maximoque Pontifice (de quo pauca etiam dicere ab ipſa ſuarum Virtutum majeſtate prohibemur) ad eximia, & præſtantia

tia munera electus, Anconæ primùm, dein Bononiæ, ac ſubinde Romæ Suprema Eccleſiæ Tribunalia aſcendiſti, & in iis ſummæ æquitatis, illibatæ juſtitiæ, & ſingularis prudentiæ exempla imitatione, & admiratione digniſſima reliquiſti.

Exploratâ Rectitudine, & Sapientià Tuâ, quanti Te fecerit SANCTISSIMUS PRINCEPS palam oſtendunt honores, & Dignitates, quibus Te liberaliter cumulavit, ac præſertim perinſigne Datarii Sui miniſterium, tanquam Pontificiæ dilectionis, & ulterioris munificentiæ pignus, Tibi collatum.

Ab Humanitate Tua erga omnes, ad Humanitatem Tuam erga me ſine me deſcendere: quippè hæc omninò modum exceſſit, & inſtar fluminis ultrà ripas exundantis,

dantis, desiderii mei fines superavit. Id quoties memorià repeto, ita rubore suffundor, ut nequeam mihi me restituere, nisi investigando quibus obsequii, & observantiæ argumentis Benignitati Tuæ valeam respondere. Denique ingrati hominis notam vitare credidi, si egregium Joannis Ciampini Opus De Sacris Ædificiis a Constantino Magno constructis Amplitudini Tuæ nuncuparem; & in hoc ipso Volumine sublimes Animi Tui dotes, & prærogativas etiam leviter, obiterque attingendo, monumentum non facilè interiturum Meritis Tuis constituerem.

Altero etiam consilio (ignosce quæsò fiduciæ, aut licentiæ meæ) id audere volui, nempe ut Opus sumptibus meis recusum, præclarissimo Nomine Tuo insignitum

tum prodiret ; ac proinde lucem , quam ab Editore ſuo nequit obtinere, veriùs & luculentiùs a Protectore ſuo aſſequeretur.

At verò animus me longè fefellit meus; etenim Opus iſtud , utpotè ſummâ eruditione, & doctrinâ multiplici concinnatum, ſponte ſua jam Tibi ſe conſecrabat, & ſponte ſua jam ferebatur ad Te , tanquam ad VIRUM omnibus diſciplinis inſtructum, & omni Literarum genere ornatiſſimum: quapropter meum hoc officium nullius momenti, aut meriti apud Te eſſe nemo non videt. Prætereà ſi reſtitutam a me ejuſdem Operis Editionem conſuetà Generoſitate tuà foves, & protegis; protectio hujuſmodi gratiæ accedentis adipiſcitur qualitatem, & novi debiti loco mihi eſt habenda: ideòque verecundiam meam

ex utroque titulo augeri potiùs, quàm deleri perſpicuum eſt.

Noviſti jam, Præsul Amplissime, ut nullo ſtudio, nullà operà, nullàque induſtrià meâ poſſim Tibi ſatisfacere; ac propterea quanta alacritate laudum tuarum ſeriem ulteriùs proſequi, & pro rei juſtitia celebrare deberem, præſertim quia plura iis, quæ hactenùs retuli, vel delibavi, ingrato quidem ſilentio prætermiſi. Sed nè quodammodò videar veluti bellum indicere Modeſtiæ Tuæ, & diutiùs cum ea luctando, indignationem in me tuam quaſi provocare; omiſſis cæteris, etiam de Nobilitate generis tui pauca admodùm loquar. Quamvis enim Familia Tua longo ab hinc tempore eà quâ par eſt honorificentià ſemper floruerit: ſpectatur in Te ipſo Nobilitas Tua,

quæ

quæ originem a Te ipſo habet, & quæ externo auxilio, aut incremento non indiget: itaque Majorum ſplendor Te non illuſtrat, quin immò Majores Tui a Te illuſtrantur.

Excipe me, PRÆSUL AMPLISSIME, ſub Tutela Tua, Tuique veneratricem Familiam meam Magnanimitati Tuæ commendatam velis.

AMPLITUDINIS TUÆ, PRÆSUL ILLUSTRISSIME,

Humillimus, Devinctiſſimus, & Addictiſſimus Servus
Carolus Giannini.



PRÆFATIO AUCTORIS.



UM Cimelii mei evolverem libros, fortè in Procopium incidi, qui de *Ædificiis a Justiniano Imperatore constructis* brevem admodùm contexuit Tractatum. Animum propterea ad *Constantinum Magnum*, Imperatorem de Republica Christiana optimè meritum, converti; nullumque Scriptorem adinveni, qui de *Sacris Ædificiis ab eodem constructis* peculiare opus exarandi curam susceperit; quapropter operæ pretium fore duxi, huic singillatim studio meas subsecivas addicere horas, ac ea, quæ de iisdem Sacris Ædificiis a tanto Imperatore excitatis, sparsim in nonnullis leguntur Auctoribus, colligere. Ad laborem hunc eò magis suscipiendum me accinxi, quò magis alterum meum Opus *Veterum Monimentorum*, quod præ manibus habeo, illustrare posse arbitrabar. Dum his componendis eram intentus, Vir quidam valdè eruditus ad me invisendum accessit, & quid scriberem sciscitanti, responsum dedi, meditari me Imperatoris Constantini gesta circa Sacras Ædes in unum unire. At ille continuò subjunxit: Undenam hæc colligis? Cui reddidi: Multa in Occidente sunt Ædificia ab Anastasio Bibliothecario descripta; alia verò in Oriente ab Eusebio, aliisque Scriptoribus Græcis indicata. Ille iterùm subjunxit: Quænam fides Anastasio præstanda est, qui post quatuor & ultra sæcula a Constantini ævo Scriptor fuit? Huic inopinatæ censuræ addidi: Si fides Anastasiano Codici auferenda sit, magnâ ex parte Ecclesiastica antiqua Historia corruet. Hisce in controversiam vocatis, incœptas seposui lucubrationes, animumque ad Anastasium a quacunque censura pro posse vindicandum addixi: quod brevi temporis spatio absolvi, publicique juris feci, quâ tamen fortunâ ignoro. Deinde in-

incœptam Ædificiorum reaſsumpſi Deſcriptionem, eamque ad hunc, quem vides, perduxi finem. Hæc præmittere exiſtimavi, Lector benevole, ut ſi cum Amico rigidus Judex eſse, & hos meos labores aliquâ cenſuræ notâ inurere volueris, eò quia Librum Pontificalem, ſive Bibliothecarium ſecutus ſim, illum priùs quàm ad cenſuram devenias, legas rogo; deinde tuo pro libito dijudices. Vale.

REIMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Archiepiſcopus Tarſi Viceſgerens.

REIMPRIMATVR.

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

INDEX

INDEX

Capitum, & Sectionum totius Operis.

Cap. XLVIII.

PARERGON.

INDEX QUORUMDAM OPUSCULORUM SELECTIORUM

JOANNIS CIAMPINI,

In calce Voluminis existentium.

JOAN-



JOANNIS CIAMPINI ROMANI
DE SACRIS ÆDIFICIIS
A CONSTANTINO MAGNO CONSTRUCTIS
SYNOPSIS HISTORICA.

CAPUT I.

Conversionis Constantini Magni Imperatoris ad Christianam Religionem brevissima enarratio.



PTATISSIMUM tempus advenerat, quo humani generis Redemptori, militantis Ecclesię navem, pretiosissimo suo sanguine fundatam, Apostolorum præconiis elatam, Martyrumque sanguine illitam, post varios turbines, variasque tempestates, ad optatæ quietis portum reducere tandem placuit. Quare gloriosissimum Principem de tota Christiana Republica optimè meritum, Magnum illum Constantinum Imperatorem, in lucem emisit, ut suâ summâ pietate, suâque maximâ religione, Christiano Orbi pacem daret, Fidelibusque securos portus, atque asyla, in quibus divinus cultus, divinæque laudes Deo omnium Creatori persolverentur, donaret. Præclara igitur tanti Principis facinora, quæ (quòd a Scriptoribus sparsim hic illic indicata sunt) ut ea piis Fidelibus notiora fiant, in unum colligemus, Procopii celebris Scriptoris exemplo adducti, qui Sacra Ædificia a Justiniano Imperatore constructa descripsit;

psit; sed is sicco calamo, nos sanè copiosiori, pro viribus describemus.

Antequam tamen hisce enarrandis nos accingamus, nonnulla de hujus inclyti Imperatoris vitâ, quæ ex Eusebio Cæsareensi Episcopo delibavimus, præmittere volumus, ut tanti Principis erga Christianam Religionem præcipua gesta, magis magisque innotescant.

Cùm Constantius Constantini Pater, ut narrat laudatus Eusebius, Christianos a Diocletiano, & Maximiano persequi in mandatis haberet, illi parere minimè voluit, simulans, se falsos colere Deos; ac illos, qui sacrificare parati se ostendebant, a servitio expellebat; illos verò, qui Christianos se esse profitebantur, in palatio, magnum erga ipsos amorem ostendens, retinebat. Postquam Diocletianus, & Maximianus Imperium abdicarunt, Augustus renunciatus est. Ex tanto Viro dignissimus filius Magnus noster Constantinus procreatus fuit, qui ab eo ad regendas Imperii habenas vocatus statim de Britannis, ac Barbaris victoriam reportavit. Romam a Maxentii tyrannide liberare decrevit, falsamque Gentilium Religionem detestatus, veram Christianorum amplexatus fuit. Quamobrem cùm Christianorum Deum orasset; Hic ei visionem in Coelo sub meridiem ostendit; Crucem videlicet lucidam, coelestibus characteribus insignitam, victoriam promittentem, si illâ uteretur in bellis. Divino monito Cæsar illicò obtemperans, fabricato vexillo ad Crucis formam, quod Romani Labarum vocabant, magnam de Maxentio Tyranno victoriam reportavit. Urbem ingressus statim propriam Statuam, hastã longam, in Crucis formam, præ manibus tenentem, in celeberrimo Urbis loco, cum hac inscriptione poni jussit. HOC SALVTARI SIGNO QVOD VERAE VIRTVTIS ARGVMENTVM EST VESTRAM VRBEM TYRANNICAE DOMINATIONIS IVGO LIBERATAM SERVAVI SENATVI POPVLOQVE ROMANO IN LIBERTATEM ASSERTO PRISTINVM DECVS NOBILITATIS SPLENDOREMQVE RESTITVI.

Hoc primum Christianæ Religionis publicum trophæum, jure appellare possumus. In hunc igitur modum Dei amantissimus Imperator (inquit laudatus Eusebius) Crucis confessionem præseferens, Filium Dei Romanis liberè, atque ingenuè prædicavit, & cuncti, qui Urbem incolebant, tam Senatus, quàm Populus, utpote ab acerba, & tyrannica dominatione liberati, respirare quodammodo, & purioris lucis radiis perfrui sibi videbantur, atque in novam quamdam vitam renasci. Gentes quoque universæ quotquot occidentali Oceano terminabantur, pristinis malis liberatæ, festos dies omni cum hilaritate celebrârunt, Constantinum victorem, Dei amicum, de omnibus benemeritum, continuis laudibus prædicantes. Eum cuncti, in commune bonum, Dei benignitate, humano generi donatum, uno ore, atque unâ voce testabantur. Porrò ipse Imperator Ministros Dei a se convocatos, omni obsequio, atque honore prosequebatur. Eos utpote Deo, quem colebat, consecratos, non verbis modò, verùm etiam factis humaniter excipiens, secumque ducens, quocumque iter faceret, Deum sibi fore propitium ob id pro certo habebat. Quin etiam Ecclesiis Dei plurima ex thesauris suis beneficia subministravit; par-

partim Sacras Ædes restaurans, & in sublime erigens, partim angusta Ecclesiarum Sacraria plurimis donariis exornans. Quæ omnia, ut feliciter, atque juxta vota evenirent, ad ipsum Eusebium epistolam dedit, quâ, ut iis incumberet, quàm vehementissimè jubebat. Illam libet apponere:

Cùm usque ad hanc diem impia præsumptio, & tyrannica violentia ministros Servatoris nostri sit persecuta, pro certo habeo, planèque mihi ipse persuadeo, omnium Ecclesiarum ædificia, aut per incuriam corrupta, aut præ metu ingruentis temporum iniquitatis minùs honorificè exculta esse, Eusebi frater charissime. Nunc verò cùm libertas restituta sit, & draco ille, providentià quidem Dei Optimi Maximi, ministerio autem nostro a Reipublicæ administratione submotus; equidem existimo, divinam potentiam omnibus clarissimè innotuisse, & eos, qui seu metu, seu incredulitate aliquid peccaverunt, agnito illo, qui verè est Deus, ad rectam, ac veram vivendi rationem esse redituros. Quotquot igitur Ecclesiis, aut ipse praees, aut alios in singulis locis præsidentes Episcopos, & Presbyteros, ac Diaconos nosti; cunctos admone, ut in operà Ecclesiarum omni studio, ac diligentià incumbant: quo aut reparentur, quæ adhuc manent, aut augeantur in majus; aut sicubi usus postulaverit, novæ ædificentur. Quæcumque autem necessaria fuerint, & ipse, & reliqui alii tuo interventu, tum a Præsidibus Provinciarum petent, tum ab officio Præfecturæ Prætorianæ. His enim per literas præceptum est, ut omni diligentià iis, quæ tua Sanctitas dixerit, obsequantur. Divinitas te servet, frater charissime.

Ex relatæ Epistolæ tenore, poteris, benigne Lector, colligere; jam ante Constantini tempora fuisse Deo ædificatas Ecclesias, quod a Neotericis, ac a vera Religione alienatis fratribus in dubium revocatur; quodque etiam demonstravimus in nostro opere *Veterum Monim.* par. 1. cap. 17.

Libet igitur his, pro hujus piissimi Augusti coronide, veterem addere inscriptionem, quæ Emeritæ in Hispania legitur, & a Grutero pag. 159. num. 4. refertur, cujus hic est tenor.

IMP. CÆS. FLAVIVS
CONSTANTIN. AVG.
PACIS. ET. IVSTITIAE
CVLT. PVB. QVIETIS
FVND. RELIGIONIS
ET. FIDEI. AUCTOR
REMISSO. VBIQVE
TRIBVTO. FINITIME
PROVINC. ITER
RESTAVR. FECIT
CXIIII.

Jam verò ad Basilicas describendas accedamus, in quibus tamen severioris & exactissimæ chronologiæ calculi minimè servari possunt, cùm in hac potissimum parte Scriptoribus destituamur, atque chronicum ordinem ex conjecturis elicere oporteat. Quapropter in primis illæ describendæ sunt, quas in Occidente, & præsertim in Urbe excitavit, deinde reliquas, quas in Oriente, at longè breviori stylo, prosequemur. Insuper nostram mentem palam facimus, qua in recensendis Ecclesiis in Occidente exstructis Bibliothecarium, uti antiquiorem Scriptorem sequi, ordinemque ab eo observatum tenere intendimus; ob id præcipuè, quod is ordo in Romani Breviarii lectionibus appareat.

CAPUT II.

De Basilica Lateranensi.

PLurima, maximaque de Basilica Lateranensi, cunctarum Urbis, & Orbis Matre, & Capite narranda occurrerent; nisi de ea jam antea prolixum, luculentissimumque tractatum typis mandasset Cæsar Cardinalis Rasponus, olim ejusdem Basilicæ Canonicus; verùm ne prorsus jejunum, famelicumque Lectorem dimittam, nonnulla tam ex eodem Raspono, quàm ex Panvinii MS. decerpta, aliaque ab eisdem omissa referre, non importunum judico. Ille autem satis nunquam laudati Panvinii Codex ineditus adhuc est, & in celebri cimelio Equitis Caroli Antonii a Puteo, cujus cineres semper venerabor, cujusque laudes calamo solertiori prosequi deberem, propter eximiam, singularemque, in comparandis, ac summo studio servandis iis omnibus, quę antiquitatem, & eruditionem redolerent, sollicitudinem a Majoribus suis egregiis Viris jure veluti hæreditario deductam, & in nobilem virum Equitem Gabrielem filium per manus transmissam; quorum officiosæ humanitati non minimum debet hæc nostra Basilicæ Lateranensis, & inferiùs Vaticanæ descriptio. Quare si alias rependere grates nequeam, publico saltem hoc monimento, meum in eos animum testatum volo.

Prima hæc igitur, perque universum terrarum orbem celeberrima Basilica, sub auspicatissimo nomine Salvatoris erecta, molis suæ, famæque tam grandis exordia debet Imperatori Constantino Magno, a quo & Constantinianæ appellationem sortita est, licèt usitatiori cognomine Lateranensis indigitetur, ab ædibus nobilissimæ olim, & Senatoriæ familiæ, in Monte Cælio surgentibus, e quorum ædificiis hæc Ecclesiarum parens augustissima caput extulit.

Sextia gens in patricios e plebe adscita, ut asserit Fulvius Ursinus de Romanæ Urbis Familiis, Lateranorum cognomen assumpsit. Unde hoc deductum fuerit quærere distulit, licèt alii a latere, a quo Urbs lateritia, vel domus; alii verò ab ea corporis parte sub alis, quæ latus dicitur, sumptum existiment. Quidquid de hujus vocis etymo sit, omnium illius gentis primus hac usus est Lucius Sextius Sextinus Lateranus, ut apud Panvinium in Fastis Consularibus ad Annum post Urbem conditam 388. videre est.

Is cum L. Æmilio L. F. M. N. Mamercino Patricio, primus e plebe Consul creatus est, anno ab Urbe condita 388. Olympiadis 103. an. 3. eumque Diodorus Lateranum appellat. Post hunc autem L. Sextinum nulla Lateranorum memoria a Scriptoribus facta est, usque ad Neronis, & sequentium Rom. Imperatorum tempora, cùm floruere Plautius sub Nerone; Sextilius sub M. Aurelio; sub Severo, Claudius.

De Plautio hæc Tacitus lib. 15. de Pisoniana conjuratione. Anno Urbis conditæ DCCCXVIII. a Christo nato LXVI. Neronis Imperatoris XI. P. Silio Nerva & Attico Vestino Coss. *Annæus Lucanus, Plautiusque Lateranus Consul designatus, vivida odia* (in Neronem videlicet) *intulère; Lucanum propriæ causæ accendebant, quòd famam carminum ejus premebat Nero, prohibueratque ostentare, unus assimulatione. Lateranum Consulem designatum nulla injuria,* *sed*

sed amor Reipublicæ sociavit. Et paulò post. *Proximam necem Plautii Laterani Consulis designati Nero adjungit, adeò properè, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret. Raptus in locum servilibus pœnis sepositum, manu Statii Tribuni trucidatur, plenus constantis silentii, nec Tribuno objicens eandem conscientiam.*

De Sextilio Laterano Julius Capitolinus in vita Veri Imperatoris. *Post Quæsturam* (ait) *statim Consul est factus cum Sextilio Laterano*: cujus electio incidit in annum ab Urbe condita CMVI. a Christo nato CLIV. ut placet Setho Calvisio. Hujus Consulatus meminit vetusta lapidea tabula, a Panvinio in præcitato Manuscripto relata.

SEXTILIO LATERANO
AQUILIO ORFITIO COSS.

Licèt in Gruterianis inscriptionibus hanc minimè repererim, legi tamen aliam eandem confirmantem pag. 861. num. 2.

CL. BACCHIDI. C. F.
SEX. LATERANVS. ET
AQVILIVS. ORFITVS
POS.

Claudii Laterani monimentum extare, idem Panvinius asserit, in vetusto marmore Augustæ Vindelicorum, in domo Conradi Peutingerii, quod sic a Grutero refertur pag. 51. num. 1.

MERCVRIO
CVIVS SEDES A TERGO
SVNT
APPIVS CL. LATERANVS
XV. VIR SACR. FAC.
COS. DESIGN.
LEG. AVG. PR. PR.
LEG. III. ITAL.
V. S. L. M.

Hunc Appium Claudium Consulem fuisse cum M. Mario M. F. Tito Rufino Ann. reparatæ salutis 197. ex Fastis Consularibus deduco.

Lateranorum ædes conspicuas, augustasque fuisse scribit Juvenalis, qui floruit circa medium secundum sæculum. Hic Satyra 10. inquit:

Temporibus diris igitur, jussuque Neronis
Longinium, & magnos Senecæ prædivitis hortos
Clausit, & egregias Lateranorum obsidet Ædes
Tota cohors.

Hujus Poetæ sententiam confirmare videtur Capitolinus in M. Aurelio, de quo sic ait: *Natus est Marcus Romæ sexto Kalendas Majas in Monte Cœlio in hortis, Avo suo iterum, & Augure Coss.* Et paulò post: *Educatus est in eo loco, in quo natus est, & in domo Avi sui Veri juxta Ædes Laterani.* Quod Juvenalis, & Capitolinus indicârunt, confirmare videntur duæ Inscriptiones, anaglyptico opere in plumbo sculptæ, & prope Basilicam Lateranensem An. 1595. repertæ, quæ postea a Fulvio Ursino ejus Ecclesiæ Canonico rerum antiquarum studiosissimo, muro Sacrarii ejusdem Basilicæ in marmore affixæ fuerunt, quarum tenor est.

SEXTI LATERANI

SEXTI LATERANI
TORQVATI ETIAM
LATERANI

Mirum in modum etiam favet conjecturis his, ænea equestris Statua, quæ nunc in Capitolii area visitur, quæque per multa sæcula in loco humili, & abjecto prope Ecclesiam Lateranensem stetit, donec Sixtus IV. ut refert Andreas Fulvius lib. 4. p. 75. in sublimi decentique loco posuit. Deinde Paulus

lus III. Summus Pontifex in præcitatam Capitolii aream transtulit. Quæ Statua ab antiquitatum studiosis laudatum M. Aurelium, ex collatione cum numismatibus istius Imperatoris facta, repræsentare existimatur. Retroactis temporibus, quando literæ, bonæque artes ab Italia exulaverant, Constantini Statuam denominabant, de qua infra n. 65. dicemus.

Præter supra citatos Ethnicos Scriptores, de Lateranorum ædibus meminit etiam S. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ, cujus hæc verba: *Quis hoc crederet? Ut post mortem secundi Viri, in semet reversa, quo tempore solent viduæ negligentes, jugo servitutis excusso, agere se liberiùs, adire balnea, volitare per plateas; saccùm indueret, & errorem publicè fateretur, ut tota Urbe spectante Romana, ante diem Paschæ, in Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium.*

Nullum verò e gente Lateranorum, præter Plautium, qui sub Nerone interfectus est, ut jam diximus, ab Imperatoribus enecatum legimus. Illius ædes Lateranenses in Cælio fuère Monte: quas inde magnificentiùs ejus pronepos, aut abnepos Lateranus excitavit, qui Septimio Severo Cæsari acceptissimus, atque in omnibus bellis civilibus, & externis expeditionibus maximo usui fuit, proptereaque summis honoribus auctus, opibusque, ut Sex. Aurelius Victor in ejusdem Severi vitâ testatur: *Benevolentia*, inquit, *quò inclinasset, mirabili, ac perpetua; ad quærendum diligens*, (Severum intellige) *ad largiendum liberalis: in amicos, inimicosque pariter vehemens: quippe qui Lateranum, Chilonem, Anulinum, Bassum, cæterosque alios ditaret, ædibus quoque memoratu dignis, quarum præcipuas videmus, Parthorum quæ dicuntur, & Laterani.* Unde tam Sext. Rufus, quàm Victor in libris, quos de Regionibus Urbis scriptos reliquere, in Regione secunda Cælimontana domus Parthorum, & Laterani singillatim commemorant. Ab hoc igitur Laterano Severi amico insignes illas Lateranenses ædes factas, sive restitutas fuisse conjicere facile est. Quarum ædium possessionem, virili Plautiorum genere fortè deficiente, sive per confiscationem, sive alio quovis casu, Fiscus temporis progressu occupavit. Nam victo, & occiso Maxentio centesimo, ac decimo anno post Lateranum Septimii familiarem, in potestate Faustæ Augustæ uxoris Magni Constantini Imperatoris fuerunt, ut tradit Optatus Milevit. lib. 1. contra Donatistas hoc pacto: *Et tamen dati sunt judices* (ab Imperat. Constantino in causa Cæciliani Carthaginen. Episc.) *Maternus ex Agrippina civitate, Rethicius ab Augustoduno civitate, Marinus Arelatensis. Ad Urbem Romanam ventum est ab iis tribus Gallis, & ab aliis quindecim Italis. Convenerunt in domum Faustæ in Laterano, Constantino III. & Licinio III. Coss. VI. Non. Octobr. die 6. fer.* Nempe Anno Christi CCCXIII. Quo anno quarto Idus Decembris Melchiades Papa moriens, successorem habuit in Episcopatu Sylvestrum inter omnes Romanos Pontifices clarissimum, cujus rogatu, ut in Pontificali libro legimus, Imperator Constantinus, qui Romæ per id tempus commorabatur, aliquot magnas Basilicas post hanc Lateranensem construxit; de quibus infra dicemus.

Idem piissimus Imperator post prodi-

digiosam conspicuæ, & splendidissimæ Crucis in Cœlo visionem, ac memorabilem de Maxentio Tyranno victoriam, perfectè Christo adhærens, ne sua fides operibus bonis vacua censeretur, innumera penè Christianæ Religioni beneficia, maxima quidem, & tanto Principe digna contulit. De quibus vide Eusebium de Vita Constantini lib. 2. cap. 20. & seqq.

Primùm enim plurimas edidit leges, quibus Religionem Christianam adversùs ejusdem hostium vim, & audaciam communivit, & extulit: omnibus dein Urbem incolentibus edixit, ut liberè unicuique liceret Christum colere, quod eousque fuerat interdictum. Postremo Gentilium Templis occlusis, profana sacrificia fieri prohibuit. Quapropter animum ad ingentium Basilicarum, & Templorum erectionem convertit, ut in illis Christiani cœtus congregari, Christumque adorare valerent. Multasque sacras ædes per diversas orbis Romani partes, Imperatoriâ magnificentiâ dignas, extrui jussit, pecuniis a Fisco suo in tantum opus erogatis. Igitur circa annum Domini 323. illas magnificas, & egregias Lateranorum ædes, sive ab uxore Fausta, sive hactenus a se possessas, B. Papæ Sylvestro, & S.R.E. donavit, publicisque sumptibus eas in magnificentissimam, sub S. Salvatoris D. N. J. C. nuncupatione, Basilicam convertit, quæ ab ornamentis aurea dicta, primum perenne, ac patens Christianæ susceptæ Religionis testimonium fuit. Hæc etiam, ab illius fundatore, Constantiniana, temporisq; progressu a proximo baptismali fonte Ecclesia S. Joannis fuit appellata. Idem Constantinus proximum Palatium, in quo Pontifices per annos mille, & ultra habitârunt, extruxit; quod postmodum a Xysto V. ob illius vetustatem dirutum, in novam, & augustiorem, quæ nunc visitur, formam ad Romanorum Pontificum usum, a fundamentis reædificatum, ac præsenti Anno, quo hic imprimitur liber, a Sanctissimo Pontifice nunc regnante INNOCENTIO XII. in Pauperum Xenodochium piâ largitione conversum est. De eadem Basilica Prudentius lib. 1. contra Symmachum hęc cecinit, ut Panvinius legit.

Posthinc ad populum converte oculos, quis in Urbe est
Qui Jovis infectam sanie non despuat arã?
Omnis qui celsa scandit cœnacula Vulgus,
Quiq; terit silicẽ variis discursibus atram,
Et quem panis alit, gradibus dispensus ab altis,
Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses,
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
Unde sacrum referat regali chrismate signum.

Hæc de Basilicæ fundatione. Superesset hîc aliquid de illius structura disserendum; At cùm antiqua, ac primæva Constantiniana, ferales, ac maximè lugubres casus non semel perpessa sit, proindeque quamplurium Pontificum Romanorum generosa pietas eam iterum, iterumque excitaverit, instauraverit, ordinaritque, nullam ad hæc nostra tempora sui transmisit memoriam. Quapropter eò me vertam, idque assequi quoquomodo contendam, quod hæc legentibus non injucundum fore confidam. Paucis igitur graviores, præcipuasque ruinas, refectionesque, earumdemque Auctores narrabimus.

Cùm

Cùm reparatæ salutis annus ageretur DCCCXCVII. Pontificatûs Stephani VII. decimus, terræ quodam ingenti motu magna parietum pars usque ad peristylium, latè corruit; nam quamvis ipsorum ab invicem recedentium rimæ, & non exiles hiatus, atque etiam ipsa tecti, trabiumque curvatio ruinæ prævia, ante aliquot annos casum comminata fuisset, Pontificum tamen inventus est nullus, qui collabenti Basilicæ opē ferret. Cùm enim tum civilium, domesticorumque privatis dissidiis, tum publicis aliquot schismatum vexationibus miserè premerentur, jam fatiscentem & ruinosam Ecclesiam fulcire opportunè, & restaurare neutiquam vacabant. Quare brevi (horridum visu, dictuque!) dilapsa fuit Ecclesiarum omnium Mater, Romanorum Pontificum propria, potissimaque sedes, informemque suimet speciem, ac triste spectaculum per septennium præbuit, quo temporis lapsu penitùs destituta, utpote inaccessa jacuit. Sergius itaque III. anno 907. pacatis, pressisque discordiarum tumultibus Pontifex electus, Basilicam Lateranensem amotis ruderibus, a fundamentis reædificavit, tectoque, ac parietibus excitatis, compaginatisque, universa Musiva opera prisco reddidit nitori, auxitque. Hujus reparationis testes habes versiculos olim in apside, & fronte Basilicæ charactere musivo expressos, quos refert Rasponus lib. 1. c. 5. hodieque translati visuntur ante januam, quæ in Sacrarii ducit atrium, atque ita se habent.

Augustus Cæsar totum cùm duceret orbem,
Condidit hanc aulam Silvestri chrismate sacram,
Jamque salutifera lepra mundatus ab unda
Ecclesiæ hìc sedem construxit primùm in orbem
Salvatori Deo, qui cuncta salubriter egit,
Custodemq; loci pandit te Sancte Joannes.
Inclinata ruit senio volventibus annis,
Spes dū nulla foret vestigia prisca recondi
Sergius ad culmen perduxit tertius ima,
Cespite ornavit ingens hæc mœnia Papa.

Ac supra fores in parte Ecclesiæ interiori, item ex opere musivo hæc carmina legebantur.

Sergius ipse pius Papa hanc, qui cœpit ab imis
Tertius explevit istam, quam conspicis, aulam.

Postea Joannes XII. creatus an. 956. eadem in Ecclesia Pontificum extruxit Sacrarium, quod Oratorium S. Thomæ denominatum fuit.

Canonistarum facilè Princeps Innocentius III. vidit in somnis huic inclytæ Ecclesiæ instare ruinam, ac Francisci humeris ne collaberetur sustentari, de qua visione uberiùs scripsit laudatus Rasponus lib. 2. c. 13. Non absimilem visionem de B. Dominico recitat Theodoricus apud Surium die 4. Augusti. Quamobrem ejusdem Ecclesiæ tectum idem Pontifex statim restauravit; Turrimque campanariam, quæ casum, excidiumque minabatur, novâ mole fulcivit. Anastasius IV. multis fabricis, ædificiisque Basilicam auxit, & exornavit. Nicolaus IV. anteriorem, posterioremque Basilicæ partes jam ruinosas, validissimis repagulis firmavit; quod ex sequenti Tabula in apside ejusdem Basilicæ musivis etiam exarata characteribus deducitur.

Tertius Ecclesiæ Pater Innocentius hora,
Qua sese dederat somno nutare ruinæ
Hanc videt Ecclesiam, mox vir pannosus, & asper
Despectusque humerum supponens sustinet illam.

At

At pater evigilans Franciscum prospicit, atque
Verè est hic, inquit, quem vidimus, iste ruentem,
Ecclesiamque fidemque feret, sic ille petitis
Cunctis concessis liber, lætusque recessit.
Francisci proles primus de sorte Minorum
Hieronymus Quarti Nicolai nomine surgens,
Romanus Præsul partes circumspicit hujus
Ecclesiæ certa jam dependere ruina,
Ante, retroque levat, destructa reformat, & ornat,
Et fundamentis partem componit ab imis.
Postremò quæ prima Dei venerãda refulsit
Visibus humanis facies hæc integra sistens
Quo fuerat, steteratque situ relocatur eodem,
Præsentiq; statu Deus hæc cõplectere vota,
Quæ tibi persolvit domus hujus ornando decorem
Serva mirifica cœlo, terraque beatum
Effice, nec manib. tradas hũc hostis iniqui,
Ingrediens populus devotus munera sumat,
Quæ bonus hic Pastor dedit indulgendo benignè,
Et larga pietate Pater peccata remittens.

Deinde Bonifacius Papa VIII. Nicolai IV. Successor eandem Basilicam in pristinum nitorem multis fabricis restituit, ut antiqua declarat Inscriptio.

Qui fœtidam dedit esca lepram, vivique personam,
Et maculata fides multa cum fece lutosam
Constantinus ait pueros pietate trucidam,
Impia lex pietate datur mihi subdere terram,
Stant Petrus & Paulus, Sylvestri suscipe normam,
Erectam fidem sanctissimo fonte renatam,
Ac per transversos montes, collesque fugatam
Liberat ille cœlis, tenet Urbis Papa coronam.
Inde prior generosa Mater Basilica præsens
Facta fuit stabilis, quamvis lacerata per hostes.
Tandem convaluit, rusticam relinquendo catervam:
Papa Bonifacius veniens octavus in eam,
Auxit, posuit de multis nobile germen,
Qui nova progenies ipso favente subacti,
Sic fugiant vitium, quod non cavere vetusti,
Hi sunt scriptarum custodes Reliquiarum,
Sic sunt Missarum factarum a Deo rerum.

Hactenùs de Basilicæ fundatione, & Restaurationibus egimus, quibus præcipua, providaque munificentia Pontificum Romanorum enituit. Antequam ulteriùs progrediamur, æquum judicamus, restaurationes etiam a nonnullis piissimis Imperatoribus factas indicare, quarum ob Scriptorum vel inopiam, vel sterilitatem, sive ob aliam caussam periit memoria. Non defuere tamen præterito sæculo plurima argumenta, quæ tantorum Imperatorum pietatem erga hanc sacrosanctam Basilicam docerent. Nam in demoliendis quibusdam Aulæ Lateranensis pervetustis, ac penè collabentibus parietibus, complura antiqua, diversis in locis, Numismata fuerunt inventa, ex auro purissimo obryzo confecta, in quibus ex antica parte salutiferum Crucis signum, aut imago aliqua, eadem Cruce insignita, cernebatur; ex altera verò vultus, effigiesque aliquot veterum Imperatorum, nimirum Theodosii senioris, duorumque filiorum ejus, Arcadii, & Honorii, necnon Theodosii Junioris, Valentiniani III. Marciani, Leonis, Justini, Justiniani, Tiberii, Mauritii, Pho-

Phocæ, Heraclii, qui etsi longo intervallo disjuncti, Basilicam hanc donariis, & oblationibus quamplurimis, pietate Christianâ, & Augustà munificentiâ dignis cumulaverunt; diversisque, aut novorum Ædificiorum extructionibus, aut veterum instaurationibus pro temporum varietate ornarunt, ut expressè indicavit Xystus V. Pont. Max. in sua Constitut. in Bullario num. 37. quæ incipit: *Laudemus*, &c. super eisdem Numismatibus edita.

Peculiarem ejusdem veteris Ecclesiæ descriptionem omittimus, cùm a recenti restauratione ab Innocentio Papa X. factâ, immutata sit, ut antiquæ faciei nullum appareat vestigium. Recordor tamen, cùm adhuc adolescens essem, me illam ad eandem similitudinem, & formam vidisse, ut ad præsens visitur Ecclesia B. Pauli, cum quinque interioribus porticibus, sive, ut vulgò appellantur, navibus, quarum media, sive major, magnis ex Ægyptio marmore columnis distincta erat, reliquæ verò quatuor ex Charistio, sive viridi marmore, quod hodie in Magno habetur pretio, ac ex illis nonnullæ expolitæ, fuerunt positæ in illis thecis statuariis, sive loculamentis, quæ in eadem magna porticu ad ornatum fabrefactæ fuere, quæque columnæ magnam præseferunt pulchritudinem.

Ne diutiùs modò divagemur, ratio exigit, ut ad singulares Ecclesiæ partes nos convertamus; & quoniam a digniori, nobiliorique loco semper est inchoandum, ab ejusdem Ecclesiæ facie, quæ Orientem respicit, ubi Regia est janua, initium sumimus.

Hujus Ecclesiæ facies qualis antiquitùs fuerit, penitùs latet, quamvis omnem curam, omnemque sedulitatem ad illam expiscandam adhibuerimus. Post nonnullos tandem annos, præter spem, ac inopinatè sub oculos venit Martini V. Summi Pontificis Numisma a R. P. Claudio du Molinet in sua Historia Numismatum Summorum Pontificum relatum. In hoc ipsius Ecclesiæ facies apparet, non antiquitùs a Constantino Imperatore constructa, sed quæ, ut asserit Ugonius in suis Stat. Urb., a Nicolao IV. Sum. Pontifice a fundamentis excitata, musivoque opere cum adjecta Porticu fuit ornata. Illius faciem nihilominus afferre ducimus, ut curiosus Lector magis sibi indulgere valeat.



Recentiorem verò ejusdem Ecclesiæ faciem, prout ad præsens visitur, ostendimus in annexa Tabulâ I. cujus descriptio sequens est. Porticùs contignatio sex magnis columnis innititur, tribus puris, totidemque striatis, cum capitulis Doricis. A sinistro latere ingredientium crassa e marmore parastata est, quam tres alii sequuntur arcus, duabus minoribus suffulti columnis, prout in eadem Orthographica Tabula demonstratur. Peristylium, & Corona e Pario marmore sunt. Zophorus verò sat eleganter tessellis compactus, in quasdam areolas, sive lacunas distinguitur, inter

quas

TAB·I


A
DOGMATE PAPALI DATUR AC SIMUL IMPERIALI QUOD SIM CUNCTARUM MATER CAPUT ECCLESIARUM HINC SALVATORIS CÆLESTIA REGNA DATORIS NOMINE SANXERUNT CUM CUNCTA PERACTA FUERUNT SIC SUMUS EX TOTO CONVER
NICOLAUS ANGELI FECIT HOC OPUS

pag. 10










TAB·II











quas jacent versiculorum, nec ignobilium marmorum orbiculi crustis conspicui. In iis autem areis, spatiisque, lapillis minutissimis expressæ sunt adeò parvæ, & exiles figuræ, ut incognitæ penè sint intuentibus; nedum promiscuè Ecclesiam introeuntibus turbis, quibus inobservatæ penitùs negliguntur: verùm etiam illis, qui peculiari quodam genio in eruditæ antiquitatis studio versantur. At injuriâ temporum factum est, ut quædam ex illis, vel in totum corrosæ deciderint, vel maximâ sui parte mutilæ sint, & in dies cadant. Quod ego non leviter dolens, quæ satis conspicuæ sunt, & aliarum casui superstites, delineare, & hic spectandas (ut in Tab. II.) explicandasque apponere, mecum eò satius duxi, quòd a nullo, qui de hac augustissima Basilica scripsit, ne leviter quidem fuerint indicatæ.

In prima igitur ejusdem Tabulæ II. figura quatuor naves, veterum Romanorum more compactæ, visuntur, easque referunt, quibus Romani ad Hierosolymæ excidium transfretârunt, Vespasiano Duce, ac Tito ejus filio Legato, ut sub eadem fig. 1. Pario marmori incisus versus hic docet.

Naves Romani Ducis hæ sunt Vespasiani.

Qua de expeditione, ejusque causis, inter alios quam plurimos eam disertè, ac prolixè tradentes, audi Suetonium in Vita Vespasiani: *Percrebuerat Oriente toto vetus, & constans opinio; esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu postea paruit, prædictum Judæi ad se trahentes, rebellarunt, cæsoque Præposito, Legatum insuper Syriæ consularem, suppetias ferentem, raptâ aquilâ fugaverunt. Ad hunc motum comprimendum cùm exercitu ampliore, & non instrenuo Duce, cui tamen tutò tanta res committeretur, opus esset, ipse potissimùm delectus est, ut & industriæ expertus, nec metuendus ullo modo ob humilitatem generis, & nominis. Additis igitur ad copias duabus legionibus, octo alis, cohortibus decem, atque inter Legatos majore filio assumpto, ut primùm Provinciam attigit, proximas quoque convertit in se.*

II. Figura ostendit viros duos, alterum quidem sedentem, & alloquentem, alterum hastatum, & stantem: ac prior fortasse Titus est, ad Antoniæ turris expugnationem cohortes impellens, ut opportunè nos docet Joseph de *Bello Judaico* lib. 7. cap. 4. ubi inquit: *Titus autem militibus suis imperat Antoniæ fundamenta diruere, facilemque ascensum cuncto exercitui præparare.* Stantis enim Viri a tergo hic altè surgit Antonia turris, præcipuum Hierosolymorum præsidium; cujus cùm apud Viros politioris eruditionis non infrequens mentio habeatur, & in hac Tabula non adamussim delineetur, libuit graphicam ejusdem descriptionem afferre ex eodem Josepho lib. 6. *Belli Jud.* circa finem cap. 6. ubi sic: *Cæterùm Antonia in angulo quidem duarum porticuum sita erat prioris Templi, quæ ad Occidentem, Septemtrionemque spectarent; in saxo autem fuerat extructa quinquaginta cubitis alto, & undique prærupto: quod opus Herodis Regis fuit, ubi maximè ingenii sui magnificentiam demonstravit. Primùm enim a radicibus saxum ipsum levibus crustis obtegebatur, quo & decus adderet operi, & facilè dilaberentur, qui vel ascendere, vel descendere tentavissent: Deinde ante turris ædificium murus erat cubitorum trium. Intra hunc omne spatium*

tium Antoniæ in quadraginta cubitos erigebatur. Intus autem Regiæ latitudinem, ac descriptionem habebat, divisam in omnem usum habitationis, & speciem, idest Atria, & Balnea, & Aulas castris aptissimas, ut quantum ad usum necessarium pertinet, civitas videretur; magnificentiâ verò palatium. Instar verò turris toto habitu formata quatuor aliis per angulos turribus cingebatur, quarum cæteræ quinquaginta cubitis erant altæ; quæ verò ad Meridianum, Orientalemque angulum sita erat, septuaginta cubitis eminebat, ut ex ea totum Templum videri posset. Quà verò porticibus jungebatur, utrinque descensus habebat; unde &c. De hac eadem Turri differit etiam Jacob Jehuda Leo in suo Tractatu de Templo Hierosolymitano lib.4.cap.2.

In suprema autem tabulæ hujus ora, Romana conopæa, & castra disposita sunt, ut obsidionem, & oppugnationem prædictæ turris hic designari noscamus, quod adhuc versiculo confirmatur, figuris subjecto, qui sic:

Regia Nobilitas hic obsidet Israelitas.

In III. magnum Constantinum habes, qui B. Sylvestro Pont. Opt. Max. jura largissimè indulget, & ad Pontificiam dignitatem, decusque asserendum insignia, necnon latè patentem possessionem per totam Italiam, aliasque Provincias liberè elargitur. Quæ omnia fusè connumerantur in Capite *Constantinus* distin.96. & innuit alius versiculus infrapositus, nempè:

Rex in Scriptura Sylvestro dat sua jura.

IV. verò Musiva tabella, quæ temporis injuriâ corrosa est, Baptismum Constantini repræsentat, ut versus tabellæ suppositus ostendit:

Rex baptizatur, & lepræ sorde lavatur.

Scio, ab aliquibus disceptari de loco, tempore, & ministro Baptismi nostri Cæsaris; sed cùm hæc quæstio valdè agitata sit, hicque non agatur nisi de ædificiis, illius examen aliis relinquimus; solummodò contenti asserere, hoc nostrum emblema pervetustum esse, & illum, qui hoc depingendum curavit, ab antiqua traditione, aliisque hujus Ecclesiæ antiquis monimentis, quorum nonnulla refert citatus Rasponus, fuisse ad id adductum. Quanti autem momenti sit antiqua traditio, Eruditi satis noscunt. In hac antiqua traditione annumerandum est labrum, in quo noster Cæsar baptizatus fuit. Labrum istud ex lapide Ægyptio, vulgò *Basalto*, est magni pretii; consuevere enim Imperatores, aliique Romani Magnates propriis in Palatiis similia habere labra, in quibus lavarentur, quorum multa adhuc visuntur per Urbem; pretiosiora ad Sanctorum recondenda corpora (ut in Ecclesia S. Bibianæ, & alibi); alia verò in fontium usum fuere conversa, ut in platea Farnesiana, ubi duo magna extant.

V. Beati Joannis Baptistæ, Domini nostri Jesu Christi Præcursoris, necnon hujus inclytæ Basilicæ Patroni, cædem luctuosissimam exprimit, qui ab Herode incesto, ac ebrio cervicem Lictori dare jussus est, ut scilicet caput augustissimum, in Saltatriculæ impudentissimæ donum cederet; quam cædem, ejusque causam luculenter exequitur Marcus cap. 6. qui tandem hæc addit; *Sed misso Spiculatore, præcepit afferri caput ejus in disco, & decollavit eum in carcere, & attulit caput ejus in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.*

VI. B.Sylvestrum exhibet, qui Draconem rupis Tarpejæ radices, omnemque circumjacentem viciniam halitu pesti-

pestilenti vastantem, imperioso, ac validissimo signo Crucis occidit; cui historiæ cæteroquin veraci, si gravissimis Auctoribus standum est, qui eam ad Posteros, non ut imponerent, ac luderent, transmisêre, plurimam fidem fabulæ superadditæ detraxerunt. Qua de re Baronium adire non pigeat ad an. 374. n.67. & seqq.

VII. Quæ ne dimidia quidem sui parte sana est, atque unicam modò e duabus figuris integram offert, sedentem, ut vides, & diademate insignem, ac superiori in tertia tabella delineatæ persimilem, Beatum Sylvestrum repræsentare posse conjicio. In hac figura observatione dignam existimo Cathedram, in qua iste Pontifex sedet, quæ persimilis est Cathedræ D. Petri, quæ adhuc in Vaticana asservatur Basilica, de cujus identitate eruditum quondam scripsit Tractatum Franciscus Maria Phoebeus Cæremoniarum Magister, deinde Archiepiscopus Tarsensis. Plura præterire consultius est, cùm nec ab illa quid certum, ac utile haurire valeamus, nec ab aliquo versiculorum, qui, si memoratos in quatuor prioribus areolis excipias, desiderantur: absumptâ videlicet fasciâ marmoreâ, in qua fuerant cælati, aliâ simplici, & prorsùs levi ei suffectâ.

VIII. & ultima, quæ itidem est corrosa, Apostoli, & Evangelistæ Joannis alterius Ecclesiæ Patroni cruciatus exhibet, quibus sævissimi Domitiani jussu (secundâ post Neronianam procellam persecutione, in Christifideles excitatâ) tortus est ante portam Latinam, juxtà quam surgit ædicula orbicularis æneæ ollæ custos, in quam oleo ferventissimo exæstuantem immissus, ac inde incolumis extractus fuit. In hac ipsa ædicula, ac interiori pariete supra portam vetus est inscriptio, quæ quidquid inibi Apostolus passus est metricè docet, ita:

Martyrii calicem bibit hic athleta Joannes
Principii Verbum cernere qui meruit:
Verberat hunc fuste Proconsul, forfice tõdet,
Quem fervens oleum lædere non valuit.
Conditur hic oleum, dolium, cruor, atque capilli,
Quæ consecrantur libera Roma tibi.

Verùm hac in figura nonnisi injuriosam capillorum tonsuram, & sævam verberationem habemus. Cætera forte cruciatuum genera in areolis, quæ sequebantur, expressa fuerant, quæ modò antiqui decoris nihil servant, sed partim laceræ, deciduæque horrescunt, partim verò penitùs lapsæ, calce obductæ sunt, veluti etiam plurimæ in superioribus, quas exhibuimus, interjectæ.

Infra has figuras in peristylii fascia, palmaribus characteribus incisi leguntur hi versus, ut in Tabula I. designati apparent.

Dogmate Papali datur, ac simul Imperiali,
Quod sim cunctarum mater, Caput Ecclesiarum,
Hinc Salvatoris cœlestia regna datoris
Nomine sanxerunt, cùm cuncta peracta fuerunt.
Sic sumus ex toto conversi supplice voto
Nostra . . . . .

Quæ ultima tria verba in sinistra porticûs facie leguntur, cætera verò recenti contigua mole palatii (cujus auctor Xystus V.) legi penitùs prohibentur. Suppleri tamen possunt, sicque ex MS. Joannis Diaconi, qui eadem refert, ut recentiores prætercam, restitui.

Nostra quod hæc ædes tibi Christi sit inclyta sedes.

Eam-

Eamdem autem ſupra porticum in Baſilicæ fronte,extitiſſe feneſtram rotundam ſcribit Panvinius, quam oculum vocant, ac in ea Chriſti imaginem ex Muſivo, picturaſque quaſdam exoleſcentes ab utroque latere.

In hujus rotundæ feneſtræ intima peripheria (quæ in allata Tab.I.per lit.A. denotatur) ſuperimpoſitum adhuc cernitur quadratum antiquum, & ni fallor ex muro conſtructum a quolibet latere, ut præbet aſpectus,palmorum quinque, in cujus plana ſuperficie depicta eſt perantiquo Muſivo opere imago Chriſti Salvatoris, eamque a Panvinio ſuperiùs adductam conjecturare facile eſt: unde & Chriſti caput inibi inſertum illud idem eſſe autumo, quod ſolers Panvinius tradidit. Ejuſdem Salvatoris figuram ampliori formâ expreſſam habes Tab.II. fig.9.

Orientalem Eccleſiæ faciem hucuſque deſcripſimus. Antequam verò eamdem ingrediamur Eccleſiam; operæ pretium poſcit, Ichnographicam Tabulam exponere, ut ſingulares ejuſdem Eccleſiæ,aliorumque illi adjacentium ædificiorum partes perſcrutemur. Tabulam refero ſub num.III.

1. Primus in ea eſpreſſus numerus enarratam porticum deſignat.

2. Oratorium S. Thomæ appellabatur, quod a Joanne PP. XII. conſtructum, Sacrarii vicem præbebat; quoniam in eo Pontifices cum Epiſcopis Cardinalibus, & aliis Cleri ordinibus ſacras induebant veſtes, ut antiqua docet pictura, quæ ſupra ejuſdem Sacelli januam extabat, cujus exemplar habes in Tab. IV. quod mihi communicavit præmemoratus Eques Carolus Antonius a Puteo, ac in aliquo ab illo, quem affert Eminentiſſimus Raſponus, differt, genuinumque exiſtimo, cùm omnes clericali coronâ inſigniantur; quod in Raſponi exemplari non cernitur, cùm ſint comati. Ulteriùs extremitates Dalmaticæ, ac Camiſiæ, quæ manus reſpiciunt,unionibus ſunt ornatæ, utpote etiam Pontificis collum,qui ſe Caſulâ, ſive Planetâ induit, gemmis eſt ornatum:pari modo Presbyteri collum, qui librum tenet, eiſdem gemmis ornatum cernitur. Item Pontificiæ Caſulæ textura Gammadiis diſtincta eſt, videlicet nonnullis ſignis, Γ Gamma Græcorum denotantibus, quæ inter ſe ita ſunt diſpoſita, ut Crucem referant. Plura de Gammadiis ſi cupis, vide caput 13. noſtri operis de *Veteribus Monimentis* part. 1. & Macrum in Hierolexico, hac voce *Gammadia*.

In hoc eodem Oratorio, ſive Sacrario quatuor columnæ muro incluſæ erant, in quorum Zophoro ſcribit Raſponus lib. 1. cap. 14. ſequentem Inſcriptionem inſculptam fuiſſe.

HIC LOCVS OLIM SORDENTIS TVMVLI SQVALLORE CONGESTVS SVMPTV ET TE DOMINE TANTA RVDERVM MOLE SVBLATA QVANTVM CVLMINIS NVNC VIDETVR AD OFFERENDVM CHRISTO DEO MVNVS OR........

Duo in hac Inſcriptione obſervo: primum, quo ad ſenſum, ac quo ad ipſas voces, eamdem eſſe, ac infra allegandam in Lateranenſi Baptiſterio. Quare valde dubito, utrique ne loco, an unico tantùm applicanda ſit. Secundum, mendoſam animadverto eſſe, eamque ſic legendam puto. *Hic locus olim ſordentis tumuli ſquallore congeſtus, ſumptu Joannis Papæ XII. & te juvante Domine tanta ruderum mole ſublata, quan-*


TAB·IV.



pag.14




TAB·III



58
59
64
29
28
26
27
24
23
19
54
60
18
16
25
21
20
17
15
14
13
12
6
7
65
63
5
64
44
8
3
2
45
47
61
48
62
64
A P M T G I S O

TAB·III


26
25
28
29
31
30
32
33
34
35
56
55
54
36
16
18
19
37
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
50
51
52
53
57
58
59
60
61
62
63
64
65

quanta culminis nunc videtur, ad offerendum Christo Deo munus ornatus, atque dedicatus est.

3. Ecclesiæ januas indicat, quarum media dicitur Regia, ac nunc habet valvas æneas miræ magnitudinis atque pulchritudinis, a Pontifice Alex. VII. Urbis, ac Ecclesiarum mirifico restauratore conflatas, ex aliis valvis æneis detractis ab Ecclesia S. Hadriani in Foro Boario, ad Capitolii crepidines.

4. Porta Sancta.

5. Naves Ecclesiæ.

6. Ubi antiquitùs erat Chorus Canonicorum, nunc sepulchrum Martini V.

7. Situs ubi erant ambones ad Epistolam legendam, & Evangelium.

8. Altare SS. Quadraginta Martyrum.

9. Altare S. Antonini, seu Salonici Martyris.

10. Altare B. Mariæ requiei, Italicè *del riposo*.

11. Janua & scala, quâ patebat aditus ad aulam Concilii.

12. Janua, quæ in Monasterii claustrum tendit.

13. AltareSS.Chrysanthi,&Dariæ.

14. Altare S. Mariæ Magdalenæ.

15. Confessio sub majori Altari.

16. Ara maxima, quæ ligneum illud Altare est, quo Sanctus Petrus Princeps Apostolorum,aliique deinde SummiPontifices,& Martyres usi sunt, & quod S. Sylvester hìc, in Basilicæ consecratione collocavit. In eo solus Romanus Pontifex sacra celebrat mysteria, & tantùm permissum erat Episcopis per hebdomadam celebrantibus sacra peragere. Admiratione dignum videtur; cùm tot ruinis obnoxia fuerit, & tot incendiis conflagraverit hæc Lateranensis Ecclesia, semper tamen illæsum, integrumque hoc Altare permansisse; illudque cùm ex abietino ligno compactum sit,quod teredini minimè subjacet, adhuc politum intactumque cernitur; unde Vates de abiete cecinit:

Et planta est abies non cedens vermibus unquam,
Nec putret facilè.

Ad præsens ara hæc maxima marmoreis septis est inclusa, quibus insignia Urbani Papæ V. vel Petri Rogerii Monasterii de Malmonte, sive Belforte, hujus Ecclesiæ Archipresbyteri, & Cardinalis, qui floruit circa medium decimiquarti sæculi,necnon RegisGallorum conspiciuntur. In ciborio ex Pario marmore, quod quatuor columnis ex marmore Ægyptio cum Epistyliis deauratis ordinisCorinthii sustentatur, capita Apostolorum Petri, & Pauli cratibus ferreis deauratis, maximâ, ut par est,religione,cultuque asservantur. De eorumdem Apostolorum capitibus opusculum edidit Romæ anno 1683. Joseph Maria Soresinus.

17. Columnæ æneæ Corinthii ordinis, quarum æreis capitellis superimpositæ erant imagines aliquorum Sanctorum aureæ, argenteæque, ac Lucernæ insuper dispositæ; quæ in potioribus anni celebritatibus, non oleo, sed balsamo infuso ardebant, fragrantes odorem suavitatis. Nunc hæ columnæ in altari visuntur, in quo Sacrosancta servatur Eucharistia illuc translata a Pontifice Clemente VIII. De his vide Rasponum.

18. Navis transversa.

19. Apsis & Pontificia Sedes. In hac apsida infrascriptos versus, cum adjecta inscriptione olim extitisse narrat Panvinius, quos vetustate oblitera-

teratos, ac ex Archivo Basilicæ desumptos sic refert.

Aula Dei hæc similis Synai sacra jura ferenti,
Ut lex demonstrat, hìc quæ fuit edita quondam,
Lex hinc exivit, mentes quæ ducit ab imis
Et vulgata dedit lumen per climata secli.

Flavius Constantius Felix Victor Magister utriusque militiæ Patricius & Consul Ordinarius, & Padusia illustris fœmina ejus uxor Voti compotes de suo fecerunt.

Fuit verò hic Constantius, qui post Padusiæ uxoris mortem, secundam duxit Placidiam Imperatoris Honorii sororem, ex qua Valentinianum I. Imperatorem suscepit, qui ab Honorio sororio Cæsar creatus, haud diu supervixit. Hîc obiter cum omni reverentia adnotandum, Eminen. Rasponum lib. 1. cap. 4. malè accepisse vocem Felicis, pro nomine proprio substantivo, cùm sit adjectivum, scilicet epitheton denotans felicitatem, quam Flavius Constantius sortitus est in suis bellicis actibus, de quo Sozomenus Histor. Eccles. lib. 9. cap. 16. scribit virum fuisse strenuum, & rei bellicæ peritissimum; quique Constantini Tyrannidem extinxerit. Quare Honorius Imperator ipsius virtutem remunerare volens, sororio conjugio, nempè Placidiæ, & purpurâ, ac diademate, imperiique consortio honoravit. Verisimile est, ipsum Flavium Constantium, dum bellum gereret, cum uxore sua Padusia pro felici belli exitu votum emisisse de supradicta construenda apsida, postea impetrato beneficio pro voti solutione illam construxisse: quod innuere videntur voces, *Voti compotes*. Defunctâ deinde Padusiâ, Constantius duxit Placidiam, ut opinatus est Panvinius, cujus sententiam probabiliorem existimo. Idem hos assequutus honores paulò post obiit. Non obstat Rasponi conjectura, allegantis Chronicon Tyronis, sive Prosperi Aquitanici, ubi narratur, Felicem, Florentio, & Dionysio Coss. ad Patritiam dignitatem promotum; ac Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss. cum uxore sua Padusia, opera Aetii interemptum fuisse; quia licèt hic nominetur Padusia, non est tamen illa uxor Flavii Constantii, quod erat explicandum, sed conjux Felicis, de quo Felice nulla mentio fit in supradicta inscriptione, cujus oblitus est ipse Rasponus. Hanc eandem inscriptionem refert Gruterus ad pag. 1076. num. 2. in aliquibus immutatam sub hac forma:

FL. FELIX. V. C. MAGISTER
VTRIVSQVE. MILITIAE
PATRICIVS. ET. CONS. ORD. ET
PADVSIA. EIVS. INL. FEMINA
VOTI. COMPOTES. DE PROPRIO
FECERVNT.

Literas V. C. Antiquarii legunt Vir clarissimus. Hæc Inscriptio aliquomodo faveret conjecturæ Rasponi, sed de ejus veritate dubito, cùm allatam a Panvinio genuinam existimem, qui tamquam Scriptor anterior in tempore Grutero, multa ex Archivo Lateranensi desumpsit, & præsertim supradictam Inscriptionem, ut ipse testatur.

Is Basilicæ Lateranensis absidam e Musivo exornavit, & alios hos versus addidit, barbaros quidem, rem tamen planè explicantes.

Agnoscant cuncti sacro baptismate functi,
Quod domus hæc munda nulli sit in orbe secunda,

Nam

TAB·V




TA
5
pag. 17.

Nam cùm Papalis locus hic sit, & Cathedralis,
Primatum mundi meruit sine lite rotundi.
Contendat nemo secum, de jure supremo,
Omnis ei cedit locus, & reverenter obedit.
Hanc Constantinus in Cœlum mente supinus
Leprà mundatus intus, forisque novatus,
Fundavit primus, factum quod in ordine scimus,
Et series rerum cogit nos scribere verum.
Christi successor primus, fideique professor
Petrus ab hac sede laxavit retia prædæ
Clave potestatis reclaudens regna beatis.

Supra marmoream sedem sequentes aderant versus.

Hæc est Papalis sedes, & Pontificalis,
Præsidet & Christi de jure Vicarius isti.
Et quia jure datur, sedes Romana vocatur,
Non debet verè, nisi solus Papa sedere,
Et quia sublimis, alii subduntur in imis.

20. Chorus olim Canonicorum Regularium Sancti Augustini, qui dictæ Basilicæ divinis inserviebant. Supra hunc chorum erat Odeum, ac Organum, ac in hoc situ surgit modò altare Sanctissimi Sacramenti.

21. Janua, per quam ad claustrum dabatur ingressus.

22. Janua, quæ Aquilonem respiciebat, a Gregorio XI. constructa, cujus Orthographiam habes in Tab. V. sub num. 1. ubi ad latera stabant duo leones e Pario marmore, qui postmodum ad celeberrimum fontem, prope Thermas Diocletianas, a Xysto V. translati sunt. In eadem Ecclesiæ facie, duæ attolluntur turres Campanariæ, a Pio IV. restauratæ, atque ornatæ. Hodie tota hujus Basilicæ facies, præter præfatas turres, immutata est, cùm idem Xystus ibidem duas anteriores porticus excitaverit, in Tab III. Ichnographica sub num. 35. indicatas, nempè inferiorem, & superiorem, unde statis diebus Romani Pontifices populo benedicerent; necnon antiquæ Januæ duas alias a lateribus addiderit, & in interiori parte magnifica organa a Clemente VIII. constructa collocata fuerint.

23. Porticus ponè Absidem.

24. Sepulchrum S. Helenæ, quod porphyretica arca quadrata est, variis anaglypticis figuris ornata, quæ modò translata est in majorem ejusdem Basilicæ porticum. Emblema hujus sepulchri habes infra in Tab. XXVIII.

25. Claustrum Monasterii.

26. Monasterium Lateranense, sive habitatio Canonicorum Regularium.

27. Ipsius Monasterii pars, necnon alterius S. Pancratii.

28. Atrium ante Oratorium S. Venantii.

29. Porticus S. Venantii, de qua fusè Rasponus.

30. Oratorium S. Venantii; sive Basilica Theodori, de quo suo loco agetur, quando de Musivis operibus sermo erit in nostra secunda parte.

31. Baptisterium Lateranense.

32. Oratorium S. Joanis Evangelistæ.

33. Oratorium S. Joannis Baptistæ. De his infra agemus.

34. Oratorium S. Crucis ab Hilaro Pontifice ædificatum. Hoc Oratorium extabat tempore Xysti V. tectumque ejus concameratum opere musivo aureo elegantissimè depictum erat. Visebantur ad angulos quatuor Angeli, qui ingentem Crucem sustinebant. Super absidas, paulò infra testudinem fenestræ quatuor peramplæ aperiebantur, ac in earum interstitiis ex Musivo opere SS. Apostolorum Petri, & Pauli, S. Joan-

S. Joannis Evangelistæ, S. Joannis Baptistæ, SS. Martyrum Laurentii, & Stephani, necnon Jacobi, & Philippi imagines extabant. De hoc Oratorio fusè Rasponus lib. 3. cap. 9.

35. Triporticus ante hoc Oratorium, de qua Bibliothecarius in Vita Hilari Papæ ait. *Hic fecit... Nymphæum, & Triporticum ante Oratorium S. Crucis, ubi sunt columnæ miræ magnitudinis, quæ dicuntur hecatonpenta. Lacus, & conchas castriatas duas, cum columnis porphyreticis perforatis, aquam fundentes, & in medio lacum porphyreticum, cum concha assirta in medio, aquam fundentem, circumdatam a dextris, vel sinistris. In medio cancellis æreis, & columnis cum fastigiis, & epistyliis undique ornatum ex musivo, & columnis Aquitanicis, & Tripolitis, & porphyreticis.*

36. Recens porticus, a Xysto V. constructa, ubi in subjectam, ac latè apertam plateam populo confluenti benedictio a Summo Pontifice impertitur. Qualis autem fuerit antiqua hujus ædificii facies, habes in Tab. V. num. 1.

37. Locus iste, aula Concilii, ab aliis Patriarchium Lateranense, denominatum fuit, eò quia Palatium, ubi Romani residebant Pontifices, erat, de quo Patriarchio fusè Rasponus lib. 4. cap. 1. In hac igitur aula, octo celebrata fuisse Concilia, idem scribit Auctor eodem lib. 4. cap. 4. quæ enumerat: videlicet Anno 313. sub Melchiade. Annis 499. 500. & 501. sub Symmacho. Anno 745. sub Zaccharia. Anno 861. sub Nicolao I. Anno 993. sub Joanne XV. Anno 1065. sub Alexandro II. In Ecclesia verò XXV. Synodos habitas fuisse docet laudatus Rasponus l. 2. cap. 11. eæque sequentes sunt. An. 337. sub Julio I. Anno 484. sub Felice II. dicto III. Anno 649. sub Martino I. Anno 680. sub Agathone I. Ann. 732. sub Gregorio III. Anno 769. sub Stephano IV. Ann. 861. & alia An. 862. sub Nicolao I. Sub Joanne X. aliam enumerat Synodum Rasponus, sed inter Labbei Concilia minimè reperio: sicuti sub Benedicto VIII. Concilium in Lateranensi Basilica celebratum fuisse idem affirmat Rasponus, quod tamen a Labbeo non refertur. Anno 1050. & aliud Anno 1051. sub Leone IX. Anno 1058. sub Stephano IX. An. 1063. aliud Ann. 1065. & aliud Anno eodem sub Alexandro II. Ann. 1078. & aliud Anno 1079. sub Gregorio VII. Anno 1102. sub Paschale II. Anno 1122. sub Callisto II. Generale I. Ann. 1139. sub Innocentio II. Generale II. Anno 1179. sub Alexandro III. Generale III. Anno 1215. sub Innocentio III. Generale IV. Anno 1302. sub Bonifacio VIII. Ab Ann. 1511. ad An. 1518. sub Julio II. & Leone X. Generale V. Tria alia Concilia celebrata fuisse in Laterano Panvinius affirmat, ut scribit sæpè laudatus Rasponus, nempè sub Hadriano I. sub Sergio III. & sub Victore II. quæ idem Auctor se minimè reperisse affirmat; neque a Labbeo referuntur. Hujus autem aulæ orthographiam, sive exteriorem faciem, habes Tabul. V. num. 2. Duæ in amplissima hac veteri fabrica Lateranensi, aulæ Leonianæ appellatæ fuerunt; ista videlicet, atque alia sub n. 50. quarum tamen una major, altera minor erat. Hinc inter eruditos oritur dubium, quænam ex istis major fuerit. Panvinius hanc, Alemannus verò in suis *Lateranensibus Parietinis* alteram majorem fuisse asserit. Quæstionem istam Severanus de

se-

septem Urbis Ecclesiis, ac Floravantes Martinellus in *Trophæo Sanctissimæ Crucis* pag. 137. dirimere tentârunt asserentes, S. Leonem III. duo construxisse triclinia, alterum prope locum, ubi nunc sunt Scalæ Sanctæ, cujusque superest Tribuna musivi operis, ac dictum *majus super omnia triclinia*; alterum verò prope Ecclesiam, ac appellatum *miræ magnitudinis*, fuisseque ubi erat aula Concilii, & fortasse ipsa aula. Qui plura cupit, citatos adeat Auctores, qui fusè enarrant historiam.

38. Absis.

39. Interseptum, sive diaphragma, ubi tres aderant Januæ, quæ Sanctæ dicebantur, e Palatio Hierosolymitano Pontii Pilati transvectæ, ut antiqua traditio fert, per quas non semel Salvatorem D. N. J. Christum, Passionis tempore, transiisse pia verisimilitudo diu suasit. Hinc apud veteres Christifideles usus olim invaluerat, ut a Templo Lateranensi exeuntes, & pergentes ad aulam, per ea limina, religioso pietatis impulsu, transirent. Plura de his Januis apud laudatum Rasponum lib. 4. cap. 6. videri possunt.

40. Altare B. M. Virginis.

41. Pulpitum Bonifacii VIII. sive Menianum, quod ab illo Pontifice, ad benedictionem populo impertiendam, constructum fuerat, ac porrigebatur in aream; & pro illorum temporum conditione satis elegans erat, utpote quaquaversum depictum, & emblematibus ornatum. In eo sequens legebatur Inscriptio:

DOMINVS BONIFACIVS PAPA OCTAVVS FECIT TOTVM OPVS PRAESENTIS THALAMI. ANNO DOMINI MILLESIMO TRECENTESIMO.

Ejusdem Meniani orthographiam habes in dicta Tab. V. num. 3.

42. Deambulacra Palatii Lateranensis, cujus aspectum habes in eadem Tab. V. num. 4.

43. Oratorium S. Sylvestri, celebre ob plures cæremonias, quæ in eo a Summis Pontificibus celebrabantur.

44. Situs, ubi extabant Scalæ Sanctæ; qui in dicta Tab. V. num. 5. indicatur. De hisce Scalis Sanctis peculiarem Romæ edidit tractatum Joseph Maria Soresinus an. 1672.

45. Scalæ Lateranensis Palatii.

46. Interior janua ejusdem Palatii.

47. Porticus Palatii.

48. Vestibulum ante Oratorium, quod Sancta Sanctorum appellabatur.

49. Oratorium S. Laurentii, super cujus januam, Musivo opere, ejusdem Sancti Imago expressa erat. Idem denominatur Oratorium Sancta Sanctorum. De hoc apud Bibliothecarium in vitis Stephani III. ac Benedicti III. mentio habetur. Adhuc integrum extat in summitate Scalæ Sanctæ, illùc a Xysto V. translatæ. Sacellum habet valvas æneas; ædicula est interiùs picta, testudinem habens lateritiam plumbeis laminis tectam, pavimentum marmoreum tessellatum, sedilia undequaque lapidea, parietes etiam mamoreis tabulis incrustatos; ac unicum tantùm Altare, sub quo diu jacuerunt capita Apostolorum, ut narrat Panvinius, ac supra illud imago SS. Salvatoris recolitur, multis, & pretiosissimis ornamentis aureis, argenteis, & gemmeis corusca. De hac Salvatoris imagine eruditè scripsit Benedictus Millinus in suo Tractatu de Oratorio S. Laurentii in Laterano, quam Acheiropitam no-

minat. Hæc ædicula antiquitùs Romanorum Pontificum peculiare ſacellum, ſeu, ut vocant, Cappella erat.

50. Triclinium Leonis III. de quo nos ſupra num. 37. fati ſumus, quod dicebatur majus ſuper omnia triclinia. De eodem Nicolaus Alemannus peculiarem tractatum edidit, & nos in noſtra II. Parte *Veter. Monim.*

51. Oratorium S. Nicolai; Sacellum hoc a Calliſto II. inceptum fuiſſe, ſed ab Anaſtaſio IV. abſolutum ſcribunt PP. Henſchenius, & Papebrochius in eorum conatu Chronico-Hiſtorico, ad Catalogum Pontificum, in Vita Paſchalis II. Amborum iſtorum Pontificum effigies cernuntur in genua inclinatæ, ad pedes Beatiſſimæ Virginis, ut videre eſt in exemplari ab iiſdem Auctoribus, loco citato, exhibito. Idem ſacellum ſupereſt adhuc in ædibus Pœnitentiariorum, ubi nonnullæ antiquæ viſuntur picturæ. Pro Summorum Pontificum veſtiario inſerviebat, videlicet pro loco, ubi ſacra Pontificum indumenta, & cætera Eccleſiaſtica ſupellectilia, ad ſacra peragenda, cuſtodiebantur.

52. Aliæ partes Palatii Lateranenſis.

53. Situs Palatii a Xyſto V. recenter conſtructi.

54. Locus Pyramidis ab eodem Xyſto erectæ.

55. Veſtigia Turris Annibaldenſis.

56. Veſtigia, & ſitus Bibliothecæ Pontificiæ, uti etiam veſtigia Eccleſiæ S. Angeli, & aliorum ædificiorum prope Baſilicam.

57. Via, quæ ducit ad portam Capenam, hodie S. Sebaſtiani.

58. Monaſterium BB. Bartholomæi, & Andreæ, ab Honorio I. Summo Pontifice in ſua domo fundatum, ut Bibliothecarius in ejus narrat vita: nunc celebre eſt Xenodochium.

59. Via ad Amphitheatrum.

60. Via ad Liberianam Baſilicam.

61. Via antiqua ad Baſilicam Sanctæ Crucis.

62. Via nova ad eandem Baſilicam.

63. Locus, ubi olim erat Dataria, & habitationes Pontifici inſervientium.

64. Aquæductus Claudii.

65. Statua equeſtris M. Aurelii Imperatoris, de qua Panvinius in Manuſcripto lib. 4. cap. 8 ſic loquitur: *Fuit etiam ibi antiquitùs M. Aurelii ænea equeſtris Statua, quam Xyſtus IV. e ſordido loco in auguſtiorem in area ipſa poſuit. Quem poſtremò Paulus III. in aream tranſtulit Capitolinam.* Non abs re autem in Lateranenſi area diu fuit M. Aurelii equeſtris Statua, cùm ipſum in his locis natum fuiſſe, referat in ejus vita Julius Capitolinus. Hujuſmodi Statua indicatur in Tab. V. num. 6.

De hac eadem Statua diſſeruimus ſupra, ferè hujus capitis initio, ubi diximus etiam, Conſtantini Statuam, retroactis ſæculis, appellatam fuiſſe. Notitiam hanc, ſive potiùs fabellam ex Cencii Camerarii Ms. deſumpſimus, quæ cùm ſit admodum curioſa, & illius ſæculi, in quo Camerarius floruit, ſimplicitatem redoleat, eam prout Auctor iſte, pauciſſimis notus, enarrat, tranſcribere in Lectoris gratiam ducimus, quæ cap. 37. ſic ſe habet.

Quare factus eſt Equus, qui dicitur Conſtantini.

Laterani eſt quidam Caballus Æneus, qui dicitùr Conſtantini, ſed non ita eſt, quia quicumque voluerit veritatem cognoſcere, hoc perlegat. Tempore Conſulum, & Senatorum quidam Rex poten-

potentissimus de Orientis partibus Italiam venit, ex parte Laterani Romam obsedit, multà strage, & bello populum Romanum afflixit. Tunc quidam armiger magnæ famæ, & virtutis, audax, & prudens surrexit, qui dixit Consulibus, & Senatoribus: si esset, qui liberaret vos de hac tribulatione, quid a Senatu promereretur? Qui respondentes dixerunt: quidquid ipse poposcerit mox obtinebit: qui ait eis, Date mihi triginta millia sextertia, & memoriam victoriæ mihi facietis post peractum bellum, & optimum Equum; *qui promiserunt, se facturos quidquid ipse petierat; qui ait, media nocte surgite, & omnes armamini, & state intra muros in specula, & quidquid vobis dixero facietis. Et illi continuò fecerunt imperata, qui ascendit equum sine sella, & tulit falcem; per plurimas enim noctes viderat illum Regem, ad pedem cujusdam arboris, pro necessario venire; in cujus adventu Cocobaja, quæ in arbore sedebat, semper cantabat; ille verò exivit Urbem, & fecit herbam, quam in fascem religatam portabat ante se, more scutiferi, qui statim, ut audivit Cocobajam cantantem, accessit propiùs, & cognovit, illum Regem venisse ad arborem. Ivit ergo contra eum, qui jam peregerat necessaria; socii, qui erant cum Rege, putabant illum esse suorum, cœperunt clamare, ut ipse auferret se de via ante Regem, sed ille non dimittens propter eos, fingens, se de loco abire, junxit se Regi, & pro fortitudine sua illis omnibus spretis, vi arripuit Regem, & portavit eum. Mox cùm venisset ad muros civitatis cœpit clamare: exite foras, & interficite omnem exercitum Regis, quia ecce ipsum teneo captivum, qui exeuntes, alios interfecerunt, alios in fugam miserunt. Unde Romani innumerabile pondus auri, & argenti habuerunt, & gloriosi ad Urbem redierunt, & quod prædicto armigero promiserant persolverunt, XXX. scilicet millia sextertia, & Equum æneum pro memoria deauratum, & sine sella ipso desuper residente, extenta manu dextra, qua cœperat Regem. In capite Equi memoriam Cocobajæ, ad cantum cujus victoriam fecerant. Ipsum quoque Regem, qui parvæ staturæ fuerat, retrò ligatis manibus, sicuti eum cœperat, sub ungula Equi memorabiliter destinavit.*

Redargui superiùs sæculi simplicitatem, nam eo tempore non tam difficile erat Constantini Numismata, in quibus illius erat effigies, cum equestris Viri effigie conferre, ut factum fuit præterito sæculo, nam ex hujusmodi collatione statim veritas elucet; etenim in M. Aurelii Numismatibus Vir barbatus apparet; in Constantini Nummis homo imberbis visitur. Et hæc satis dicta sint, de hac equestri Statua.

Summatim perstrinximus, quæ de tam vetusta Ecclesia dicenda erant, duplici ex causa. Primò, quòd nostra intentio sit, solummodò de Sacris Ædificiis a Magno Constantino constructis tractare; secundò, quòd de hac eadem Ecclesia Panvinius, ac Severanus de septem Urbis Ecclesiis, ac post illos laudatus Eminentiss. Rasponus copioso calamo scripserint.

Et ut evidentiùs appareat, quanta fuerit istius Magni Imperatoris Munificentia, quantaque liberalitas erga sacras ædes ab ipso constructas, en brevem narrationem a Bibliothecario in Vita Sylvestri desumptam Donariorum eisdem ædibus oblatorum, quorum singula singulis, suis locis reponemus.

Do-

Donaria a Magno Constantino Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis oblata ex Bibliothecario in Vita S. Sylvestri.

Fastigium argenteum battutile, quod habet in fronte Salvatorem sedentem in sella in pedibus quinque, pensant. libras 120. *Duodecim Apostolos in quinis pedibus, qui pensaverunt singuli libras nonagenas, cum coronis argenti purissimi. Item a tergo respiciens in Absida Salvatorem sedentem in throno in pedibus quinis ex argento purissimo, qui pens. libras* 140. *Angelos quatuor ex argento, qui sunt in pedibus quinis costas cum crucibus tenentes, qui pensaverunt singuli libras* 105. *cum gemmis alavandinis in oculos. Fastigium ipsum, ubi stant Angeli, vel Apostoli, pensat libras duo millia viginti quinque, ex argento dolatico. Pharum ex auro purissimo, quod pendet sub fastigio cum Delphinis quinquaginta, quæ pensant cum catena sua lib.* 25. *Coronas quatuor cum Delphinis viginti ex auro purissimo, pensantes singul. lib.* 15. *Cameram Basilicæ ex auro trimme in longum, & in latum in pedibus quingentis. Altaria septem ex argento battutili pens. sing. lib.* 200. *Patenas aureas septem, quæ pensant singulæ libras* 30. *Patenas argenteas* 16. *pensantes singulas libras* 30. *Scyphos aureos* 7. *qui pensant singuli lib.* 10. *Scyphum singularem ex metallo, corallo ornatum undique de gemmis prasinis & hyacinthinis auro interclusum, qui pensat ex omni parte libras viginti, & uncias tres. Scyphos argenteos viginti, pensantes singulos libras* 15. *Amas ex auro purissimo duas pensantes sing. libras quinquaginta, portantes singulas medemnos tres. Amas argenteas viginti, quæ pensant singulæ libras decem, portantes singulæ medemnos singulos. Calices minores ex auro purissimo quadraginta, pensantes singulos libras singulas. Calices minores ministeriales* 50. *pens. sing. libras binas. Ornamenta in Basilica. Pharum cantharum ex auro purissimo ante altare, in quo ardet oleum Nardinum pisticum cum Delphinis octuaginta, qui pensant libras triginta, ubi candelæ ardent ex oleo Nardino pistico in gremio Ecclesiæ. Pharum cantharum argenteum cum Delphinis centum & viginti, quod pensat libras quinquaginta, ubi oleum ardet Nardinum pisticum. Phara canthara argentea in gremio Basilicæ, quadraginta pens. singula libras triginta, ubi ardet oleum quod supra. Parte dexterà Basilicæ Phara argentea quadraginta pens. singula libras viginti. Phara canthara in læva Basilicæ argentea vigintiquinque pens. sing. libras viginti. Canthara cyrostrata in gremio Basilicæ argentea* 50. *pens. sing. libras viginti. Singularum librarum metretæ tres ex argento purissimo, quæ pens. sing. libras* 300. *portantes singulæ medemnos* 10. *Candelabra aurichalca septem ante altaria, quæ sunt in pedibus* 10. *cum ornatu suo ex argento, interclusa sigillis Prophetarum pens. singula libras triginta. Quæ constituit in servitio luminum, idest, massam Garilianam in territorio Suessano, præstantem singulis annis solidos quadringentos. Massam Muronicam in territorio suprascripto præstantem solidos trecentos sexaginta. Massam Aurianam territorio Laurentino præstantem solidos quingentos. Massam Vrbanam territorio Antiano præstantem solidos* 240. *Massam Sentilianam territorio Ardeatino præstantem solidos* 240. *Massam Castis territorio Catinæ præstantem solidos mille. Massam Trapeam territorio Catinensi præstantem solidos mille sexcentos, & quin-*

quinquaginta. Thymiamateria duo ex auro purissimo pensantia libras triginta. Donum aromaticum ante Altaria annis singulis libras 150.

Pro hujus Dissertationis corona, referre operæ pretium existimamus tantæ Ecclesiæ honorificentissimum elogium, quod posteris reliquit Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis Episcopus Portuensis, qui ob egregiam vitæ Sanctimoniam, incomparabilem eruditionem, ac disciplinæ Ecclesiasticæ zelum, Hieronymus Junior meritò nuncupari potest. Is, inquam, in Epistola ad Cardinales S. R. E. hæc scribit: *Lateranensis Ecclesia sicut Salvatoris est insignita vocabulo, qui nimirum est caput omnium Electorum, ita Mater est, & quidam apex, & vertex omnium per Orbem Ecclesiarum. Hæc septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis post Apostolicum, sacrosanctum illud altare licet accedere, ac divina mysteria celebrare, &c.* De eadem rursus ad Cadaloum Schismaticum sic scribit: *Hæc igitur ad honorem condita Salvatoris, culmen, & summitas totius Christianæ Religionis effecta (ut ita dixerim) Ecclesia est Ecclesiarum, & Sancta Sanctorum. Habet enim intrinsecùs Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli diversis quidem locis constitutas Ecclesias, sed sui compage Sacramenti (quia videlicet in quodam meditullio posita quasi caput membris supereminet) indifferenter unitas. His itaque tamquam expansis divinæ misericordiæ brachiis summa illa, & venerabilis Ecclesia omnem ambitum totius Orbis amplectitur, omnes, qui salvari appetunt, in materno pietatis gremio confovet, & tuetur. Hac Jesus, Summus videlicet Pontifex, arce subnixus totam in Orbe terrarum Ecclesiam suam Sacramenti unitate confœderat, ut unus Pastor meritò, & una dicatur Ecclesia.*

CAPUT III.

De Lateranensi Baptisterio.

Plurima huc usque de inclyta Lateranensi Basilica a Christianissimo Imperatore Magno Constantino ædificatâ brevi complexi sumus: decet modò, eâdem brevitate servatâ, de Baptisterio Basilicæ adjacenti disserere, quod operis elegantiâ, & marmorum pretio insigne, ac speciosissimum est.

Ædificium hoc tam exteriùs, quàm interiùs octanguli figuram exhibet; in singulis autem interioribus angulis singulæ columnæ porphyreticæ assurgunt, remanente inter columnas, & parietes lato ambulacro: columnis imminent epistylia cum zophoro, & parvâ coronâ: huic incumbit secundus totidem columnarum ordo, magnitudine minorum, cum epistyliis, quæ tandem tecto premuntur. In zophoro, quod epistylio primi ordinis incumbit, nonnulli leguntur versus, quos refert Panvinius in lib. de septem Urbis Ecclesiis, ac in sua Dissertatione de Baptismate Paschali, & origine, ac ritu conconsecrandi Agnos Dei, sed ordine, ut mihi videtur, perturbato, videlicet.

Gens sacranda polis, hìc semine nascitur almo,
Quam fœcundatis Spiritus edit aquis.
Virgineo fœtu, genitrix Ecclesia natos
Quos spirante Deo concipit, amne parit.
Cælorum regnum sperate, hoc fonte renati.
Non recipit felix vita semel genitos.
Fons hic est vitæ, & qui totum diluit Orbem,
Sumens de Christi vulnere principium.
Mergere peccator, sacro purgande fluento,

Quem

Quem veterem accipiet, proferet unda novum.
Insons esse volens, isto mundare lavacro,
Seu patrio premeris crimine, seu proprio.
Nulla renascentum est distantia, quos facit unum
Unus fons, unus Spiritus, una Fides.
Nec numerus quemquam scelerum, nec forma suorum
Terreat, hoc natus flumine Sanctus erit.

Panvinio consentiunt Baronius, Rasponus, & alii, qui a Panvinio transcripserunt. Pace tamen tantorum Virorum crediderim, initium legendi, institui debere a fronte januæ opposita, & continuato ordine ad dexteram ingredientis, ita recitandos esse.

Gens sacranda polis, hic semine nascitur almo,
Quam fœcundatis Spiritus edit aquis.
Mergere peccator, sacro purgande fluento,
Quem veterem accipiet, proferet unda novum.
Nulla renascentum est distantia, quos facit unum
Unus fons, unus Spiritus, una Fides.
Virgineo fœtu genitrix Ecclesia natos,
Quos spirante Deo concipit, amne parit.
Insons esse volens, isto mundare lavacro,
Seu patrio premeris crimine, seu proprio.
Fons hic est vitæ, & qui totum diluit orbẽ,
Sumens de Christi vulnere principium.
Cœlorum Regnum sperate, hoc fonte renati.
Non recipit felix vita semel genitos.
Nec numerus quemquam scelerum, nec forma suorum
Terreat, hoc natus flumine Sanctus erit.

Hisce carminibus, adde alia duo cum annexa Inscriptione, quæ a Grutero pag. 1163. num. 11. referuntur, ac Panvinius Scriptor cæteroqui eruditissimus non vidit.

Ad fontem vitæ, hoc aditu properate lavandi:
Constantis Fidei janua Christus erit.

Inscriptio.

Hic locus olim sordentis tumuli squallore congestus, sumptu, & studio Christi famuli Hilari Episcopi, juvante Domino, tanta ruderum mole sublata quantum culminis nunc videtur ad offerendum Christo Deo munus, ornatus, atque dedicatus est. Verùm ex hac inscriptione, & ex Libro Pontificali in vita Xysti III. non mediocre dubium exoritur, Hilarus ne, an verò Xystus III. hoc Baptisterium, a Constantino inchoatum absolverit, & ornârit? Stat pro Hilaro prædicta Gruteri inscriptio, si Baptisterio applicanda sit, ut pluribus placet; pro Xysto verò stat Liber Pontificalis, ubi in ejusdem Pontificis vita legitur: *Hic* (Xystum intellige) *fecit in Basilica Constantiniana, ornamentum super fontem, quod ante ibi non erat, idest epistylia marmore, & columnas porphyreticas erexit, quas Constantinus Augustus congregatas dimisit, ac jussit, ut erigerentur, quas & versibus exornavit.* Discrimen temporis inter utrumque Pontificem est annorum 21. circiter. Nec verisimile videtur, hoc opus ab altero factum, ab altero refectum fuisse. Quomodò enim tam brevi temporis intervallo, potuisset in eam ruinam collabi, quæ instar sordentis tumuli esset, & tanta ruderum copia congeri, ut in molem evaderet? Concordem Libro Pontificali Gruterum reddi posse existimo, si animadvertamus, Constantinum juxta antiquorum Romanorum morem, balneum in proprio habuisse palatio, illudque postquam Christianam fidem amplexus fuit in Baptisterii usum converti, ac epistyliis,

liis, marmoribusque, & columnis porphyreticis ornari voluisse, atque ideò eadem marmora, eundem in locum, ad eundem finem, jussisse adduci: postmodum verò inchoatum opus, quod imperfectum remanebat, absolvi imperasse. Quare Beatissimus, atque magnificus Pontifex Xystus, de Sacris ornandis Ædificiis valdè sollicitus, ut testatur Liberiana Basilica, post sæculum hanc Constantini voluntatem executioni mandavit. Præterea absurdum minimè esse puto, si asseram, quòd in tam longa annorum serie, ubi epistylia, aliaque marmora, columnæque jacebant, magnam ibi tunc molem aggestam fuisse, partim ex effossis fundamentis, super quibus ipsæ columnæ erigendæ erant, partim alia ex causa, ut quotidie in novis fabricis, antequam illæ absolvantur, similes terræ aggeres efformari videmus. Xystus igitur Pontifex columnas erexit, epistylia superimposuit, opus tamen non absolvit. Unde Hilarus paulò post Xysti successor jam aggestam terram, novaque rudera, ex recenti fabrica superaddita, exinde amoveri, ac in liberam, nitidamque formam reddi jussit, propter eaque Inscriptionem illam: *Hic locus olim sordentis tumuli squallore congestus*, &c. absque ulla dubitatione, ipsi Hilaro Pontifici adaptari posse, arbitror; præcipuè cùm idem Pontifex, hoc in eodem Baptisterio, tria Oratoria, unum in S. Joannis Baptistæ, alterum in S. Joannis Evangelistæ, tertium parum ab iisdem distans, in Exaltationis Sanctissimæ Crucis honorem, ædificaverit, quorum ultimum retroacto sæculo, tempore nimirum Xysti V. gloriosissimi Pontificis, ob vetustatem nimiam dirutum fuit, in cujus angulis quatuor Cruces variis Musivis operibus ornatæ visebantur, ut narrat Ugon. in Stat. V. pag. 46. De ambobus prioribus Oratoriis nos disseruimus in nostro Opere de Veter. Monim. par. 1. cap. 26.

Ne autem ullam dubitandi ansam in hucusque narratis relinquamus, cùm suprà in capite præcedenti retulerimus, in zophoro quatuor columnarum, quæ muro sacelli S. Thomæ, seu Secretario Pontificum adhærebant, infrascriptam legi Inscriptionem, quæ cum relata a Grutero eadem penè est, videlicet: *Hic locus olim sordentis tumuli squallore congestus, sumptu, & te Domine tanta ruderum mole, quantum culminis nunc videtur, ad offerendum Christo Domino N.* .... quare inter utrasque solummodò ea est differentia, quod in hac desiderantur voces: *Studio Christi famuli Hilari Episcopi juvante*; ideò ad hoc elucidandum dubium responderi posse puto, Anastasium IV. qui floruit anno 1153. Porticum ante Baptisterium tabulis marmoreis, muroque clausisse, duoque altaria ibidem consecrasse; quare cùm in hac porticu olim ipsæ columnæ, cum zophoro fortasse, ante Baptisterii januam starent, quæ inde amotæ fuerunt, ut amplior redderetur area, quæ in Oratorii usum inserviret; ne illarum columnarum, zophorique periret memoria, in ejusdem sacelli muro inclusæ fuêre, non a Joanne, qui Anastasii Prædecessor fuit, sed ab ipso Anastasio, vel ab aliquo ex Successoribus, sacrarum antiquitatum studioso.

Nec obstat, quod Rasponi Inscriptio in præcitatis differre videatur, quia diversitas nulla est, sed unius versûs mutilatio, qui aut in marmore corro-

ſus erat, ut extremæ voces *ornatus atque dicatus*, indicant, vel ab Amanuenſe omiſſus fuit, ut ſæpè accidere ſolet. Rei igitur veritatem aſſequi impoſſibile eſt, cùm nihil impervium tempori, nihil vetuſtati non penetrabile, nihil non obnoxium longæ ætatis edacitati ſit, ac propterea ab hominum memoria priſtinus rerum ſtatus, & primæva forma facilè expungatur. Si quis igitur meliores habet conjecturas, afferat, nos enim contenti ſumus Baptiſterium a Magno Conſtantino conſtructum, ſive conſtrui juſſum fuiſſe aſſerere, ideòque ad illius donaria modò deſcendimus, quæ a Bibliothecario in Sylveſtri vita ſic recenſentur. *Fontem ſanctum, ubi baptizatus eſt Auguſtus Conſtantinus, ab eodem Epiſcopo Sylveſtro. Ipſum ſanctum Fontem ex lapide porphyretico, ex omni parte coopertum, intrinſecùs, & foris, & deſuper, & quantum aqua continet, ex argento puriſſimo in pedibus 5. qui penſavit argenti libras, tria millia, & octo. In medio Fontis columnas porphyreticas, quæ portant phyalam auream, ubi candela eſt, penſans ex auro puriſſimo libras 52. ubi ardet in diebus Paſchæ balſamum lib.* 200. *annexum verò, ex ſtippa amianti. In labro Fontis Baptiſterii, Agnum ex auro puriſſimo fundentem aquam, qui penſat lib.* 30. *Ad dexteram Agni, Salvatorem ex argento puriſſimo in pedibus 5. penſ. libras* 170. *In læva Agni, Beatum Joannem Baptiſtam, ex argento in pedibus 5. tenentem titulum ſcriptum, qui hoc habet:* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, *penſantem libras centum. Cervos ex argento 7. fundentes aquam, qui penſant ſinguli lib.* 80. *Thymiamaterium aureum cum gemmis prainis, & hyacinthinis quadraginta duabus, penſans libras decem.*

Donum Fontis Baptiſterii, Maſſam Feſti Præpoſiti ſacri cubiculi, quam donavit Auguſtus Conſtantinus, præſtantem ſolidos 300. *Maſſam Gaba, territorio Gabinenſi præſtantem ſolidos* 202. *Maſſam Pictas, territorio ſupraſcripto, præſtantem ſolidos* 205. *Maſſam Statilianam, territorio Corano, præſtantem ſolidos* 200. *Maſſam intra Siciliam Taurana, territorio Parampnienſi, præſtantem ſolidos quingentos. Intra Romam domos, vel hortos præſtantes ſolidos duo millia ducentos. Fundum Baſſi, qui præſtat ſolidos centum viginti. Maſſam Laninam præſtantem ſolidos ducentos. Fundum Catulli, territorio Momentano, præſtantem ſolidos quinquaginta. Maſſam Statianam, territorio Sabinorum, præſtantem ſolidos* 350. *Maſſam Murinas, territorio Appiano Albanenſi, præſtantem ſolidos* 300. *Maſſam Virginis, territorio Corano, præſtantem ſolidos ducentos. Et tranſmarina infra partem Africæ. Maſſam Vineis, territorio Mucario, præſtantem ſolidos octingentos. Maſſam Capſis, territorio Capſitano, præſtantem ſolidos ſexcentos. Maſſam varia Sardana, territorio Monenſi, præſtantem ſolidos quingentos. Maſſam Cameras, territorio Curalupi, præſtantem ſolidos* 405. *Maſſam Nummas, territorio Numidiæ, præſtantem ſolidos* 710. *Maſſam Baldarioleario, territorio Numidiæ, præſtantem ſolidos octingentos, & decem. Item in Græcia territorio Cretas, Maſſam Cephalinam in Creta, præſtantem ſolidos quingentos. In Mengaulo Maſſam Amaron, præſtantem ſolidos* 222.

CAPUT IV.

De Vaticana Basilica.

Vaticanam Basilicam toto Orbe terrarum celeberrimam, quæ Architecturæ miraculum, & Constantinianæ liberalitatis, munificentiæque erga Christianam Religionem nobile argumentum meritò asseri potest, describturi, operæ pretium exigit, ut de Vaticani etymo aliqua priùs exponamus. Vaticanus itaque Mons, ultra Tyberim in Hetruria, a Ponte Milvio usque ad mare protensus est, latâ tamen sumptâ terminatione, ut rerum naturalium scrutator Plinius lib. 3. c. 5. affirmat: *Citra XIII. M. passuum Vrbis Vejentem agrum a Crustumino, dein Fidenatem, Latinumque a Vaticano dirimens.* Stricto verò termino, Vaticanus, planities illa dicitur, quæ inter montem Vaticanum, Tyberimq; fluvium jacet, cujus magnam occupat partem Leonina Civitas, a Sanctissimo Pontifice Leone IV. illius conditore, sic appellata, cujus pars, quæ Urbis muris olim exclusa, extra illam porrigebatur, modò a Summo Pontifice Urbano Papa VIII. novis mœnibus, sive propugnaculis, mirâ animi magnificentiâ inclusa, Janiculus appellatur. Antiquitùs neque admodum frequens, neque de Urbis pertinentiis Vaticanus erat; ita dictus, ut ex Verrio tradit Festus, quòd Vatum responso, expulsis Hetruscis, Populus Romanus eo potitus sit. Hinc Janiculus licèt propriè pro Vaticano non veniat, attamen, ut eidem conterminus, si non tam rigidè vocem accipias, ipsum sonat, ut Martial. lib. 1. Epigram. 63. cujusdam Tullii Martialis Villulam describens, quæ in Vaticani ambitu sita erat, quasi in Janiculo posita esset, sic cecinit.

Tullj jugera pauca Martialis
Longo Janiculi jugo recumbunt.

Ac Gellius lib. 16. cap. 17. *Et agrum* (inquit) *Vaticanum, & ejusdem agri Deum præsidem appellatum acceperamus a Vaticiniis, quæ vi, atque instinctu ejus Dei in agro fieri solita essent. Sed præter hanc causam M. Varro in libris Rerum Divin. aliam esse tradit istius nominis rationem: Nam sicut Ajus (inquit) Deus appellatus, araque ei statuta est, quæ est in infima nova via, quòd eo in loco divinitùs vox edita erat, ita Vaticanus Deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ initia, quoniam pueri simul atque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano sillaba est: idcircò vagire dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis.* Huc usque Gellius. Hipponensis verò Episcopus S. Augustinus lib. 4. de Civitate Dei cap. 8. sic appellatum fuisse scribit, quia *infantium vagitibus præsidebat*; & cap. 2. ejusdem libri idem affirmat, nempè: *nascentibus in vagitu os aperire*. Ac Romanæ eloquentiæ Parens lib. 13. Epist. 33. ad Atticum Vaticani sic meminit: *Sed casu sermo a Capitone de Vrbe augenda; a Ponte Milvio Tyberim duci secundùm Montes Vaticanos, Campum Martium coædificari; illum autem Campum Vaticanum fieri, quasi Martium Campum.* Meminit quoque hujus Montis Venusinus Vates Horatius lib. 1. Ode 20. ubi sic:

Chare Mæcenas Eques, ut paterni
Fluminis ripæ, simul & jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Apud Porphyrium Horatii interpre-

pretem hoc loco Vaticanum montem non longè abesse a Theatro Pompeii conjicitur; quem resonuisse simul cum ripis plausu Populi ipse refert. Apud Martialem non semel Vaticanum offendimus, cujus vina pessimi generis fuisse cecinit. Ibi.

Quid te Tucca juvat vetulo miscere phalerno
In Vaticanis condita musta cadis?

Campum Vaticanum eximius ille Historiæ Scriptor Tacitus lib.4. Annalium, Vallem appellat his verbis: *Clausumque Valle Vaticanâ spatium in quo equos Nero regeret*. Nam Circus hic antiquissimus erat, a Cajo extructus, & Augusto dicatus, licèt postea Neronis assumpserit nomen, cujus vestigia tam in præterito, quàm in præsenti sæculo extantia, partim visebantur, partim verò terram effodiendo inventa fuêre. Præcipuum & principale Circi signum erat Obeliscus, qui nunc ante Basilicam cernitur, olim situs ubi nunc Sacrarium. Circi initium, sive ingressus erat, ubi ad præsens est Ecclesia S. Marthæ; finis, seu terminus ad ultimos scalæ gradus antiquæ Basilicæ se extendebat, ut fusiùs narrat Severanus in suis Memoriis Sacris septem Ecclesiarum Urbis pag.7. Prope Obeliscum Occidentem versùs duo aderant rotunda Templa, quorum Obelisco proximius Matri Deûm, licèt perperam a quibusdam Marti attributum sit, & hoc Neronis Vestiarium appellatum; alterum verò remotius Apollini, ideſt Soli dicatum erat. Utraque cum transitu simùl conjuncta, in hisce ædificiis speciali notâ digna sunt non solùm, quòd in Circi spina erant constructa, verùm etiam, quòd in una, eademque parte sita, cùm contrarium appareat ex Circo Caracallæ, a Panvinio in suo Opere de Ludis Circensibus pag. 57. relato, ubi ex una Obelisci parte Solis templum, ex altera verò Matris Deûm Simulacrum cernitur. Itemque ante Apollinis Templum observandum est fuisse vestibulum, quod Vaticanum denominabatur, quia Vates, scilicet Idolorum Sacerdotes, ibi Sacra peragebant; ideòque tota illa pars Basilicæ, quæ Meridiem respicit, Vaticanum etiam dicta fuit, ut narrat antiquus Scriptor Petrus Mallius in sua Descriptione Vaticanæ Basilicæ num.16.

Propè Circum, Collis cretosus est, lateribus, tegulis, vasis, aliisque fictilibus operibus fabricandis valdè opportunus, ut quotidiana docet experientia, de quo Juvenalis Satyr.16. ibi: *Et Vaticano fragiles de monte patellas.*

Vitellium in suo Principatu ducentorum sextertiorum valoris patinam condidisse, narrat Plinius lib.35. c.12. cui extruendæ fornax in campis exædificata erat, quos utique campos, Vaticanos fuisse existimo; de quibus & Livius ait: *Quorum terram Argillaceam esse, & ad fabricas aptissimam experimur*. Laudatus verò Tacitus lib. 2. Hist. Vaticanam terram infamem vocitat, hisce verbis: *Postremò ne salutis quidem curâ infamibus Vaticani locis magna pars tetendit, unde crebræ in vulgus mortes*. Vetustissimæ Ilicis, quæ apud Vaticanum olim viruit, meminit idem Plinius lib. 16. cap. 44. ubi sic: *Vetustior Urbe in Vaticano Ilex*, &c. Et de inauditæ magnitudinis serpente in eodem Vaticano occiso, idem Auctor lib. 8. cap.13. ita meminit: *Faciunt his fidem in Italia appellatæ Boæ* (ideſt Serpentes) *in tantam amplitudinem*

nem exeuntes, ut D. Claudio Principe, occisæ in Vaticano solidus in alvo spectatus sit infans. Montem istum celebrem semper fuisse, ex eo eruitur, quòd Lucius Verus Imperator, equo suo, quem peramabat, extincto, sepulchrum in Vaticano posuerit, ut tradit Julius Capitolinus in eodem.

Redeamus modò ad Circum, in cujus medio præfatus Obeliscus situs erat, in quo hæc legebantur inscripta, prout adhuc leguntur.

DIVO CÆSARI DIVI IVLII F. AVGVSTO TI. CAESARI.
DIVI AVGVSTI F. AVGVSTO SACRVM.

De hoc Obelisco expressè sæpè laudatus Plin. in lib. 36. cap. 11. ubi sic: *Tertius Romæ Obeliscus est in Vaticano Caii, & Neronis Principum Circo, ex omnibus unus omninò fractus est in molitione, quem fecerat Sesostridis filius Nuncoreus. Ejusdem remanet & alius centum cubitorum, quem post cæcitatem visu reddito ex oraculo Soli sacravit*. Ac lib. 16. cap. 40. num. 20. idem Auctor miræ magnitudinis navem fuisse, quæ eumdem vexit Obeliscum, sic narrat: *Abies admirationis præcipuæ visa est in navi; quæ ex Ægypto, Caii Principis jussu, Obeliscum in Vaticano Circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit: qua nave nil admirabilius visum in mari certum est. CXX. M. modiùm lentis pro saburra ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus latere lævo. Ibi namque demersa est a Claudio Principe, cum tribus molibus, turrium altitudine in ea exædificatis, ob idque Puteolano pulvere advecto. Arboris ejus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat*.

Celebris fuit Circus iste ob Circenses ludos in eo celebratos, de quibus Suetonius in Claudii vita cap. 21. *Circenses*, ait, *frequenter etiam in Vaticano commisit, nonnunquam interjecta per quinos missus venatione*. Ac Lampridius in Heliogabalo scribit, Elephantorum quatuor quadrigas, in Vaticano agitasse, dirutis sepulchris, quæ obsistebant. Tacitus verò ad Annal. lib. 15. Neronianos hortos in Vaticano virescentes enunciat, in quibus feralem Christianorum cladem, Cæsarum immanissimus Princeps, veluti ludicrum, Populum exhibuit.

Hunc tot spectaculis, rebusque admirabilibus celeberrimum Circum, Cæsar Constantinus demolitus, in eo spectabilem Principis Apostolorum Basilicam a fundamentis excitavit, ubi B. Petri corpus sepultum fuerat, ut Bibliothecarius in ejusdem D. Petri Vita. *Sepultus est vià Aurelià in templo Apollinis juxta locum, ubi crucifixus est, juxta palatium Neronianum in Vaticano, juxta territorium triumphale*. Hujus occasione laudatus narrat Alpharanus, quòd ubi nunc majus est altare, ibi ante Constantinum B. Petri Confessio, sive Oratorium erat, Petrique prima in Urbe sedes, Successorumque ejus, in qua omnes Christiani ad divina audienda, necnon sacrosancta percipienda mysteria, conveniebant. Ad hanc firmandam narrationem, plures valerem afferre auctoritates, quæ quia in novissima Ciacconii editione tom. 1. pag. 70. relatæ sunt, brevitatis gratiâ illas omittere, & ad nostrum Magnum Imperatorem sermonem iterum convertere duco.

Non sine igitur mysterio, circumjacentem Confessionis locum, tot propha-


phanis superstitionum præstigiis coinquinatum, tot Christianorum Martyrum carnificinis deturpatum, sacrosancto hoc Templo expiandum putavit, nempè, ut ubi crudelissimorū hostium rabies, in nascentem Ecclesiam, immani insanierat excidio, ibi in æternum subactæ Idololatriæ tropæum immobile D. Petri monimentum assurgeret: ac unde impia, vanaque Apollinis falsa vaticinia, diabolicis artibus, extorquebantur, inde infallibilia Cathedræ Petri oracula, perpetuò proderentur. Enim verò noster Magnus, ac Pius Augustus, latè per omnes Imperii Romani terminos, vero Numini Templa erigendi, Christifidelibus facultatem indulsit. Atque ut ipse omnibus præiret exemplo, inter cæteras sacrarum ædium moles, datis maximis, eximiisque Christianæ humilitatis argumentis, amplissimam hanc excitavit. Priùs enim, quàm manus tanto admoveret operi, in Vaticanum collem se contulit, Imperialique deposito diademate pronus in terram, ac illacrymans, ad Basilicæ inchoanda fundamenta, ligone assumpto, prior ipse solum effodere est aggressus. Tum duodecim corbes, egestâ jam humo opplevit, suppositisque propriis humeris asportavit; Vespasianum fortè æmulatus, qui, ut tradit Suetonius in ejus Vita cap. 8. *Restitutionem Capitolii aggressus ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit*. Designatis hinc Templi fundamentis, nonaginta duabus, ut ex Ichnographia, marmoreis columnis excelsum reddidit, ac in Principis Apostolorum memoriam, honoremque sacravit. Quæ omnia, S. Sylvestri acta testantur apud Baronium anno 324. n. 62. & longè ante ipsum Baronium, hanc piam, religiosamque narrat actionem Canonicus Romanus, seu Petrus Mallius, in sua Descriptione Vaticanæ Basilicæ in principio. Præfatam Constantinianam fundationem pluribus, magnisq; lateribus, in quibus Constantini nomen impressum erat, confirmatam deprehendimus, horumque laterum testem de visu habemus, laudatum Baronium, qui in appendice tomi 3. in antiquorum parietum demolitione, occasione novæ fabricæ Vaticanæ erutos, se illos vidisse scribit, ut in Tab. VI. fig. 1. Id etiam firmat Torrigius in Sacris Cryptis Vatic. pag. 448. asserens, idem nomen, in quadam tegula, quæ supra tectum ejusdem Basilicæ erat, sculptum fuisse. Quare firmissimum sanè, validumque argumentum existimo, ad probandam ædificiorum antiquitatem, hoc laterum inscriptorum testimonium; quo etiam similiter usus est Blondus Flavius Instauratæ Romæ lib. 2. num. 12. ubi se vidisse narrat quadratos lateres amplissimos ex ruinis, quæ Ecclesiam S. Sylvestri Monialium, nunc celebre Monasterium, sæpiunt, extractos, quorum pars literas habebat a figulo priusquàm cæmentum exsiccaretur, expressas in hæc verba: *Domitiana major pars: Domitiana minor*. E quibus lateribus ipse Blondus eodem in loco Domitiani Thermas, sive Methodium, vel Naumachiam fuisse conjecit. Octavius item Falconerius in Epist. ad Carolum Dati italico idiomate data, quæ in appendice Romæ antiquæ Famiani Nardini jacet, ac nuperrimè Fabrettus in suo de Columnæ Trajanæ Syntagmate cap. 7. eisdem utuntur argumentis. Similium laterum exempla in Tab. VI. fig. 2. 3. 4.


sub



fig·1
AVG·D·N·CONSTANTINVS


fig·2



fig·5
LEG X G P F


fig·6
LEX G P F



fig·7
LEG XIIII GEM



fig·3
SERVIANO·III·ET·VARO
COS


fig·4



TAB·VII *Ichnographica*







ſub oculis expono. Morem hunc, literis quadratos lapides obſignandi, non ſolùm hic Romæ, verùm etiam per totumRomanum Imperium obſervatum reor, ut ex ſimilium laterum figuris a Lambecio relatis, in ſua Bibliotheca Cæſar. lib. 2. pag. 1001. colligi valet. Horum laterum exempla vides in dicta Tab. VI. fig. 5. 6. 7. Laterum figuræ 5. & 6. habent literas: LEGXGPF; quas ſic legendas exiſtimo: LEGIO DECIMA GEMINA PIA FIDELIS; ut legit Lambecius; non ut alii legunt, ex Urſato de Notis Roman. *Legio Decima Gemina Pia Felix*; vel *Decima Germanica Pia Fidelis*; ſive *Decima Gemella Pia Fidelis*. Hos lateres propè Pagum Germanum Altemburgicum, inter rudera veterum Hybernorum Pannonicorum, inventos fuiſſe ſcribit idem Lambecius. Tertius vero ſignatus num. 7. qui Carnuti ſedem habebat, ſequentibus literis obſignatus eſt: LEG. XIV. GEM. ſcilicet: LEGIO DECIMA QUATA GEMINA.

Augent etiam conſtanter fidem hujuſce fundationis, ænea Numiſmata, cum effigie Magni Conſtantini, & Cruce, tempore Urbani VIII. Summi Pont. a quo jacta fuère fundamenta pro collocandis, ſupra confeſſionem, magnis quatuor æneis columnis, ibidem reperta, ut narrat citatus Torrigius p. 62. Idem quoque teſtantur duo illa carmina, literis Muſivis, in vetuſta Tribuna olim expreſſa, quorum memoria jam periiſſet, niſi accurata Andreæ Fulvii ſolertia, cujus tempore Tribuna disjecta fuit, illa poſteritati conſignaſſet; quæ carmina idem Fulvius lib. 2. ſuarum Antiquitatum ſic refert.

Quòd duce te Mundus ſurrexit in aſtra triumphans,
Hanc Conſtantinus Victor tibi condidit aulam.

Hactenùs de Vaticano, & ejus Etymo, necnon indubitatâ Conſtantini fundatione ſatis actum eſt. Supereſt modò, ut operi noſtro indulgentes, ad interiores Baſilicæ partes deſcribendas gradatim procedamus.

In Tabul. VII. exhibeo tam veteris, quàm novæ hujus inclytæ Vaticanæ Baſilicæ Ichnographiam, ex qua clarè intuentibus patet, quomodo ſe antiqua Baſilica, cum adjacentibus locis, haberet, & quicquid poſtea per novas conſtructiones eidem additum, ſive ſubtractum fuerit; novum indicatur punctis, antiquum lineis, aliiſque ſignis. Veteris Baſilicæ ſingulas partes, minutim utcumque deſcribemus, ut poſteris quoquomodo tantæ Baſilicæ forma, quæ olim fuerit, innoteſcat.

Hanc, ſequenteſque Tabulas antiquam Baſilicam, & in eis contenta repræſentantes, deſumpſimus ex quodam Codice, in Archivo ejuſdem Baſilicæ extante, cujus mihi copiam fecit Reverendiſſimus D. Thomas Vanninus præfatæ Baſilicæ Canonicus, & Tabularius, permittente tamen Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Carolo Cardinali Barberino ejuſdem Baſilicæ Archipresbytero, quibus humillimas rependo grates, pariterque etiam Rev. D. Joſepho Mariæ Caro, de Sacris, antiquiſque memoriis admodum benemerenti, qui Manuſcriptum Tiberii Alpharani antiquæ Vaticanæ Baſilicæ accuratiſſimi Scriptoris, Xyſti V. Summi Pontificis coævi, nobis libentiſsimè communicavit, a quo plurima excerpſimus; quare eumdem ab Alpharano obſervatum ordi-

ordinem, nos etiam ſequendum ducimus, cùm clarus patenſque ſit. At antequàm ad antiquæ Baſilicæ deſcriptionem deſcendam, gratum fore puto, ſi nonnulla carmina, a Prudentio Poeta Chriſtiano, qui in principio quinti ſæculi floruit, exarata referam, quæ ſic in Hymno 12. leguntur.

Divit oſſa duum Tybris, ſacer ex utraque ripa,
Inter ſacrata dum fluit ſepulchra.
Dextra Petrum regio, tectis tenet aureis receptum,
Canens oliva, murmurans fluento.
Namque ſupercilio ſaxi liquor ortus, excitavit
Fontem perennem chriſmatis feracem.
Nunc pretioſa ruit per marmora, lubricatque clivum,
Donec virenti fluctuet corymbo.
Interior tumuli pars eſt, ubi lapſibus ſonoris
Stagnum nivali volvitur profundo.
Omnicolor vitreas pictura ſupernè tingit undas,
Muſci relucent, & vireſcit aurum.
Cyaneuſque latex umbram trahit imminentis oſtri:
Credas moveri fluctibus lacunar.
Paſtor oves alit, ipſe illic gelidi rigore fontis
Videt ſitire quas fluenta Chriſti.

Hæc Prudentius cecinit.


Modò ab Abſide, tamquam a digniori Baſilicæ parte, initium ſumimus. Abſis itaque, quam majorem Tribunam vocari, Populi placitum introduxit, poſt tranſverſam Baſilicæ partem ad ortum vergentem, id ſitus nacta fuit, ut caput ipſius Baſilicæ eſſet, Sacroſanctæque Crucis typum inchoando prætexeret, ſicuti per lit. A. denotatur. Hemicycli formam exprimebat, longitudineque ad Occidentem palmis quadraginta quatuor præſtabat, latitudine palmis octoginta ſpatiabatur, altitudine verò centum æquabat inter Abſidem, & tranſverſam navem. In medio, Ara princeps erecta erat, quæ tantæ ſemper venerationis fuit, ut nullus unquam Pontificum illam reſerare auſus ſit, nihil removere, ut tradit laudatus Alpharanus cap. 1. & innuit Pancirolus de Eccleſ. hac in eadem Baſilica.

Tranſverſa verò navis deſignata literâ B. inter Tribunam, & Baſilicæ corpus protendebatur, latitudinis palmorum ſeptuaginta octo, altitudinis centum ſeptuaginta, longitudinis tandem a Meridie ad Boream, nonaginta ſupra trecentos.

Templi Vaticani area, ſcilicet a januis, quæ erant in conſpectu ante quadriporticum, uſque ad tranſverſam navem, quadringentis, & ſex palmis in longitudine, ab Ortu ad Occaſum excurrebat, ac ducentis octoginta quinque in latitudine; in altitudine verò centum ſeptuaginta. Media verò navis notata literâ C. omnium maxima centum, & ſex palmis in longitudine producebatur, ac centum ſeptuaginta in altitudine.

Reliquæ hinc inde naves D. E. longè depreſſiores, & minoris latitudinis erant; illæ namque duæ, quæ mediæ navi a dextero latere ad Meridiem, & a ſiniſtro ad Boream adjacebant, in latitudine triginta octo, ac in altitudine octoginta duobus palmis conſtabant.

Poſteriores naves F. G. ante dictis contiguæ, pariter ad Meridiem, & ad Aquilonem ex utraque parte Baſilicæ muro adjacentes, paululùm præfatis de-



pag 33

demiſsiores, palmos triginta novem latitudinis ſeorſim habebant, altitudinis verò ſexaginta duo.

Intercolumnium, quod quinque naves ſuſtentabat, columnis octoginta octo coordinatum erat, quarum ſinguli ordines, viginti duabus inter ſe parallelis columnis, æquè conſtabant, ad ordinem columnarum porticûs Templi Salomonis alludentes, ut in Tab. VIII. ſcenographica videre eſt. Harum columnarum capitula Corinthia, & epiſtylia maxima ſuper capitula e Pario marmore quadrata erant, & ſignis Muſivis decorata, quæ Templi muros, & tectum ſuſtentabant. Minores naves ſuper columnarum capitula, loco epiſtyliorum, habebant arcus parietes ſuſtentantes. In media autem navi, ſuper epiſtyliorum corona, intrinſecùs per gyrum proferebatur podium, latitudinis palmorum trium; erantque ante podium circulariter lignum, & lateres palmorum quinque altitudinis, ne hinc inde homines circumambulantes cadere poſſent, ut apparet in eadem Tab. VIII. ſub lit. A. A. Teſtatur laudatus Alpharanus eodem cap. I. quòd ævo ſuo ejuſdem podii veſtigia adhuc viſebantur. Præfatæ columnæ, neque altitudine, neque craſſitudine æquales erant; nam in mediana navi quadraginta in altitudinem, in craſsitie verò ſex palmos continebant: hæ aliæ e Numidico, aliæ e Pario marmore, mixtoque erant; duæ tamen, quæ valvis Baſilicæ proximæ offendebantur, ejus venuſtatis erant, ac pretii, utpote quæ marmore Africano conſtabant, ut iis pares nullas Urbs, aut Orbis ipſe umquam viderit. Columnæ minorum navium viginti ſex palmis altæ, & quatuor craſſæ, aliæ erant ex Pario, nonnullæ verò ex Numidico, mixtoque marmore.

In ſummitate cujuslibet navis, aut ordinis columnarum, ad Occidentalem plagam, fornix elevabatur, & tranſverſam navem cum Tribuna connectebat. Quinque iſti fornices, ſex paraſtatis fulciebantur, quorum maximus, qui medianæ navi incumbebat, ultra duas paraſtatas, binis adhuc, & his prægrandibus columnis præmuniebatur; quare Veteres arcum triumphalem vocitârunt; qui unde hoc deſumpſerit nomen diximus in noſtro opere de Veter. Monim. Parte I. Cap. XXII.

Patuit antiquitùs iſta Baſilica multis januis, nam in parietibus ad Ortum, quinque januas habuit, ut videre potes in Tab. IX. ſub num. 1. 2. 3. 4. & 5. Videlicet in majori navi portas tres, æqualem in altitudinem, palmorum viginti novem elatas, & latitudinem ſexdecim: harum locus in Tab. VII. Ichnographica ſub num. 128. 130. & 133. indicatur. Duæ anteriores naves ex utraque parte medianæ propinquæ, duabus januis occurrebant, quarum ſingulæ, palmis viginti octo altitudinis, æqualiter præſtabant, altitudinis verò quatuordecim; locus iſtarum deſignatur in eadem Tab. VII. Ichnographica ſub num. 126. & 137. Janua autem, quæ Sancta dicebatur, Baſilicæ lateri addita in poſteriori navi, quæ dicebatur Vultûs Sancti ad Boream, pro Anno Jubilei, altitudinis erat palmorum ſexdecim, latitudinis verò decem; iſtius ſitum habes in prænotata Tabula VII. ſub num. 124. Baſilicæ latus dexterum in Meridiem, quinque januis præditum fuit, totidemque ſiniſtrum, quæ altitudine, & latitudine promiſcuè vincebantur. Ex his ad quaſdam

postea Ecclesias, seu Oratoria, de quibus infra, petebat aditus. Tandem in parietibus transversæ navis ad Occidentem, duæ aderant januæ sub n. 13. & 36. & ad Meridiem unica sub n. 19. & earum singulæ secum in altitudine octodecim palmorum, & in latitudine decem congruebant.


Multâ etiam luce abundabat antiqua Vaticana Basilica, ob magnarum fenestrarum numerum, quas octoginta octo, ex infra dicendis, fuisse colligitur. Frons Templi in Media navi, Orientem versùs, tribus in primo, totidemque in secundo ordine, fenestris illustrabatur, quæ singulæ viginti duobus palmis in altum se attollebant, & latitudine quatuordecim extendebantur; in tertio verò ordine, juxta tectum unicâ tantum, eâque rotundâ ad instar magni oculi, cujus diameter erat palmorum quatuordecim. Harum fenestrarum exempla habes in Tabula IX. ac in X. sub literis A.B.C.D.E. In parietibus itidem a dextris, & a sinistris ejusdem Mediæ navis, Basilicam viginti duo lumina ingrediebantur, undecim Meridiem, ac totidem Boream respicientia, ejusdem latitudinis, ac altitudinis, qua præfata alia excisa erant, invicem parallela, & e regione sese inspectantia: harum fenestrarum exemplar videre poteris in dicta Tabula X. lit. A. B. C. D. E.

Posteriorum minorum navium parietes dextrâ, lævâque, viginti pariter & duas fenestras, undecim ad Meridiem, ac totidem ad Aquilonem referabant, æquis item spatiis contrapositas, quarum altitudo palmis decem & septem evehebatur, latitudo verò palmis duodecim cum semisse. In oblongum in transversa navi, habuit itidem Basilica sexdecim fenestras, quæ altitudine, & latitudine, majoris navis fenestris comparabantur; & octo a dextris, octo a sinistris patebant. Parietes dextrorsum ad Meridionalem partem duas excipiebant, ad Orientem tres, & ad Occasum tres alias e conspectu positas, & e regione mutuò se conspicientes: a sinistris similiter in parietibus ad Aquilonem duæ, ad Ortum tres, & ad Occidentem tres aliæ, pariformiter contra se vicissim singulæ illuminantes, responbebant.

Absis quoque Basilicæ, quinque circumforata fenestris pandebatur, Occasum prospectantibus, quarum singulæ palmis sexdecim altitudinis, ac undecim latitudinis erant.

Basilicæ, quæ ex lateribus coctis constructa erat, murorum crassities sextum palmum cum semisse, & alibi septimum, aut octavum non excedebat. A pavimento usque ad summitatem parietum, & laquearia tota, ex Musivo, variisque picturis Veteris, ac Novi Testamenti depicta, cælataque erat; horum exemplum habes in præfata Tabula X. quæ partem ad Aquilonem vergentem ostendit; ubi Angelus lit. F. signatus, manu Jotti celebris Pictoris, qui in fine XIII. ac principio XIV. sæculi vixit, Musivo opere expressus erat; reliquæ verò picturæ, quarum pars historiam Veteris Testamenti designabat, multis in locis injuriâ temporis erant deletæ, ut ex eadem Tab. X. facillimè argui potest; altera verò pars superiùs, plurium Sanctorum imagines repræsentabat. Hæ picturæ, jam vetustate quasi consumptæ, antiquissimæ erant; nam jussu Formosi I. Summi Pontificis factæ, qui floruit an. 890. Aderant etiam in

TAB·IX






TAB X.










pag. 34.

TAB·XI







in zophoro, qui imminet columnarum epiſtyliis, videlicet in Orbicularibus illis ſignis, indicatis in eadem Tab.X. lit.G. H. depicta Romanorum Pontificum capita, ſicuti etiam in aliis Orbicularibus ſignis his ſuperpoſitis, ut ibidem lit.I. L. & clariùs demonſtrantur in Tab. XI. in ampliorem formam deſignata ſub lit. A. B. C. D. & ſic de reliquis.

Totum Templi tectum ligneum magnis quadratis trabibus, contignatum, abiegniſque tabulis levigatis, irretitum, atque imbricatum erat, ut Tabula VIII. ſcenographica demonſtrat. Mediana navis,& tranſverſæ Crucis laquearium, magnis æneis tegulis ſeſquipedalibus pretioſiſſimis, ex ære Corinthio deaurato coopertum mirificabatur. Aliarum vero navium minorum tectum, lateritiis imbribus prætectum erat, quorum aliqua ſuperfuiſſe, ſuo tempore, Monimenta tradit idem Alpharanus in eodem cap.I.

Pavimentum Baſilicæ ſtupendis, eximiiſque rotundis, ac quadratis compactum, variis etiam diſcoloribus, albis, Porphyreticis,Ægyptiacis, Numidicis, deauratiſque implicatum, & conteſſelatum erat marmoribus.

Ante Baſilicam magnum patebat atrium, ut in Tab. VII. lit. H. ac ut clariùs ipſius atrii facies appareat, oſtendimus etiam illam in Tab.IX. Ab eodem Conſtantino atrium hoc conſtructum fuerat, in longitudine ducentis palmis conſtans; quod poſtea a Domno Summo Pontifice, circa annum Domini 678. magnis marmoribus fuit ſtratum. Id narrat Bibliothecarius in ejuſdem Pontificis vita: *Hic*, inquiens, *atrium B. Petri Apoſtoli ſuperius, quod Paradyſus dicitur, quod eſt ante Eccleſiam in quadriporticum magnis marmoribus ſtravit.* Hoc idem atrium deinde ab aliis Pontificibus etiam ornatum reperitur,ut colligitur ex hac Gruteriana inſcriptione pagina 1163. num.3.

Quamvis clara fides multum de luminis aula,
Pluſque loci meritis nobilitetur opus;
Eſt tamen his pulcris ſpecialis gratia rebus,
Spectantumque oculos ars pretioſa rapit.
Johannes hoc compſit opus, quem rite coronat
Urbis Romanæ Pontificalis apex.

Tempore,quo conſtructa fuit facies novæ Baſilicæ, a Paulo V. Summo Pontifice, avulſa fuêre marmora a Domno in atro poſita, ſubtuſque aliud pavimentum ex albis, ac minutis lapidibus ſtratum, apparuit, quod ad Muſivi operis formam, ut Romani Imperatores in uſu habebant, conſtructum erat, & nos ipſi nonnulla etiam ad hodiernum diem fragmenta obſervavimus in ſcalarum area.

Idem atrium Quadriporticum denominabatur a quatuor porticibus, ut in eadem Tab.VII. lit.I. K. L. M. quæ illud circumamplectabantur, quæque poſtea temporum injuriis delapſæ, a Simplicio Summo Pontifice an. 468. priſtinæ formæ reſtitutæ fuêre, ut ex inſcriptione, quæ in eodem atrio olim extabat, & a Grutero refertur pagina 1164. num.1. ſed errat in voce *Porticibus*, cujus loco ponit *Ponticibus*; hæc autem ſic ſe habebat.

Cum ſubitis peragi fallax clementia veris,
Et ſacer addendo feſta vetaret aquis.
Simplicius Præſul ſacraria celſa petentem


Porticibus junctis, texit ab imbre diem.

Eædem porticus Palmariæ dicebantur, in quibus Symmachus Papa quartam Synodum, ab iſdem porticibus, Palmariam denominatam celebravit: Ipſa porticus in Baſilicæ fronte, palmis ducentis octoginta, ad menſuram latitudinis ejuſdem Baſilicæ, in longum extendebatur, latitudo palmorum trium, & quinquaginta erat; altitudo verò uſque ad tectum quinque ſupra quinquaginta. Decem aderant columnæ cum duabus paraſtatis, quæ quidem columnæ, ad X. Columnas Tentorii in facie atrii Tabernaculi Moſis, ac ad totidem alias poſitas in facie atrii Templi Salomonis, alludere videbantur. Sed & in ipſarum columnarum medio, oſtium æneum erat, contra majorem Baſilicæ Januam, ut num. 131. in eadem Tabula VII. ſupra quod B. Petri Apoſtolorum Principis, in throno ſedentis, dextrâ populum benedicentis, ſiniſtrâ verò claves tenentis marmorea Statua poſita cernebatur, quæ poſtea cum tegmine æneo, duabus columnis porphyreticis ſuſtentato, ad nos pervenit; quæ nimirum duæ columnæ, duas magnas æneas columnas ante Porticum Templi Salomonis erectas, repræſentabant. Sueverunt olim Fideles hanc Statuam D. Petri, feſto ejuſdem die Pontificiis inſignibus, Albâ nempe, Pluviali, Mitrâque gemmis diſcriminatâ exornare, & ſolemni, pioque cultu venerari: illam poſtmodum Paulus V. Sum. Pontif. in Cryptas Vaticanas, in Cappellam B. Mariæ Porticûs appellatam, tranſtulit, ubi etiam hodie aſſervatur.

Unicam tantummodò partem quadriporticûs deſcripſimus, cùm aliæ tres a Conſtantino conſtructæ, recentioribus ſæculis deſtructæ fuerint. Quomodo antiquitùs hæc ſe haberet quadriporticus, ſatis oſtendit figura Ichnographica in dicta Tab. VII. expreſſa, cujus aſpectum habes in Tab. IX. ſignatum lit. E. F.

In præcitata Tab. VIII. Ichnographica lit. L. ſignat locum ſecundæ porticûs ad dexteram ingredientium, ſive ad Aquilonem, cujus longitudo erat palmorum ducentorum quinquagintaſex, ad menſuram longitudinis atrii; latitudo verò palmorum quadraginta, & unius, & habebat columnas tredecim cum ſuis capitulis Corinthiis, & fornicibus, loco periſtyliorum; extrinſecùs verò totidem paraſtatas lateritias, contra columnas poſitas, cum ſuis fornicibus æquali ſpatio inter columnas contra ſe invicem collocatas, & e regione ſe reſpicientes, parieteſque, & tectum ſimiliter ſuſtinentes. Super hanc porticum conſtructum fuit Pontificium Palatium, quod Innocentii Octavi denominabatur, ut videre eſt in Tab. IX. lit. G. H. ubi lit. O. parvum oſtium demonſtrat, quod in Auditorium Rotæ ducebat. Ex altera parte ſiniſtrorſum, Meridiem versùs tertia aderat porticus ejuſdem formæ, ac altera in conſpectu, ut in ſæpè memorata Tab. VII. lit. K. deſignatur, & in Tab. IX. lit. P. indicantur reliquiæ ipſius porticûs. Ejus reliquiæ partes, novorum ædificiorum conſtructionibus, occupatæ fuere; nam lit. L. denotat Oratorium Archiconfraternitatis SS. Corporis Chriſti, ſub Paulo III. erectæ, F. Gymnaſium Cappellæ Juliæ, G. Domum Altariſtæ, H. oſtium ducens in atrium Archipresbyteratûs, I. Sepulchrum Othonis II. Imperat. quod maximus porphyreticus lapis operiebat, de quo etiam infra in capite de Par-

TAB·XII



pag·37.

Partibus ſubterraneis Vaticanæ Baſilicæ num. 38.

Quarta aderat porticus, in dicta Tabula VII. lit. M. indicata, quæ in atrii fronte ad Orientem, & ſuper Baſilicæ gradus erat, cujus aliquæ partes tempore Alpharani adhuc ſupererant, plurimis, nobilibuſque columnis, & paraſtatis in fornicibus ſuſtentata, interſecabatur, habebatque in longitudine palmos ducentos octoginta quinque, ad menſuram latitudinis Baſilicæ, & in latitudine ante faciem atrii ad Orientem, unum ſupra octoginta. A facie verò atrii in Occidentem e media ſui parte in tres januas laxabatur, quæ quatuor paraſtatas interjectas habebant, & binas, hinc inde, columnas, ſingulaſque paraſtatas in utroque porticûs extremo, ejuſdem angulos conjungentes, tectumque fulcientes. Præterea iis januis totidem aliæ opponebantur, Solis Ortum, & gradus Baſilicæ ſpectantes, quæ æquali poſitæ ſpatio marmoreis poſtibus, æneis valvis, & quatuor columnis ornabantur, ut videre eſt in Tab. XII. lit. B. K. quæ nimirum januas ante faciem Tentorii poſitas, in introitu atrii Tabernaculi Moſis, ſignificabant. Porrò iſtæ januæ eâ fuerunt arte conſtructæ, ut Æquinoctii tempore Sol exoriens, per illarum mediam ingrederetur; & aram maximam, intra Sancta Sanctorum poſitam ad Baſilicæ caput, Apoſtolorum corpora continentem, recto fulgore illuſtraret, idemque in Occaſum vergens, per poſteriores Baſilicæ feneſtras, ipſam Aram maximam, totamque Baſilicam irradiaret. In hujus porticûs dextro latere ad Meridiem, pro Miniſtris, ac Baſilicæ Janitoribus, aulæ viſebantur, ut in eadem Tab. XII. lit. F. A ſiniſtro verò ad Aquilonem, quædam non humilis turris, ut lit. A. in ead. Tab. indicat, cum pluribus, & eximiæ magnitudinis campanis erigebatur, quam Cymbalariam fuiſſe denominatam colligitur ex Ciaccon. in Vita Clementis VI. ac cælitùs fulmine tactam, magnaque ex parte culmen ejus disjectum, & vi ignis campanas fuſas fuiſſe, præcitatus narrat Auctor, de qua etiam dicemus infra ad num. 151. Tectum inſuper totius quadripartitæ porticûs, ac Baſilicæ ligneum erat, levigatis tabulis laqueatum, magniſque imbricibus lateritiis coopertum, cujus altitudo quaquaverſum æqualis, palmos quinquagintaquinque non exceſſit; præter eam partem, quam ultimo loco memoravimus, in qua ſcilicet januæ tres erant ad Orientem ſupra gradus Baſilicæ; hæc enim paulò fuit eminentior, habebatque tres ſatis amplas feneſtras, ut in dicta Tab. XII. lit. B. oſtenditur, unde Summos Pontifices olim ſolemnibus diebus, populum in ſubjectam plateam confluentem, benedicere conſueviſſe conjici jure poteſt. Sed hic aliquid de fronte Baſilicæ attingamus.

Hæc frons Muſivo opere ornata erat, ut in præcedenti Tab. IX. demonſtratur, cujus in faſtigio, ex albo marmore, ſtabat magna Crux, altitudinis decem, latitudinis verò octo palmorum, ad Græcæ Crucis ſimilitudinem efformata, quæ adhuc in Baſilicæ cryptis ſervatur; in medio verò frontis ejuſdem Baſilicæ, Chriſti ſedentis cernebatur imago, ad cujus dexteram B. Virgo Maria, ad ſiniſtram verò S. Petrus ſtantes: hinc inde quatuor Evangeliſtæ ſub animalium formis expreſſi, ad Chriſti pedes Gregorii Papæ IX. genuflexi erat imago, quæ lit. M. indicatur,

catur, Literâ N. denotante quædam carmina, quæ in eadem fronte legebantur, videlicet:

Ceu Sol fervescit sydus super omne nitescit,
Et velut est aurum rutilans super omne metallum,
Doctrina, quæ fide calet, & sic pollet ubique
Ista domus petra super fabricata quieta.

Ante supradictas tres januas posterioris partis quadriporticûs, super gradus Basilicæ ad Orientem area magna jacebat, ut in eadem Tab.XII. lit.K. quadris, magnisque strata marmoribus, habebatque in longitudine palmos ducentos, ad mensuram latitudinis atrii, in latitudine verò ante faciem januarum, sex & septuaginta; hujus areæ situs demonstratur in Tabul.VII. lit.N. & Tabula XII. litera E. In hac area Romani Pontifices Imperatores recipere solebant. Juxta turrim Campanariam in Aquilonem, quatuor marmorea Meniana, quinque parastatis cum columnis subnixa inchoavit Innocentius VIII. & Alexander IV. absolvit, ut in eadem Tab.XII. lit.C. G. Posterioribus verò temporibus, ex Meniano signato lit. C. Romani Pontifices adstanti Populo benedictiones impartiri consuevêre. Præter hoc ædificium, permulta alia eidem Basilicæ, & juxta eam, ejusque porticus addita fuêre, de quibus suo loco.

Deinde prægrandes e marmore gradus triginta quinque in Basilicæ aream ascensum præbebant, ut in Tabula VII.lit.O.& sæpè citata Tab.XII. lit.E. & ii omnes in quinque distribuebantur ordines, ut quemlibet ordinem septem gradus occuparent, exiguusque areæ tractus illos ab invicem distingueret. Omnes autem graduum ordines, cum interjacentibus areolis, ab ima tellure ad aream magnam, palmorum nonaginta quinque longitudinem adæquabant, latitudinem verò ducentorum, juxta areæ, atriique latitudinem.

Hanc aream, & gradus primò post Constantinum Symmachus, deinde Pius II. postremò Martinus V. Pontiff. Max. restaurârunt, & amplificârunt ad longitudinem palmorum quadraginta quinque supra ducentos, usque ad rectam lineam parietum quadriporticûs ad Aquilonem, additis hinc inde, ad infimas graduum extremitates, colossis Marmoreis BB. Apostolorum Petri, & Pauli, ut cernere est in Tabula XII. lit.H. I. cum his, quæ in basibus leguntur inscriptionibus.

Beato Petro Apostolorum Principi.
Beato Paulo Vasi electionis Pius II. Pont. Max.

Reædificatâ postea eâdem Basilicâ a Pontifice Paulo V. ii gradus ad viginti quatuor redacti fuere, quorum longitudo palmorum nonaginta erat: modò autem viginti duo tantummodò sunt, post restaurationem fel. record. Alexandri VII. quindecim ex Pario marmore, reliqui verò septem, fronti Basilicæ proximiores, ex Tyburtino lapide.

Cogor hîc aliquantulùm a brevitatis scopo deflectere, cùm multa notatu digna de hisce gradibus referri possint. Nam Canonicus Romanus, sive Petrus Mallius, in descriptione Vaticanæ Basilicæ num.48. præfatos gradus constructos fuisse tradit, ex Romuli demolito sepulchro, quod tamen Marlianus lib.5. cap.22. suæ Topograph. Urbis Romæ, non Romuli, sed Scipionis Africani fuisse ait: & Turrigius in

suo

ſuo Tractat. de Sacris Cryptis Vatican. part. 2. cap. 4. idem Sepulchrum Terebinthum Neronis vocatum fuiſſe aſſerit, ab ejus nominis arbore, quæ propè virebat, & ab Alexandro VI. ad dirigendam Burgi novi viam, complanatum. Adhuc hodie in domorum caveis veſtigia, ſeu fundamenta obſervantur, ubi nunc eſt fons a *Paulo* V. conſtructus, ſub veteris, & novi Burgi ingreſſu. Addit idem *Mallius*, e pulcherrimis lapidibus fuiſſe *fabricatum*, & eorum plurimos a Domno Pontifice in ſternendo atrio Paradiſi adhibitos, teſte Bibliothecario. At iſte Auctor in ipſius Pontificis vita narrat quidem, ipſum, præfatum ſtraviſſe atrium, quibus verò id fecerit lapidibus, ſilentio præterit.

Utcumque ſit de converſione dictorum lapidum, vel in reſtaurandis gradibus Baſilicæ, vel in ſternendo atrio, cùm nihil officiat, diu non immoror. Scio tamen, Bibliothecarii auctoritate, eoſdem gradus vetuſtate conſumptos Leonem III. refeciſſe. Sed ab horum graduum conſtructione, ad ritus in eis obſervatos accedamus.

In lectione igitur ſæpè memorati Bibliothecarii detentus, animadverti, per ſupradictos gradus antiquitùs Chriſtifideles, devotionis gratiâ, aſcendere conſueviſſe, ut in Gregorii IV. vita, ibi: *Renovavit ſimul & Porticum ejuſdem Baſilicæ, quæ ſuper gradus ejus eſſe perſpicitur, per quos Populus orationis voto indifferenter habet aſcenſum.* Hac autem loquendi formâ, nempe, *orationis voto*, uſus eſt etiam in vita Gregorii II. ubi hæc: *Eo itaque tempore Teudo Dux gentis Bojoariorum ad Apoſtoli B. Petri limina, primus de gente eadem, occurrit orationis voto.* Et Paulus Diaconus lib. 6. de Geſtis Longobardorum cap. 44. ſcribit ejuſdem Teudonis Romam adventum, *orationis gratia*; ex quibus, ni fallor, deduci poteſt, Fideles per eos gradus flexis genibus, Deum oraturos, aſcendiſſe: quæ mea ſententia innititur Severano, qui de hujuſmodi ſcalis agens addit, Symmachum Summum Pontificem, gradus ante fores Baſilicæ, ampliaſſe, & alios gradus dexterâ, lævâque conſtruxiſſe, ex utraque parte contignatione coopertos, quæ ut opinor in umbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem a turbine, & a pluvia, pro majori Populi orantis commoditate, inſerviret.

Horum, quæ dicimus, teſtis auguſtiſsimus ſit Carolus Magnus, de quo ſic Anaſtaſius in vita Hadriani: *Ipſe verò a Deo inſtitutus benigniſſimus Carolus Magnus Francorum Rex, & Patritius Romanorum, qua hora eaſdem ſacratiſſimas Cruces, ac ſigna ſibi obviam adveniſſe conſpexit, deſcendens de equo, quo ſedebat, ita cum ſuis Judicibus ad B. Petrum pedeſtris properare ſtuduit. Quod quidem almificus antedictus Pontifex diluculò ſurgens in eodem Sabbato Sancto, cum univerſo Clero, & Populo Romano ad B. Petrum properavit, ad ſuſcipiendum eumdem Francorum Regem, & in gradibus ipſius Apoſtolicæ aulæ eum cum Clero ſuo præſtolatus eſt. Conjungente verò eodem excellentiſſimo, ac benigniſſimo Carolo Rege omnes gradus ſigillatim ejuſdem Sacratiſſimæ B. Petri Eccleſiæ, deoſculatus eſt, & ita uſque ad prænominatum pervenit Pontificem, ubi in atrio ſuper gradus, juxta fores Eccleſiæ aſſiſtebat, eoque ſuſcepto mutuò ſe amplectentes, tenuit idem Chriſtianiſſimus Carolus Rex dexteram manum antedicti Pontificis; & ita*

ita in eandem venerandam aulam Beati Petri, Principis Apostolorum, ingressi sunt, laudem Deo, & ejus excellentiæ decantantes, universus Clerus, & cuncti Religiosi Dei famuli extensà voce acclamantes: Benedictus qui venit in nomine Domini &c.

Eumdem etiam Pontificum Rom. morem, ac ritum in recipiendis Imperatoribus, Regibusque ad B. Petri limina accedentibus, repetit Bibliothecarius in vita Sergii II. hisce verbis: *Quem* (ideſt Ludovicum Regem Lotharii Imp. filium) *antedictus almificus Pontifex in gradibus ipsius Apostolicæ Aulæ, eumdem Regem in ipso die Dominico post Pentecosten, suo cum Clero expectavit; conjungente verò eodem Rege, universosque gradus ejusdem Sacratissimæ B. Petri Ecclesiæ ascendente, ad prænominatum propinquavit Pontificem, ubi in atrio super gradus juxta fores Ecclesiæ cum universo Clero, & Populo Romano assistebat. Tunc mutuò se amplectentes, tenuit idem Ludovicus Rex dexteram antedicti Pontificis, & in interiùs ingressi atrium, ad portas pervenerunt argenteas*. Longum deinde poſt temporis intervallum, ut eorumdem graduum venerationem, ac Populi pietatem augeret Alexander VI. Pontif. Max. pro cujuslibet gradûs aſcenſu, ſeptem annorum indulgentiam conceſſit; quod Pancirolus refert in ſuo Tractatu de Eccleſiis Urbis. Verùm ad reliquas noſtræ antiquæ Baſilicæ partes deſcribendas accedamus.

A dextris extra quadriporticum, & parietes Baſilicæ ad Auſtrum, Pontificum Romanorum commodo, ac majeſtati conſulens Conſtantinus, magnæ molis Epiſcopium erexit; quod inde injuriâ temporum, & hominum incuriâ penè collapſum, in quorumdam Canonicorum domos, necnon in Palatium officii S. Inquiſitionis, ceſſit; quo in ſtatu ad hæc noſtra tempora perſeverat. Situs ejus oſtenditur literâ P. in Tabula VII.

Alterum etiam Epiſcopium a ſiniſtris ad Septentrionem, dextero e diametro oppoſitum, idem Conſtantinus extruxit, nobilius quidem, & fata meliora ſortitum: nam Symmachus primò, deinde Nicolaus III. & alii in poſterum Romani Pontifices mirificè ampliârunt, & exornârunt. Præcipuè tamen Gregorius XIII. ac Xyſtus V. qui in eam, quæ nunc eſt, formæ magnificentiam, decuſque perduxêre. Illius indicatur ſitus lit. Q. in eadem Tab. VII.

Gradibus demum Baſilicæ ſuperiùs relatis, ſubjecta jacebat amplissimæ laxitatis platea, per lit. R. in Tab. VII. & in Tab. XII. lit. L. demonſtrata, quam *Porticum S. Petri*, ſive *Cortinam* appellavêre. Surgebat inibi non exiguus fons porphyreticus, quem Symmachus Papa ad Chriſmatis unctionem, feriâ ſecundâ poſt Paſcham faciendam, excitavit. Pulcherrimam etiam plateæ coronam efficiebant non humiles domus, quas inter erat Xenodochium vetuſtate ſuâ, & Auctore B. Gregorio I. clariſsimum, quod pro ſchola Canentium quotidie in Vaticana Baſilica deſerviebat; hoc verò jam diu exoletum, & in domos converſum Pius IV. ampliandæ plateæ gratiâ disjecit, ſoloque æquavit. Eadem hæc infortunia paſſæ fuêre geminæ Eccleſiæ, una S. Gregorii de Cortina, & alia penè contigua S. Mariæ Virgariorum denominata, quæ tamen ruinâ, caſuque frequenti excidium ultimum invitaverant, & quaſi prævenerant. Plura de iſtis Ecle-

clefiis fi defideres, vide Turrigium paginâ 188. & 189.

Hactenus autem de externis vetuftæ Bafilicæ partibus actum eft. Cæterum longè majoris amplitudinis eft nova Bafilica, vetus Templum circumdans in formam Crucis, ut in Ichnographica Tab. VII. fub lit. S. oftenditur, qua in ornanda, poft Julium II. qui veteri disjectâ, novam Bafilicam inchoavit, reliqui pofteriores Romani Pontifices certavêre, nec adhuc gloriofo certamini finis eft impofitus, cùm in dies decori, & elegantiæ novus decor accedat. Nec in ornanda folùm certatim elaborârunt, fed etiam in augenda: adeout Paulus V. Burghefius Græcæ Crucis figuram, quam eidem novæ Bafilicæ celeberrimus Architectus Bramantes dederat, producto anteriori brachio, feu pede in formam Crucis Latinæ, Antonio Sangallo Architecto converterit. Sed hifce de rebus plurima difces ab iis, qui eadem operofiori calamo funt profequuti; præcipuè verò a Joanne Baptifta Coftaguto Seniore Pauli Papæ V. Domûs Præfecto, qui anno 1620. ejufdem Bafilicæ tam exteriores, quàm interiores partes æneis, magnifque Tabulis delineatas, ac notis illuftratas, publici juris fecit, & cùm ob illarum raritatem, atque excellentiam magno haberentur in pretio, illas denuò imprimi voluit Joannes Baptifta Coftagutus Junior, Collegii Illuftriffimorum, & Reverendiffimorum Dominorum Clericorum Cameræ Apoftolicæ Decanus, quique ad præfens meritò Purpurâ decoratus, Eminentiæ titulo gaudet, cuique nos devinctos effe fatemur, cùm uno ex illis exemplaribus noftrum literarium ditaverit Mufæum. Nos enim plura de nova Bafilica tradere jure fugimus, cùm unicè de vetuftis Ecclefiis agere, jam ab initio operis, propofuerimus. Quapropter, ut ad ea, quæ ad nos attinent, revertamur, ab exterioribus antiquæ hujus Ecclefiæ partibus, ad internas, ac fingulares tranfibimus, ab earum digniori, videlicet ab Altari Majori, inchoantes.

SECTIO I.

De Altari Majori S. Petri, & iis, quæ erant in Bafilicæ Abfide, five Tribuna.

1. Stabat jam mole non minùs, quàm cultu fpectabilis Vaticana Bafilica, Conftantinianæ pietati, ac magnificentiæ par opus, cùm in decora nobiliora pius Cæfar incumbens, aram maximam, ad Bafilicæ caput, majori Tribunæ, navique tranfverfæ mediam, excitavit, ut indicatur in Tabul. VII. Ichnographica, fub num. 1. Hanc aram S. Sylvefter marmoream, ftabilemque ædificari fuafit, cùm antea ligneis, mobilibufque in Altaribus celebraretur, ut huc illuc, urgentibus perfecutionum procellis, afportarentur, illamque, Chrifmate facro delibutam, confecravit, juffitque in pofterum, hæc ipfa, in Altarium ftructura, & confecratione, fervari. Quadruplici angulo iftius aræ, quatuor eximiæ fpeciei columnas e porphyrite, appofuit, quæ nobiliffimum argenteum tegmen, five fuggeftum deauratum fulcirent, a quo circumquaque Cherubim turba pendebat.

In hujus Altaris interno finu, Sanctiffimum corpus B. Petri reconditum fuit,

fuit, ex loco humiliori translatum, ubi priùs cum successoribus suis, Lino, Cleto, Anacleto, Evaristo, Xysto, Telesphoro, Higino, Pio, Eleutherio, & Victore dormierat. Argentea theca deaurata sacrum tuebatur depositum, quam muniebat alia exterior ex ære, cuproque firmissima, latitudine, ac longitudine quinque pedes non excedens. E loculi superiori planitie fulgida eminebat Crux, centum, & quinquaginta librarum pondo, ex auro puro, pictoque, in qua nigro charactere hæc scripta legebantur verba:

Constantinus Augustus
Et Helena Augusta
Hanc domum regali simili fulgore
Coruscantem, auro circumdabant.

Vel ut alii scribunt: *Const. Aug. & Hel. Aug. fecerunt.* Totam denique absidem figuris elegantissimis, opere vermiculato elaboratis, ornavit. Absidem hanc temporis diuturnitate collabentem, Severinus Summus Pontifex anno 638. refecit, ut Bibliothecarius, in ejusdem Pontificis vita, narrat: *Hic renovavit absidam B. Petri Apostoli ex Musivo, quod dirutum erat.* Licèt Musivum opus pictura æterna asseri valeat, ut diximus in nostro opere de Vet. Monim. nihilominus irreparabile tempus, suâ longâ annorum serie, omnia etiam durissima saxa immutat, & terit, necnon ad nihilum redigit. Ita hujus absidis Musivo accidisse comperimus, nam Innocentius III. itidem Summus Pontifex illud restauravit, quod postmodum labens Benedictus XII. iterum in pristinam restituit formam, Jotto illorum temporum celebri Pictore, & Musivario, Florentiâ ad hoc peragendum opus evocato, ut narrat Turrigius pag. 62. Quale verò demolitionis tempore antiquæ Basilicæ Musivum fuerit, ex sequenti Tabula XIII. conjicies.

SECTIO II.

De Musivis operibus in Abside, sive Tribuna Vaticanæ Basilica olim extantibus.

SUpramemoratæ Absidis, seu Tribunæ, quæ in laudata Basilica olim erat, in ejusdem Basilicæ Archivo, magno in pergameno coloribus apprimè delineatum, asservatur exemplar, cui in calce apposita est fides publici Notarii, de collatione cum originali factâ, antequam a Xysto V. Pontifice, ut Turrigius narrat, Musivum dirueretur. Absidis præfatæ exemplum diligentissimè delineari fecimus, ac illud in Tab. XIII. sub oculis exponimus, ut Lector curiositati suæ, contemplando, magis indulgere valeat. Ibi in arcûs summitate parva visitur Crux, & juxta illam manus quasi e coelo erumpens, complicatis interioribus digitis, benedictionem, Græcorum more, impartitur. Dixi Græcorum more, nam Græci secundum digitum dexteræ manûs, & tertium secundo junctum, rectos protendunt, licèt tertius leviter, ac paululùm in medio flectatur. Quæ manûs dispositio aliquo modo denotat, & quasi imagine quadam exprimit nomen Jesus; etenim secundus digitus, dum rectus extenditur literam I. denotat, tertius paululum inflexus elementum C. describit; quæ literæ I. C. simul junctæ, ejusdem Jesus nomen, exprimunt. Idem dicatur de pollice, qui si cum quarto jungatur digito, ac paululùm


SCS PAVLVS
HIE
RVSA
LEM
SVMMA PETRI SEDES EST HEC SACRA PRINC
DEVOTVS XPO QVI TEMPLO SERVIT IN


IC
XC
SCS PAVLVS
SCS PETRVS
HIERVSALEM
BETLEEM
SVMMA PETRI SEDES EST HEC SACRA PRINCIPIS ÆDES · MATER CVNCTAR DECOR ET DECVS ECCLESIAR
DEVOTVS XPO QVI TEMPLO SERVIT IN ISTO · FLORES VIRTVTIS CAPIET FRVCTVSQ SALVTIS

pag. 42.

lulùm in obliquo, ſive tranſverſo ſuper hunc imponatur; ex hac conjunctione, quaſi litera X. reſultat. Quintus tandem, ſcilicet auricularis, ſi aliquantiſper flectatur, literam C. figurat, quæ apud Græcos eadem eſt, ac S. Unde ſi X. & S. ſimul jungantur, abbreviatè Chriſti nomen exprimunt. Quare ſic complicatâ manu in benedicendi actu, ut ſcribit Raynaudus de Attributis Chriſti ſect. 4. cap. 9. num. 733. Jeſus Chriſti nomen efformatur. Hanc manûs in benedicendi actu compoſitionem, figurâ expreſsit Dominicus Macrus in ſuo Hiero-Lexico, in voce *Crux*, at contrariam figuræ explicationem appoſuit, dum dixit, quòd pollex cum auriculari conjungitur, & per hos digitos duo alphabeti elementa denotantur, nempe A & Ω. quæ principium, & finis ſignificant. Nihilominus in figura, pollex cernitur cum auriculari conjunctus. Similem manum in marmore cælatam obſervavi in quodam quadrato lapide, *variis* ſacris ornato figuris, in Eccleſia *S. Mariæ* in Aventino, nunc Prioratûs Urbis, qui lapis, ob reſtaurationem ejuſdem Eccleſiæ, ab Eminentiſsimo, & Reverendiſsimo Dom. Cardinali Benedicto Pamphilio ſplendidè factam, extra januam ejuſdem, jacet. Hæc de forma complicandi manûs digitos in benedicendi actu, a Græcis obſervata. Modò ad Latinorum formam me converto. Nos quidem Latini, Crucem dexterâ manu formamus, pollice, indice, ac medio extenſis, ad denotandum Trinitatis myſterium, reliquis verò duobus digitis contractis. Manum in hoc emblemate expreſſam fideliter ad prototypum delineari fecimus, at erratam eſſe putamus, aut ex Pictoris, ſive Muſivarii errore, aut ex reſtauratoris culpa.

Hujus Muſivi area multis ſtellulis diſſeminata cernitur, in medio verò Salvator in throno ſedens, qui dexteram elevatam, in benedicendi actu, complicato pollice cum anulari, tenet: ſiniſtrâ manu librum clauſum ſtringit, qui Librum Vitæ, ſcilicet Electorum, denotat; de quo in Apocalypſi cap. 20. num. 15. *Qui non inventus eſt in Libro Vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*. Et in eodem cap. num. 11. de throno legitur: *Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum.* Conſuevêre enim priſci Fideles multa ex Apocalypſi deſumere, figuriſque adumbrare, ut fuſiùs notavimus in noſtro opere de Veteribus Monimentis cap. 24. Caput diademate ornatum, in quo Crucis ſignum expreſſum eſt, Salvator habet. Diadema enim in eodem cap. 24. Regni, ſive Imperii ſymbolum eſſe etiam diximus; Crucemque in eo expreſſam, nil aliud denotare arbitror, quàm Regnum, mediante Cruce, eſſe acquiſitum. A dextro capitis latere duæ cernuntur literæ, ſcilicet I C; quæ Jeſum ſignificant; in ſiniſtro verò aliæ duæ literæ nempe X C. expreſſæ ſunt, quæ Chriſtum denotant, ut ſupra diximus. Ad dexteram Salvatoris ſtat S. Paulus, pallio involutus, ex quo dexteram emittit, quaſi cum Salvatore colloquens, ſiniſtrâ volumen apertum tenet, in quo legitur: *Mihi vivere Chriſtus eſt*; hac deſumptâ epigraphe ex ejuſdem D. Pauli ep. ad Philipp. 1. 20. A tergo hujus figuræ, perpendiculari ordine, Græcis characteribus, id abbreviatè legitur, ut in Tab. XIII. conſpici poteſt, quod denuò characteribus Latinis, eodem perpendiculari modo, ante faciem Sancti expri-

mitur, nempe nomen, *Sanctus Paulus*. A sinistra verò stat S. Petrus, qui dexteram, quam subtus e pallio elevat, in benedicendi actu tenet, pollicem cum annulari constrictum habens: sinistrâ duas claves pendentes gerit, quæ ligandi, & solvendi potestatis Symbolum sunt. Ex eodem itidem brachio, volumen apertum pendet, in quo legitur: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; quæ ipsa fuit ab hoc Apostolo facta confessio, ut narrat Evangelista Matthæus cap. 16. vers. 16. quæ placuit Magistro, undè illam reportavit responsionem: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*. Quæ verba, ad expressum clavium symbolum, respiciunt. Ante hujus Imaginis faciem, itidem characteribus Latinis, perpendiculari formâ, nomen Apostoli expressum est, videlicet *Sanctus Petrus*, & a tergo Græcis characteribus eodem modo visitur, licèt penultima litera, sive ex Pictoris, sive ex Musivarii culpa errata, cùm loco O, G, utpote etiam ultima S. inverso ordine, expressa sit. Ex earumdem figurarum utroque latere, duæ magnæ Palmarum arbores attolluntur, quas mysterio minimè carere judico, nam Palma Judææ Regionis Symbolum est, ut ex nummis Vespasiani, & Titi argui potest, ubi quædam mulier sub arbore Palmæ sedens, veluti lacrymans cernitur, cum epigraphe: *Judæa capta*. In hoc notat Nummo eruditissimus Antonius Augustinus in suis Dialogis, arborem hanc Judææ attribui, quia Phœniciæ, quæ Palmis abundat, proxima est. Quare hoc in nostro emblemate, Regionem illam denotari puto, in qua Salvator noster D. Jesus Christus natus, & cum hominibus conversatus est. Campus, sive area, sub harum figurarum pedibus, nonnullis tabernaculis, arbusculisque, & figuris in diversis actibus expressis, ornatus cernitur. Diu super eisdem figuris meâ mente revolvi, quid significare valerent, illasque etiam eruditis ostendi amicis, sed nullam iis explanationem appropriari posse existimavimus. Quare potiùs ad Pictoris, seu Musivarii placitum, quàm ad ullum demonstrandum symbolum fuisse expressas, judicavimus. His igitur omissis, ad duos Cervos, qui ad fontes properant, subtus Christi pedes emanantes, me converto. Quales isti sint fontes, sub ipsis scripta nomina indicant, idest *Gion, Phison, Tigris, Euphrates*; qui quatuor illa sunt magna flumina, quæ nos Sacra docet Scriptura Genes. c. 2. e terrestri Paradiso exire. Cervi autem, qui ad dicta tendunt flumina, nonnisi Fideles denotant, ut fusè Beatus Bruno, qui in expositione Psal. 41. *Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum &c.* cùm aliorum antecedentium Patrum auctoritate, sic declarat: *Non immeritò hoc animal comparatum est Fidelibus, est enim primò innoxium, deinde velocissimum, tertiò siticulosum. Serpentes naribus trahit, quos ut voraverit æstuante veneno, ad fontem festinat. Hoc nos admonet, ut quando venena haurimus antiqui serpentis, ad fontem divinæ misericordiæ festinemus. Fons enim semper irriguus est Christus, unde non dixi ad fluenta, quia siccari possunt: fons autem semper fluit. Homo ergo Ecclesiæ, qui diu in*

actu

actu veneno ſo degebat, cùm hunc gratia Dei videns derelinquere cupit, clamat: Quemadmodum *&c. ut pœnitentia ablutus gloriam Dei videat*. Hæc de ſuperiori Muſivi emblematis parte, ſive ſegmento; accedo ad inferiorem.

In hujus medio viſitur gemmatus thronus, non multum abſimilis illi, quem Xyſtus III. in Eccleſia S. Mariæ Majoris appingi curavit; de quo aliqua notavimus in c. 22. noſtri Operis Veter. Moniment. Part. I. In hujuſce throni area, Crux gemmata expreſſa eſt, in cujus pede viſitur veluti pulvinar; ſub Cruce ſtat Agnus diadematus ſuper montem; e cujus pectore, pedibuſque quinque defluunt rivuli in flumen, quod ad montis decurrens radices, deinde per latera expanditur. Symbolum hoc Caſalius in ſuo erudito tractatu de Vet. Sac. Chriſt. Rit. parte prima cap. 1. refert, notiſque illuſtrat, aſſerens quòd ex tempore, quo Crucis ſupplicium in reos, & latrones apud Gentes frequens erat, Chriſtifideles magna circumſpectione Chriſti patientis imaginem Cruci affixi exprimebant, quare hanc exponebant gemmis, margaritiſque ornatam, ut Eccleſia canit;

O Crux ſplendidior cunctis aſtris.

Similem Crucem gemmatam habemus in Eccleſia Sanctæ Pudentianæ, ac in Baſilica Lateranenſi, de quibus ſuo loco diſſeremus.

Ad Crucis pedem ſtat Agnus ſanguinem e pectore effundens in calicem, ex iſto in proximum rivulum defluentem, utpote etiam ſanguis, e pedibus emanans, per rivulos in ſubjectum flumen decurrit. Quæ omnia, nonniſi Chriſti Cruci affixi quinque vulnera ſanguinem emittentia, demonſtrant. In præfata enim Chriſti Crucifixi imagine exprimendâ priſci Fideles fragilitati recentium initiatorum, aliquando indulgere exiſtimarunt, cùm enim ſive ex Judaiſmo, ſive ex Gentilitate, ad Chriſti fidem, converterentur; accidebat, ut ex his multi erubeſcerent Chriſtum Crucifixum uti Deum adorare, cùm eâdem die, vel paulò ante, latronem, aut alîus criminis reum in Cruce pendentem, inſpexiſſent, ut innuit Apoſtolus 1. Corin. 1. *Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*. Supra relatum ſymbolum indicavit S. Paulinus Epiſcopus Nolanus ep. 12. ad Sulpitium ſcribens.

Sub Cruce ſanguinea niveo ſtat Chriſtus in Agno.

Et paulo poſt.

Sanctam fatentur Crux, & Agnus victimam.

Agnus hîc expreſſus, illum Agnum manſuetum repræſentat, de quo Iſaias cap. 53. 7. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum*. Quod etiam his verbis indicavit Præcurſor Joannes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ad hoc igitur hieroglyphicum Innocentius III. Summus Pontifex Muſivi operis reſtaurator, in lib. 4. cap. 44. myſteriorum Miſſæ, reſpiciens, ſic fatur; *Non enim ſolùm lavit nos Chriſtus a peccatis noſtris ſanguine ſuo, quando ſanguinem ſuum fudit in Crucis patibulo, verùm etiam quotidie nos lavat a peccatis noſtris in ſanguine ſuo, quando ejus ſanguinem accipimus in calicis poculo*. Nec durum nobis eſſe debet, quòd fragilitati veterum illorum Fidelium indulgerent Sancti illi Patres circa ritus, qui directè Chriſtianæ Religioni non repugna-

gnarent, quoniam suaviter ad verum cultum erant ii alliciendi, ut innuit Magnus ille Gregorius lib. 9. ep. 71. scribens ab Mellitum Abbatem; sic enim inquit: *Nam duris mentibus, simul omnia abscindere, impossibile esse, non dubium est, quia is, qui locum summum ascendere nititur, necesse est, ut gradibus, vel passibus, non autem saltibus elevetur. Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit; sed tamen eis sacrificiorum usus, quos diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reservavit: ut eis in sacrificio suo animalia immolare præciperet, quatenus &c.* Hinc est quòd plurimi similes ritus, sive Hebræorum, sive Gentium, perseverârunt etiam apud priscos illos Fideles, a Summis Pontificibus, aliisque Sanctis Patribus sanctificati, & in Christianam reducti Religionem, ut in eadem D. Gregorii exprimitur epistola.

Consuetudinem hanc, appingendi Agnum, servatam fuisse deducitur usque ad Conciliabulum Quinisextum, sive Trullanum, celebratum anno 692. vel, ut Petavio placet, anno 707. in quo Can. 82. decretum fuit, ut loco Agni, Christus in Cruce, humanâ figurâ pingeretur. Hæc de præcipuo symbolo in hoc secundo ordine expresso; modò ad alias in eodem contentas figuras devenimus. Ad dexteram throni, quæ est sinistra intuentium, stat Vir, Casulâ, juxta tamen antiquam formam, indutus, Pontificiâ Thiarâ (ex ea pendentibus lemniscis) caput ornatum, ac super humeros pallium gerens: quis iste sit Vir, conjunctæ literæ indicant, nempe *Innocentius Papa III.* qui, ut diximus, hujus Musivi operis restaurator fuit. Consuevêre enim antiqui Pictores in hujusmodi operibus, illius Pontificis effigiem exprimere, qui tale opus construi mandabat. In opposita autem parte, scilicet sinistrâ, stat mulieris effigies, manicatâ veste usque ad talos demissâ, induta, ac super humeros birrum, vulgò *Mozzetta* deferens; caput quodam byreto, veluti Ducali coronâ, redimitum habet: in dextera manu hastam, in summitate Cruce insignitam, gestat, ad cujus pedem vexillum volitat, in quo duæ claves expressæ cernuntur; alterâ verò manu librum ad pectus stringit. Quid per hanc denotetur figuram, appositæ ibi literæ demonstrant, scilicet *Ecclesia Romana*: prope, & a tergo hujusmodi figurarum, duæ attolluntur arbores, quæ potiùs Palmam, quàm aliam plantam repræsentant; rami ita sunt dispositi, ut ellypsim, scilicet ovalem formam exhibeant; in cujuslibet medio stat avis, cujus autem sit generis, ob illius parvitatem discerni minimè potest.

Quid arbores hic depictæ, avesque ibi stantes significent, difficile admodum redditur explicatu: diu etenim quæsivi, sed nil adinveni; existimavi propterea, has arbores, & aves, sicuti in superioris partis area de tabernaculis, aliisque figuris dixi, ad Pictoris, sive Musivarii placitum, atque ornatum expressas fuisse.

In hujus inferioris partis extremitate, dexteroque loco respectu Salvatoris, quædam visitur civitas, quæ Hierusalem repræsentat, ut conjunctæ denotant literæ. Pendentes lampades sunt in summitate arcûs portæ, in hujus medio stat Agnus, sive ovis exitura, quam aliæ quinque præcedunt. In opposita verò, sive sinistra parte, eædem cernuntur figuræ, nomine tantum civitatis discrepante, cui Bethleem appositum

tum fuit. Quid per civitates, quidque per lampades istas antiqui Patres ostendere voluerint, diximus in nostro opere de Veter. Monim. par. 1. cap. 21. ad quod benignum Lectorem remittimus. Supereſt modò de Agnis, sive ovibus aliquid exponere. In Sacra Scriptura novi Test. apud dilectum Christi Discipulum, veritatisque Scriptorem D. Joannem cap. 21. 15. habeamus, quòd Jesus dixit Petro: *Simon Joannis diligis me plus his?* Respondit Petrus: *Tu scis, quia amo te*: & Jesus, ut priùs, subjunxit: *Pasce Agnos meos*; Tertióque Jesus interrogavit Petrum, an eum amaret, Petrusque respondit: *Domine tu omnia nostri, tu scis quia amo te*; & Jesus dixit: *Pasce oves meas*. Igitur per Agnos, & oves, Fideles denotantur. Idem confirmat B. Eucherius Lugdunensis Episcopus, qui floruit in principio quinti sæculi lib. 1. cap. 4. prope finem Formularum Spiritualium; hic per oves asserit, Populos fideles denotari, de quibus in Evangelio Joannis 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*. Agni enim Christum, vel Apostolos, aut Sanctos significant. Durandus verò in suo Rationali Divin. Officior. lib. 1. cap. 3. num. 10. describit varias mysticas formas appingendi Apostolos, inter quas sub forma duodecim ovium aliquando expressos fuisse, affirmat, quæ præsenti Musivo operi adaptatur. Et hæc satis de illius explicatione. Epigraphen sub eodem appositam referre supervacaneum duco, cùm in exemplari legi commodè possit. At ut Lectori magis innotescat nostri animi candor in his concinnandis operibus, & in illis describendis, suprarelatam fidem a Notario publico exaratam, de collatione exemplaris cum originali, antequam istud dirueretur facta, apponimus, quæ tenoris est sequentis.

In nomine Domini Amen.

Per hoc præsens publicum descriptionis Cappellæ Sanctorum Petri, & Pauli instrumentum, cunctis pateat evidenter, & sit notum, quòd anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, Indictione quinta, die verò tertia Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ Octavi anno ejus primo. In mei Notarii publici, testiumque infrascriptorum ad hæc specialiter vocatorum, & rogatorum præsentia, præsens, & personaliter constitutus R. D. Marcus Antonius de Magistris Canonicus, & ad præsens alter ex majoribus Sacristis Basilicæ Sancti Petri de Urbe, requisivit me Notarium, quatenus ex Cappella, seu Tribuna existente supra Altare majus Basilicæ Sancti Petri subtus Cuppulam magnam dictæ Basilicæ, quæ Tribuna modò demolitur, describerem statum, & inscriptiones, quæ ibi reperiuntur; unde ego Notarius, tamquam obedientiæ filius, ad dictam Cappellam, seu propè illam, unà cum infrascriptis testibus, me contuli, & unà cum eisdem testibus legere scientibus, dictam Cappellam, seu Tribunam diligenter vidi, inspexi, literasque in eis descriptas perlegi, prout etiam infrascripti testes viderunt, inspexerunt, & perlegerunt. In primis in summitate dictæ Cappellæ, seu Tribunæ adest imago Sanctissimi Salvatoris in throno sedentis ex Musaico confecti, ad cujus dexteram est imago Sancti Pauli habentis in manibus librum cum his verbis, videlicet: Mihi vivere Christus est; *& a finistris imago S. Petri etiam ex Mu-*

Musaico confecti habentis in manibus librum, cum his literis, videlicet; Tu es Christus Filius Dei vivi. *Subtus dictas imagines ad manum dexteram, apparet etiam ex musaico confecta imago Innocentii Papæ Tertii, cum pallio, & Regno, & a sinistris Ecclesia Romana, in persona muliebri, habens in manibus crucem cum insigniis, in quibus adsunt claves extensæ, etiam ex Musaico confectæ. Subtus dictas picturas, seu imagines Sanctissimi Salvatoris, & Sanctorum Petri, & Pauli: adsunt etiam ex Musaico confecti duodecim agni, & in medio illorum est agnus cum diademate etiam ex Musaico confectus. In capitibus, & extremitate laterum dictæ Cappellæ, adsunt ex Musaico confectæ Civitates, Hierusalem ad manum dexteram, & a manu sinistra Bethleem, cum literis id dicentibus etiam ex Musaico. Ab imagine Sanctissimi Salvatoris, & Agni diademate ornati, profluunt flumina, videlicet Gion, Phion, Tigris, & Eufrates. Subtus supradictas imagines, & picturas adsunt ex Musaico, in literis majusculis confecta hujusmodi carmina, videlicet*: Summa Petri sedes est hæc sacra Principis ædes, Mater cunctarum decor, & decus Ecclesiarum. Devotus Christo, qui Templo servit in isto, Flores virtutis capiet, fructusque salutis. *Quæ omnia ego Notarius, & testes infrascripti vidimus, & diligenter inspeximus, super quibus omnibus, & singulis præmissis petitum fuit a me Notario publico infrascripto, ut unum, vel plura, publicum seu publica conficerem instrumentum, & instrumenta, prout opus fuerit. Actum Romæ ubi supra, præsentibus ibidem, audientibus, & intelligentibus his, videlicet R. D. Tiberio Alfarano Presbytero Hieracen. Clerico dictæ Basilicæ, D. Joanne Fabri Presbytero Aretino, & D. Joanne Bugino Romano, testibus ad præmissa omnia, & singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis.*

Et ego Quintilianus Gargarius Notarius Capitolinus, de præmissis rogatus, præsens publicum instrumentum, alienâ manu fideliter scriptum subscripsi, & publicavi, signumque meum apposui solitum, & consuetum.

Loco ✠ Signi.

SECTIO III.

De Confessione D. Petri.

2. POst Aræ majoris, Absidisque descriptionem, inferiùs descendendi occasio se præbet, eum in locum, qui D. Petri Confessio, ab Ecclesiæ incunabulis, usque ad hæc nostra tempora meritò vocitatur; quoniam ibi, ut Severanus de septem Urbis Ecclesiis, nonnullorum veterum Scriptorum testimonio, ostendit, Apostolorum Princeps Evangelicam veritatem, Christianamque Fidem publicâ confessione, ac Martyrio asseruerit, & confirmaverit. Parvulam hîc ædem olim Christiana pietas extruxit, ut Apostolicæ fortitudinis, fideique memoria in ipsis sedibus, ubi enituit, perennaret. Ad locum hunc, veluti ad Ecclesiæ fundamentum, stabilemque petram peregrini Fideles a toto Terrarum Orbe venerabundi accedebant, divinisque mysteriis, necnon Sacramentis reficiebantur. Ædiculam hanc, quæ in eadem Tab. VII. sub num. 2. demonstratur, B. Petri in dignitate, ac sanctitate Successor Anacletus ampliavit, exornavitque; ut ex Pontificali libro, ac hujus Pontificis vita deducitur, ubi legitur;



pag·49·

tur: *Hic memoriam B. Petri construxit, & composuit, dum Presbyter factus fuisset a B. Petro*. De hoc loco, ac alio, ubi Doctor Gentium S. Paulus sepultus fuit, Cajus, sive Gajus Theologus, qui temporibus Zephyrini Pontificis, scilicet anno 205. vixit, teste Eusebio lib. 2. cap. 25. sic loquitur: *Ego verò Apostolorum tropæa possum ostendere, nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt*. Per tropæa laudatus Cajus memoriam intelligere voluit, scilicet Apostolorum sepulchra, quæ tropæa appellavit, tamquam victoriæ signa de Christianæ fidei subactis hostibus.

De hujusmodi memoriis Optatus Milevitanus, qui anno 368. floruit lib. 2. pag. 38. sic loquitur: *Ecce præsentes sunt ibi duorum memoriæ Apostolorum. Dicite si ad has ingredi potuit, ita, ut obtulerit illic, ubi Sanctorum memorias esse constat*.

Quum feliciora sæcula Christianæ illuxere Reipublicæ, regimenque Terrarum Constantinus Augustus excepit, Basilicam capacioris molis, Cæsareâ magnificentiâ, a fundamentis erectam, veteri ædiculæ circumduxit, ipsamque Confessionem, prodigâ in Principem Apostolorum liberalitate, ornamentis quibusvis, donariis pretiosissimis, redditibusque locupletavit, quæ omnia in hujus Dissertationis calce paginâ 99. apponam.

Tanta fuit apud omnes omni tempore Confessionis prædictæ sanctitas, ut Imperatores, Regesque pacificè Romam accedentes, post exteriores Basilicæ gradus flexo genu superatos, (de quibus jam supra disseruimus) sepulchrum B. Petri pari modo adirent, ibi sceptra, & diademata venerabundi deponerent, seque, & sua Regna Principi Apostolorum offerrent, ac subderent; ut ex variis Auctoribus collegit Paulus de Angelis in suis Adnotationibus ad Descriptionem Veteris Basilicæ Vaticanæ n. 51. Plerique etiam Peregrinantium, cùm in sacri hujus arcani foribus adessent, pio quodam horrore correpti, trementesque ingredi ulteriùs præ religione non audebant. Porrò has fores ad sæculi duodecimi finem Innoc. III. cancellis æneis obseravit, cum Icuncula Salvatoris coronata, mysticis hinc inde sacrorum Evangelistarum figuris, Homine, nempè, Bove, Leone, & Aquilâ expressis, ut refert Turrigius de Crypt. Vatican. parte 2. cap. 8. pag. 463. & ipse vidi, licèt aliquâ ex parte dilapsa sit. Salvatoris etiam imago pulcherrimi Musivi operis in quodam loculamento cernitur intùs Confessionem, cujus Iconem, cùm paucissimis sit conspicua, exhibeo in Tab. XIV.

Non abs re erit, si ab instituta oratione aliquantisper deflectam; nam nonnulli Latinæ Linguæ Professores, Servatoris vocem, ab aliquibus pro Salvatore usurpari observârunt, cujus vocis etymon assignat, Latinæ Græcæque Linguæ peritissimus Paulus Manutius in Act. 2. lib. 2. in Verrem, ubi: *Quo patet communis error eorum, qui Jesum Christum Servatorem appellant. Aliud enim est servare, aliud salutem dare. Servat is, qui ne salus amittatur, aliquâ ratione præstat; salutem dat, qui amissam restituit; quòd si Servator non est Soter, quia minus valet, necesse est Salvatorem appellare, quòd σωτὴρ græcè dicitur, usurpato in re nova novo verbo, quod veteres quoque probarunt*. Paulum se-

ſequutus eſt Angelus Rocca in ſuis obſervationibus Linguæ Latinæ in cap. *Delle oſſervazioni intorno alle regole del comporre le Piſtole latine*, in principio. At unde diſceſſit oratio eò revertatur.

Ipſi Romani Pontifices, cùm ad præfatam Confeſſionem proceſſiſſent, ac ſi B. Petro cederent, cæteriſque, & Populo fierent æquales, veluti depoſitâ Paſtoris auctoritate, ſupremo præſente Principe, ſe coargui patiebantur; quod faſſus fuit Sanctus Gregorius Magnus, cùm dixit: *Si quis nos redarguere velit, veniat ad Sedem Apoſtolicam, ubi ante Confeſſionem mecum juſtè decernet*: ex Ms. Bibliothecæ Vaticanæ. Ac Sanctiſs. Pontifex Leo III. qui ab inimicorum calumniis, coram Synodo, hac in eadem Baſilica habitâ, ſe purgare volens, Ambonem aſcendit, & in hunc modum, ut refert Baronius ad annum 800. n. 7. faſſus eſt: *Notæ res eſt, fratres chariſſimi, malos adverſùm me homines inſurrexiſſe, meque, ac vitam meam graviſſimis criminibus infamaſſe. Cujus rei cognoſcendæ gratià Clementiſſimus hic, ac Sereniſſimus Rex Carolus, unà cum Sacerdotibus, & Principibus ſuis in hanc Urbem ſe contulit. Quamobrem ego Leo Pontifex S.R.E. a nemine judicatus, neque coactus, ſed meà voluntate impulſus purgo me, præſentibus vobis coram Deo, & Angelis ejus, qui conſcientiam novit, & B. Petro Principe Apoſtolorum, in cujus conſpectu conſiſtimus, neque ſceleratas res, quas mihi objiciunt, perpetraſſe, neque perpetrari juſſiſſe, Deum teſtans, in cujus judicium venturi ſumus, & in cujus conſpectu conſiſtimus. Et hoc facio non legibus ullis obſtrictus, neque hanc conſuetudinem, aut decretum in Sancta Eccleſia Succeſſoribus meis, & fratribus Coepiſcopis imponere cupiens, ſed ut certiùs iniquis vos ſuſpicionibus liberem*.

In hac denique Confeſſione quibuſvis ætatibus, tam Pallia, quæ Patriarchis, & Archiepiſcopis, ac etiam nonnullis Epiſcopis in ſignum plenitudinis Pontificalis officii mitti conſueverunt, quàm etiam quædam Sanctuaria, Patrocinia, & Brandea, ac etiam Palliola, ſive vela, ſic diverſis nominibus appellata immitti antiquitùs mos fuit, qui mos, ſive ritus ſic peragebatur.

In ædicula, quam Confeſſionem dicimus, ac pavimenti medio aperiebatur quadrangulare foramen, vel Billicum, ut Bibliothecario placet, qui inter egregia Benedicti III. opera, opertum fuiſſe ab hoc Pontifice enarrat, trilibri laminâ ex auro puriſſimo. Sanctus verò Germanus in Epiſtola ad Hormiſdam Pontificem, primam cataractam appellat, cùm inferiori alteri reſponderet, quæ propior corpori Apoſtolico patebat, & cataracta ſecunda vocitabatur. Per hæc igitur duo foramina, ſeu cataractas, lanea, quæ diximus, ſubalbi coloris Pallia, quatuor crucibus brevioribus, antiquitùs rubeis, poſtea nigris coloribus diſtinctis, in loculum corporis B. Petri manu Presbyterorum demittebantur, unde brevi recepta, ſuetis, piiſque cæremoniis Summus Pontifex conſecrabat. Hæc deinde Patriarchis, Archiepiſcopis, nonnulliſque de Apoſtolica Sede optimè meritis Epiſcopis, in pretioſiſſimum munus, & poteſtatis pleniſſimæ, dignitatiſque argumentum, & inſigne tradebantur. Et adhuc hodie mos iſte obſervatur, concipiturque Pallii traditio his fermè verbis: *Ad honorem Dei omnipotentis, & Beatæ Mariæ Virginis,*

nis, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Domini Nostri N. Papæ N. & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, necnon N. Ecclesiæ tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de corpore B. Petri sumptum, plenitudinem videlicet Pontificalis officii, ut utaris eo infra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis. Si quis verò de Archiepiscopali Pallio, & de ejus benedictionis ritu, ac forma, plura desideret, adeat Nicolaum de Bralione, qui peculiarem super hoc edidit Tractatum.

Quod verò, veluti prodigiosum, luculentumque de supranarratis Sanctuariis seu Palliolis fidem excedit, legitur apud D. Gregorium Turonensem lib. 1. cap. 28. de glor. mart. Palliola nempe in sacrum Sarcophagum immissa, quasi spiritali, & Apostolicâ quadam virtute imbuerentur, magis, minùsque gravia pro petentium, & orantium pietate, ac fide inde elevari observatum olim fuisse.

3. 4. In extremo pariete suprà memoratæ absidis, idem Religiosissimus Cæsar Romani Pontificis sedem, seu thronum marmoreum, Musivis signis ex auro, & cælaturis mirabile sublimavit, ac utrumque prædictæ sedis, sive throni Pontificii latus idem Imperator sedilibus humilioribus, sed marmoreis, & elegantibus, circumsepsit, in commodum, honoremque Sacerdotum Pontifici ministrantium, dum sacra Deo super Altare B. Petri peragerent.

SECTIO IV.

De Altaribus, Oratoriis, & aliis, quæ erant in transversa Basilicæ Navi.

5. ANte frontem Aræ maximæ, quam descripsimus, duodecim columnæ surgebant, e Pario marmore elegantissimæ, quas Constantinus, ut scribit Alpharanus, e Templo Salomonis evectas, ut Sanctuarium constituerent, inibi collocavit; earum autem uni tantam Christus Dominus adhærendo, dum prædicabat, virtutem contactu ipso impressit, ut immundos illicò spiritus, vel reprimeret, vel fugaret. Has quoque columnas consultissimus Princeps, ferreis undequaque cancellis, auro coruscantibus, circumsepsit. Turrigius verò sæpè laudatus pag. 283. asserit, duodecim istas columnas Romam delatas fuisse ab Hierosolymis, vel, ut alii putant, a Græcia, e Dianæ Ephesinæ templo, Constantini Magni Imperatoris tempore. Nunc octo ex illis in pilarum loculamentis, quæ Tholum sustentant, binæ & binæ collocatæ fuère. Earumdem columnarum antiquus situs, in Tab. VII. Ichnograph. sub n. 4. indicatur. Aliæ duæ similes columnæ in præsentia in Cappella S. Mauritii, vulgò Sanctissimi Sacramenti appellatâ, ad dexteram ingressûs, visuntur.

Sanctiss. Pontif. Leo IV. argenteam Salvatoris throno insidentis imaginem, super hisce imposuit columnis, duobus hinc inde Angelis, ac insuper duodecim Apostolorum, & aliorum viginti Sanctorum imaginibus, magnitudine, materiâque argenteâ mirabilibus, ordine bipartito thronum stipantibus. Intra

hæc columnarum septa BeatissimusPapa Gregorius III. trium supra nonaginta Episcoporum Concilium coegit pro sanctarum Imaginum cultu, quas impius Cæsar Leo Isaurus impugnabat, quem, uti cæteros pervicaces, anathemate feriit, & alienum a corpore, & sanguine D. N. Jesu Christi, & Ecclesiæ totius unitate esse decrevit, ut Bibliothecarius in ejusdem Pontificis vita testatur. Ciaconius verò Concilium prædictum in Lateranensi Ecclesia celebratum fuisse afferit; quo teste, ignoro. Scio tamen, pro Vaticano Concilio militare marmoreæ tabulæ fragmentum, quod adhuc in Basilicæ cryptis asservatur, in quo incisa pars Bullæ legitur hoc in eodem Concilio a dicto Beatissimo Pontifice Gregorio editæ. At motum hoc dubium dilucidari potest, si asseramus, supra laudatum Pontificem, Romæ duo celebrasse Concilia; alterum in Laterano, alterum in hac Vaticana Basilica: in primo celebrato Anno 731. actum fuisse de causa Gregorii Apostolicæ Sedis Legati, qui epistolam Leoni Imperatori, humano terrore motus, minimè porrexit. Quare cùm in hoc ageretur Concilio de causa privati hominis, ipsum Concilium in Lateranensi Palatio habitum fuit. In secundò verò cùm ageretur de causa Fidei, videlicet de confirmanda antiqua Patrum traditione circa Sacrarum Imaginum usum; ideò ante B. Petri corpus fuisse celebratum, de quo etiam infra in cap. de Subter. part. Vat. Basil. n. 9. ubi præfatæ Bullæ fragmentum afferetur, differemus.

6. Lateri dextero anteriori columnarum, eximium Candelabrum, ponderis magni Cereum, semper ardentem, sustinebat, ut in num. 6.

7. Prope hoc candelabrum, ut in num. 7. magnum erat marmoreum suggestum, *Ambo* dictum, supra quod Verbum Dei, & Sacrosanctum Evangelium altâ voce Populo annunciari solebat.

Sed modò ulterius procedere, & scitu permulta dignissima intra hanc Basilicam, graphicâ descriptione prosequi, necesse est.

8. Ab Aris igitur, quæ post ferream cratem, seu cancellos superiùs descriptos, hinc inde sequebantur, ordiamur. In primis autem a dextris Altaris majoris alterum stabat altare D. Xysto I. Pont. Max. Martyrique sacrum, ut in num. 8. Hoc Paschalis I. Papa excitavit, tegimenque mirificum e marmore, Musivis, auratisque figuris ornatum, & quatuor columnis suffultum, superiùs obduxit. Inferiùs verò ejusdem B. Pontificis corpus, e Cœmeterio Callisti, honorificâ pompâ tumulavit, cui post ævi non exigui lapsum sociata fuere corpora SS. Fabiani I. & Sergii II. ut ex epigraphe tumuli, liquidò constabat.

Non longè ab hoc altari jacebant corpora Sanctorum Peregrini Episcopi, & Martyris, & Ceduvallæ Anglosaxonum Regis exuviæ; quorum prior in Gallia Præfectus, jussu ejusdem B. Xysti I. nutantes ob immanis persequutionis metum Fideles, verborum pariter, & exempli efficaciâ firmavit, roboravitque. Alter verò Christianam Religionem amplexatus, in hac Sacrosancta Basilica lustrali aquâ mundatus a Sergio I. Pontifice sanctitate celeberrimo, in Apostoli reverentiam, Petri nomine est insignitus, brevique intervallo obdormiens in Domino, in eadem Basilica sepultus fuit, de quo plura scri-

ſcribit Smitheus in Hiſtor. Eccleſiaſt. de Geſtis Anglorum lib. 2. cap. 6.

9. Huic altari a ſiniſtris aliud reſpondebat, pulcherrimum certè, & ſumptuoſum, cui oſſa Sacratiſſima Apoſtolorum Petri, & Pauli nomen fecêre, quæ a Beato Sylveſtro in Eccleſiæ conſecratione, eodem prorſus loco ſupra lapidem e Porphyrite quadrangularem ibi aſſervatum, diviſa fuiſſe fama eſt. Cùm enim in Baſilicæ conſecratione B.Petri ſacra oſſa ab oſſibus Coapoſtoli Pauli diſtingui neutiquam poſſent, indicto jejunio, & oratione, cælitus reſponſum fuit, majora eſſe oſſa Prædicatoris, minora verò Piſcatoris. Atque ita ſanè ſeorſim a ſeſe mutuò oſſa ſeparata fuêre, ſuiſque in Eccleſiis poſita. Ita ſcribit Joannes Beleth. in explicat. Divin.Offic. cap. 138.

Lapis autem iſte, in Veteris Baſilicæ demolitione a Julio II. facta, ad ejuſdem Baſilicæ calcem, prope Portam Sanctam, translatus fuit, ut videre eſt in Tab. XVII. ſub lit. D. Idem poſtea lapis ſacris in Cryptis fuit collocatus. Denique Anno 1639. Franciſcus Cardinalis Barberinus ejuſdem Baſilicæ Archipresbyter Sacrarum memoriarum diligens perſcrutator, ac ſervator, lapidem hunc e Cryptis in novam Baſilicam aſportari, ac paraſtatæ, ad dexteram ingredientium, affigi fecit, ubi in præſentia aquæ luſtralis, ſive benedictæ vas poſitum eſt. Hujus translationis tempore, in quodam ejuſdem marmoris loculo, nonnullæ reliquiæ cum duobus incenſi granis incluſæ, repertæ fuêre, quas ex oſſibus SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ac S. Sylveſtri fuiſſe nonnulli putârunt; ut narrat laudatus Turrigius in ſuis Trop. Rom. cap. 23.

In honorem deinde amborum Apoſtolorum idem altare reſtituit, ac elegantiſſimè ornavit, ampliſſimiſque redditibus auxit, tribus Clericis inſtitutis, qui Choro jugiter, ſedulòque inſervirent, Franciſcus S. R. E. Cardinalis de Tibaldeſchis tit. S.Sabinæ, cujus cineres propiùs jacebant cum majorum ſuorum cineribus, inter quos potiſſimùm fratris Theobaldi Cardinalis.

Venerabilem hanc Aram reddiderant privilegia ſeptem Altaribus a Pontificibus Maximis impertita. Quæ olim hujuſmodi gaudebant privilegiis, præter hoc memoratum, erant Altare S. Leonis Papæ, Sanctor. Proceſſi & Martiniani Martyrum, B. Mariæ Virginis Greg. III. poſtea Innocentii VIII. denominatum, SS. Sudarii, Altare Mortuorum appellatum, juxta portam Argenteam; Septimum denique Spiritus Sancti, quod in nomen poſtea S. Annæ tranſivit, prædictæ portæ proximum. Quicumque autem ſeptem has aras, eâ quâ par eſt reverentiâ, ac pietate, quovis tempore viſitaſſet, omnes omninò Indulgentias conſequebatur, quæ ſeptem Urbis Eccleſias, tam frequenti Fidelium copia, celeberrimas reddunt; quin feſtis diebus eæ omnes in quovis Sacroſanctæ hujus Baſilicæ altari in duplas, triplicataſque excreſcebant, ut Alpharanus narrat.

10. Medium inter Altare deſcriptum, & Aram maximam anguſtum oſtium, ut in dicta Tab. VII. n. 10. ducebat in Polyandrum a tergo ſubtus Abſidem, Confeſsionem circumiens, Sanctorum Pontificum loculis, cineribuſque refertum, fœminis inacceſſum, exceptâ ſecundâ feriâ poſt Pentecoſtem, qua die ab eodem, ſub excommunicationis poenâ viri arcebantur.

In-

11. Ingredientes autem a finiſtris per illud oſtium, exibant a dextris per aliud eidem parallelum, ſcilicet æqualiter diſtans, ut num. 11. quod Alpharani adhuc ſupererat ævo. Prope hoc ſalutis anno MDXLV. Polyandrum alterum, ſeu ſepulchrum exciſum fuit, ubi Sanctorum omnium per Baſilicam quieſcentium corpora, e loculis propriis eruta, conderentur.

12. Contigua quoque prædictæ januæ e pariete, urna extabat marmorea capaciſsima, plumbo, ferroque circumducto munita, ut num. 12. In hac cùm requieſcere crederetur B.Sylveſtri corpus, in Eccleſiæ demolitione cadaver cum infula Pontificia inventum, abſque ulla Inſcriptione, eodem modo, quo per plurima ſæcula jacuerat, relictum fuit.

13. Juxta prædictam urnam, in Occidentem in Baſilicæ muro, aperiebatur vetuſtiſsima janua, ut num. 13. & in Eccleſiam, Monaſteriumque S.Martini præbebat iter, de quo ſuo loco nobis agendum erit.

Sub præfatæ januæ pavimento plurimi erant Pontificum, virorumque maximorum loculi, e vario marmore, in quorum nonnullis Regum exuvias, cum aureo ſyrmate, Regnique inſignibus penè incorruptis invenêre, qui ſarcophagos reſerârunt. Sed non ſolùm ſub exiguo ſpatio hujus pavimenti, verùm per totam Baſilicam, præcipuè ſub iſta tranſverſa navi, penè innumera Sanctorum Virorum, ordinis cujuſcumque, Sanctarumque depoſita reperta ſunt, quæ omnia piiſsimè venneratus Julius II. Pont. Max. in excitanda novæ Baſilicæ mole, intacta prorsùs reliquit.

14. Præterea januæ jam dictæ conterminum erat altare, ut n.14. S.Leoni IV. Pont. ſacrum, vetuſtate, venuſtateque, & præſertim Icone Beatæ Mariæ Virginis clariſsimum, ſummæque religionis. In hoc olim Paſchalis Papa II. quatuor Sanctorum Pontificum corpora, nempè Leonis I. II. III. & IV. quam maximâ pompâ recondidit. Quorum primum cùm Sergio I. Pontifici occultum eſſet, tandem ab eo in hujus Baſilicæ Sacrario repertum fuit. In Eccleſiæ autem veteris, necnon Altaris iſtius demolitione, ſacra hæc ibi quieſcentia Sanctorum pignora, ne minimùm quidem, loco dimota fuère.

Quin imò cum anno Salutis 1580. Gregor. XIII. Baſilicæ pavimentum coæquaſſet ſub prædicti Altaris baſi, eadem corpora marmoream intra concham optimè obſignatam, maximâ animi alacritate, reperiit, ſuamque in Sanctiſſimos Prædeceſſores devotam mentem teſtatus eſt, extructo ſuper urnam ſacello, fornicis artificio, cultûſque decore, elegantiſsimo, in quo, & Euchariſtica myſteria confici commodiùs poſſent, & a Populis inſpectari. Demum hujus ſæculi exordio per Paulum V. Pontificem in aliud Altare Deiparæ de Columna (ſic vulgò appellatum) ſolemni proceſsione translata ſunt. Quod totum liquidò patet ex lapide charactere grandiori exarato, prioríque, quo jacuerant corpora, loco, repoſito.

Ad hujus etiam Aræ radices latebat urna ſepulchralis Rainaldi de Urſinis S.R.E. Cardinalis tit. S. Hadriani, & Vaticanæ Baſilicæ Archipresbyteri, qui florebat ann. 1370. quam grandis tabula e marmore claudebat, ubi non ſolùm ſimillima effigies Cardinalis præ-

prædicti cælata erat, sed & vita, moresque metrica hac inscriptione:

Mitis, & affatu dulcis, censuraque morum,
Iratus vitiis, placidus virtutibus, æquus
Omnibus, Ecclesiæ speculum, lux unica Romæ,
Unica lux Latii, Sydus, radiusque Senatus
Cardinei: dedit huic titulos Hadrianus honoris,
Vita inopum spes, ac Ursinæ gloria gentis
Egregiæ Rainaldus humo requiescit in ista,
Corpore, sed cælo meliori parte sereno.

Non absimilis magnitudine, ac specie sepulchrali huic Tabulæ, alia effossa olim fuit in proximo sacello, in qua trium orationum fragmenta legi vix poterant, quas admirabilis, celeberrimæque sanctimoniæ Pontifex Gregorius III. in suæ ipsius animæ suffragium dicendas instituit. Has referemus infra Sect. XV. *De Partibus Subterraneis, sive Cryptis*, num. 16.

15. Aram hanc S.Leonis, seu Oratorium, alterum excipiebat Hadriani I. in quo Sedes, aut Cathedra S. Petri servabatur, pellucido marmore operta, variis, ac mysticis Musivis affabrè coagmentatis, candorem lapidis discriminantibus. Verùm non modò Cathedrâ B. Petri, sed ejusdem Hadriani corpore conspicuum fuit, maximoque cultu habitum, ut appensæ quaquaversum tabellæ votivæ fidem adstruebant, & celeberrimum epitaphium a Carolo Magno tabulæ satis amplæ e Numidico lapide incisum, quod postmodum Gregorius XIII. ante Basilicæ januas translatum parieti affixit, ac sic se habet:

Hic Pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclytus auctor
Hadrianus requiem Papa beatus habet:
Vir, cui vita, decus, pietas, lex, gloria, Christus,
Pastor Apostolicus, promptus ad omne bonum;
Nobilis ex magna genitus jam gente parentum,
Sed sacris longè nobilior meritis:
Exornare studens devoto pectore Pastor
Semper ubique suo Templa sacrata Deo,
Ecclesias donis, populos & dogmate sancto
Imbuit; & cunctis pandit ad astra viam:
Pauperibus largus, nulli pietate secundus,
Et pro plebe sacris pervigil in precibus:
Doctrinis, opibus miris erexerat arces,
Urbis caput Orbis honor inclyta Roma tuas;
Mors cui nil nocuit, Christi quæ morte perempta est,
Janua sed vitæ mox melioris erat.
Post Patrem lacrymans Carolus hæc carmina scripsi,
Tu mihi dulcis amor, te modò plango Pater.
Tu memor esto mei: sequitur te mens mea semper,
Cum Christo teneas regna beata Poli.
Te Clerus, Populus magno dilexit amore,
Omnibus unus amor, optime Præsul, eras.
Nomina jungo simul titulis, charissime, nostra,
Hadrianus, Carolus, Rex ego, tuque Pater.
Quisquis legas versus, devoto pectore supplex
Amborum mitis, dic, miserere Deus.

Hæc

Hæc tua nunc teneat requies, chariſſime, membra,
Cum Sanctis anima gaudeat alma Dei.
Vltima quippe tuas donec tuba clamet in aures,
Principe cum Petro ſurge videre Deum.
Auditurus eris vocem, ſcio, Judicis almam;
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tum memor eſto tui nati, pater optime, poſco,
Cum Patre, dic, nunc pergat & iſte meus.
O pete Regna Pater felix cœleſtia Chriſti:
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum Sol ignicomo rutilus ſplendeſcit ab Axe,
Laus tua, Sancte Pater, ſemper in Orbe manet.
Sedit Beatæ mem. Hadrianus Papa annos XXIII. M.X. D.XVII. obiit VII. Kal. Jan.

16. Ulteriùs hinc procedentibus oculos primò rapiebat ſepulchrum Urbani II. ut num. 16. juxta paraſtatam in Occaſum, opificio certè, ac materie nulli ſecundum.

17. Sacellum inde antiquiſſimum, figuriſque Muſivis inſigne in hujus tranſverſæ crucis angulo, ut num. 17. versùs Auſtrum tollebatur, erectum a Paulo I. Pont. ſub denominatione Deiparæ, vulgò *de' Cancelli*, ſive *dell' Oratorio*, nam æneis undequaque cancellis circumvallatum Laicos arcebat, & præcipuè fœminas, quibus omninò inacceſſum erat; nec immeritò, cùm illuc e plurimis Suburbanis, Urbaniſque Cœmeteriis innumera Sanctorum corpora congeſta fuerint ab eodem Pont. Paulo I. ubi poſtea & ipſe cùm in Baſilica S. Pauli deceſſiſſet, poſt trium menſium ſpatium, a Civibus, Proceribuſque Romanis, naviculâ per Tyberim deportatus, maximo cum honore, in tumulo a ſe conſtructo, Muſivoque opere ornato, conditus fuit. Ejuſdem ante ſacros cineres, quos impensè adhuc vivens coluerat Joan. XV. ut prope poſt mortem jaceret, ſub iſtius Aræ anteriori pavimento, ſepulchrum ſibi effodit.


18. Aliud etiam Sacellum præfato proximum, ut in num. 18. habuit Beatiſſima Virgo, cui peculiaria beneficia prægnantibus fœminis præſtita, Sanctæ Mariæ de Prægnantibus nomen fecêre; quod etiam denominatum fuit Sanctæ Mariæ Angelorum. Hoc autem, licèt ætate, priori multùm cederet, operis tamen elegantiâ non cedebat, cùm illud a fundamentis erexerit, & ornatu clariſſimo nobilitârit eximium Urſinæ familiæ decus Joannes Cajetanus Urſinus S. R. E. Diaconus Cardinalis S. Theodori: deinde Jordanus etiam Urſinus Epiſcopus Sabinenſis S.R.E. Cardinalis, ac Vaticanæ hujus Baſilicæ Archipresbyter prodigâ munificentiâ reſtituit, dotavitque multùm.

19. Idem Altare in demolitione facta a Julio II. translatum fuit, ac poſitum in novo muro ad Navium capita erecto, ut in Tabula XV. litera G. indicatur.


Medium verò inter has Aras ſublimis tenebat janua ad Meridiem, per quam erat aditus e Vaticana Baſilica ad Eccleſias S. Andreæ, S. Petronillæ, & S. Mariæ de Febribus.

20. Januæ jam dictæ finitimum in extre-





A
A
A
A
B
B
M
N






pag. 57.

TAB · XVI





pag · 57 ·

extremo angulo crucis, pariter ad Meridiem, videre erat Altare, sive Oratorium SS. Processi & Martiniani Martyrum; cujus imagines habes in Tab. XVI. sub lit. C. quod Paschalis I. a fundamentis erectum, variis, & Musivo labore compactis emblematibus, illustravit, adjectis exteriùs cancellis æneis sat elegantibus. Ibidem in ampla, ac speciosissima concha Porphyretica Sanctorum eorumdem corpora, e Cœmeterio S. Agathæ, longo Cleri ordine precedente, ritu solemni, asportata locavit, ipseque post obitum positus est. Hæ, & aliæ Sanctorum reliquiæ in hunc locum, hinc illinc congestæ, maximè religiosum fecêre, fœminisque prorsùs impervium. Huc etiam æneum B. Petri simulacrum, e proximo S. Martini Monasterio translatum fuit, cujus in Ecclesia dum degebat, concursu populi colebatur. Simulacri hujus iconem habes in eadem Tab. XVI. lit. B. Nolo autem id de hoc simulacro silentio præterire, quod sæpè laudatus Turrigius in pluriès citato opere de Cryptis Vaticanis pag. 126. scribit, hanc scilicèt æneam Statuam, jussu Leonis Magni Pont. conflatam fuisse; de qua etiam ipse Turrigius brevem texuit narrationem in fine sui operis *I Sacri Trofei Romani* pag. 149. quem sequutus Franciscus Maria Phœbeus pag. 38. in Dissertatione de Identitate Cathedræ S. Petri, eam ex ære Statuæ Jovis Capitolini factam fuisse scribit, idemque Turrigius causam reddit, cur prædictus Leo Pont. hanc Statuam jusserit conflari, nempè propter Romam ab Attilæ furiis, S. Petri auxilio, liberatam. Hodie in nova Basilica ad Aquilonare latus posita est, ad quam Fideles venerabundi accedentes, dexterum pedem, quem porrectum tenet, exosculantur, eidemque capita in devotionis, ac reverentiæ signum submittunt. Eadem Statua ejusdem Apostoli festo die, Pluviali, Mitrâque aureâ ornatur, ut olim apud antiquos Fideles similem ornandi Statuam mos erat, de qua superiùs, cùm de Porticu Palmaria loqueremur, narravimus historiam.

Supra eandem Statuam, & Altare SS. Processi & Martiniani, erat Organum lit. A. in ead. Tab. XVI. demonstratum, ab Alex. VI. sumptuosè factum, & a Musca præstantissimo artifice cælatum, ac totum inauratum, & ex concentu in magno pretio habitum. Illius lignea ornamenta, cùm de uno in alium locum transferretur, perierunt; hodie tamen adhuc extat, & visitur propè Cappellam Sancti Gregorii.

Multi diversis temporibus multa huic Oratorio, vel ad nitorem, vel ad cultum, opesque, contulêre, quos inter Jacobus de Mutis Episcopus Spoletanus, & Gregorii XI. in Urbe quoad spiritualia Vicarius, necnon Simeon Jo: Simeonis Rom. Idem postea, Junior Riccardus Oliverii Andegavensis Normannus Episcopus Portuensis Cardinalis Constantiensis, & Basilicæ istius Archipresbyter, ruinæ proximum reparavit, Pario marmore parietem, ac pavimentum intersecans, dotemque in immensum adauxit, atque in sepulchrum elegit. Postremò cùm novæ constructionis Basilicæ tempus illuxit, disjecto hoc Oratorio, cum honorifico Cleri comitatu, ad Altare infra Organum, corpora SS. Procesi & Martiniani translata fuêre.

21. Exiguo superato tramite in Ortum spectabatur sacellum S. Catharinæ

Virgini & Mart. dedicatum, cui ſat pinguem impertivit dotem Ægidius Laurentii de Gerla, ad impetranda suffragia tam ſibi, quàm Cardinali Tyburtino, qui unà cum Patribus, nepotibuſque, ibi ſepulti quievêre.


22. Directò inde ſpatiantibus, in pila fornices navium minorum fulciente, in Ortum pariter, e regione Altaris S. Leonis Papæ, occurrebat ædicula, eidem pilæ adhærens, cum Ara S. Mauritii Mart. Huic id præcipuum erat, ac peculiare, quòd deſignati, electique Imperatores, antequam aram maximam, Confeſſionemque S. Petri, ad auream Imperii coronam, gladiumque in Eccleſiæ Romanæ tutelam a Pontifice ſuſcipiendum, adirent, ab Epiſcopis Cardinalibus, more Veterum benedici, & in dextero brachio perungi ibi ſolebant; quamobrem frequens hujus Aræ habetur mentio in actis omnium Coronationum Imperatorum Romanorum. Hæc celebris cæremonia deſcribitur in Rituali Archiepiſcopi Corcyrenſis, ſeu Auguſtini Pientini Epiſcopi, Sect. 5. Eadem quoque habetur apud Goldaſtum in ſuis Conſtitutionibus Imperialibus pag. 412. & ſeqq.


23. In altera autem pila, ſcilicet num. 23. quæ ſuperiori e latere parallela erat, elevabatque fornicem maximum, ſeu arcum triumphalem, Altare ſurgebat celeberrimum, aſſervans brachium B. Sylveſtri, cui ſacrum fuit. Juxta hoc ab uno laterum in pariete Inſcriptio pervetuſta Vigilii Papæ corpus ibi ſepultum docebat; quod ex Cœmeterio Priſcillæ ad S. Marcelli viâ Salariâ translatum, deinde in hac Baſilica reconditum fuiſſe, teſtatur Canonicus Romanus, idque ſe accepiſſe a majoribus ſuis aſſerit. In altero autem triumphali arcu ſuppoſito grandis e marmore extabat ſarcophagus Hadriani IV. quibuſdam ſignis hinc inde adſtantibus, lapide, & cælatura clariſſimis. Dexterum crucis tranſverſæ brachium luſtraſſe ſit ſatis, cùm ad alia æquè præclara nos vocet ſiniſtra pars.


24. Primò autem navim maximam recto calle tranſeunti erat obvia Pila, Vigilii Papæ ſepulchro e diametro oppoſita, pariterque cum illa tam fornice, quàm arcu maximo preſſa, cui qua parte proſpiciebat in Orientem, contra Aquilonem, nempè num. 24. adjacebat ſacellum cum Altari B. Bartholomæo Apoſtolo dicatum, ſæculiſque anteactis eximiâ pietate cultum.


Sub ſilentio prætereundam minimè eſſe arbitror rem pauciſſimis notam, & a Turrigio in ſuis Cryptis Vaticanis pag. 43. relatam, ſcilicet Pauli IV. ævo Tyberim fluvium extra ſuum debacchatum fuiſſe alveum, quare Eccleſiæ pars, Conventûſque S. Bartholomæi, in Inſula Licaonia corruit. Quamobrem ejuſdem S. Apoſtoli corpus cum aliis reliquiis in illa Eccleſia eò uſque aſſervatis, ad Vaticanam Baſilicam cum pompa translatum fuit; deinde Eccleſiæ, Conventûſque reparationibus factis anno 1560. die 27. Julii juſſu Pii IV. ſolemni pompâ ad eandem Eccleſiam idem corpus cum reliquiis relatum: ac ut hujuſmodi rei plenior fides adhibeatur, Brevem ſuper hujuſmodi nova translatione ab eodem Pio IV. datam Epiſtolam integram idem Turrigius pag. 544. refert.

Numerus 25. columnam indicat Vitineam, quæ Sancta olim appellabatur, ferreiſque cancellis, a quodam Jordano Cardinali de Urſinis, fuerat circumſepta, modò verò translata eſt in dexte-


A
C
B D E F G Q H I L R M P N O
pag.59.







pag. 59.

dexterum latus ingressûs Cappellæ Sacratissimi Crucifixi ad Aquilonem. De hac columna scripsit Turrigius pag. 397. & nos supra num. 5.

26. Non minoris elegantiæ Altare, proximum supramemorato S. Bartholomæi, extruxit Antoniottus Pallavicinus S.R.E. Cardinalis Episcopus Prænestinus, illudque S. Antonio Abbati sacrum magnificè dotatum voluit, apposito ab uno latere sepulchro, marmoribus, & sculpturâ æquè nobili, in quo postmodum fato functus humatus est.

27. Gradu facto ex sacello S. Antonii Abbatis ad aliam Pilam sustinentem fornices navium minorum, in eodem sinistro latere transversæ partis in Ortum, surgebat ara prænobilis S. Luciæ Virginis & Martyris in qua B. Gregorius, qui eam construxerat, Virginis ejusdem brachium summè populis venerabile condidit. Hoc etiam propè Oratorium spectandæ molis sepulchrum erat Joannis Cæsarini Hispani, Leodiensis Ecclesiæ Archidiaconi, Vaticanæ Basilicæ Canonici, Apostolicæ Cameræ Auditoris, Viri demum numeris omnibus absolutissimi. Hujus exemplar habes in Tabula XV. literâ O.

28. Præteritis ergò navium minorum intervallis, juxta intercolumniorum parastatam, quæ sinistram hanc partem transversam intersecat, visebatur olim Oratorium S. Joannis ad Fontes cum Baptisterio, quod hujus transversæ crucis angulo dederat nomen. In eo insuper aliud erat Altare, Mortuorum appellatum, ut n. 28. in quo sine ulla interpellatione Mysteria Eucharistica conficiebantur, in animarum purgantium suffragium, pro quibus opulentissimos, & peculiares indulgentiarum thesauros Romani Pontifices inibi affixerunt, quorum pro se, suisque adipiscendorum cupiditate Cajus de Bartholinis Civis Romanus, prædictum Altare locupletavit, & in suæ uxoris, ac posterorum sepulchrum cooptavit. Hujus Altaris exemplum habes in Tab. XVIII. fig. I. & in Tab. XIX. lit. L.

29. Verùm in hujus crucis angulo ad Aquilonem, juxta jam dictum, alterum visebatur sacellum, vetustate nulli secundum, cujus locus exprimitur num. 29. Istud, nomen suum, ac decus captabat ex Tabula, trium Regum Magorum Historiam, mirificis coloribus exprimente.

30. Ab Ara SS. trium Regum longè elaboratior, & pulchrior moles attollebatur, ut patet num. 30., cum vetustissimo Altari, S. Joannis ad Fontes, vulgò appellato. Hæc Ara excitata, ornataque fuit a Symmacho Pontifice, qui miræ speciei columnis eam imposuit, & operculo communivit, plurimis emblematibus variato. Cùm autem ex nimis præcipiti temporum lapsu, illa jam laberetur, duo Cardinales Ursini restituère, doteque regali liberalitate adauctâ, ornatam reddiderunt.

31. Non longè ab hujus Altaris gradibus, ut num. 31. in medio magnum, ac patulum labrum laxabat pretiosissima concha e marmore alabastrino, quà levi nitore, quà signis extantibus, illustris. In hanc cæco meatu per fistulas, e solo undæ irrumpebant, quibus Cathecumeni baptizarentur. Illam Liberius Pontifex extruendam olim mandaverat Damaso, cùm non adhuc Pontificiâ fulgeret majestate. Quâ absolutâ Liberius a Sabbatho

Pentecostes in Dominicam, promiscui sexûs, ac ordinis, octo ferè mille, octingentos, decemque Cathecumenos baptizavit. Quin, ut operis tam perspicui memoria ad posteros perveniret, ipse musarum non humilis cultor Damasus, lapidi incidit, & aræ ejusdem lateri affixit, quosdam versiculos, quorum nonnulla fragmenta, cùm in parietibus intra novum Oratorium S. Leonis Papæ vix legi possent, tandem eruditâ, pertinacique curiositate primævo, ac genuino sensui restituta visuntur in Cryptis Vaticanis hoc ordine.

Cingebant latices montem, teneroque meatu
Corpora multorum, cineres, atque ossa rigabant;
Non tulit hoc Damasus, communi lege sepultos
Post requiem tristes iterum persolvere pœnas:
Protinus aggressus magnum superare laborem,
Aggeris immensi dejecit culmina montis,
Intima sollicitæ scrutatus viscera terræ,
Siccavit totum quidquid madefecerat humor,
Invenit Fontem, præbet qui dona salutis.
Hæc curavit Mercurius Levita fidelis.

32. Idem Symmachus aliam aram erexit B. Joanni Apostolo, & Evangelistæ, penè contiguam superiori, utpotè in angulo transversæ navis, ut num. 32. eamque qua licuit per ejus ætatis artifices, politiori minervâ exornavit.

33. Huic proxima, in pariete ad Occidentem, a fœminis præcipue Deipara colebatur, super Altare ornatu decorum, & opibus, quarum copiam in omnes beneficentissima Virgo comparaverat.

34. A dextris prædicti Altaris, ut num. 34. aliud attollebatur sub auspiciis B. Annæ. Hujus non mediocris opificii structuram Matthias Paparonius olim Canonicus reddidit auctu dotis speciosiorem. Illuc etiam Parafrænariorum, ut vocant, S.R.E. Cardinalium Societas, statis diebus conveniebat, ut sacris, orandi, psallendique muneribus certatim operam daret. Altaris exemplar habes hîc in Tabula XIX. literâ H.

35. Sequebatur inde sub num. 35. Oratorium S.Crucis, fultum hinc inde geminis e Porphyrite columnis, marmoreoque operculo fastigiatum, cujus in abside Symmachus Papa ejusdem excitator, Sanctissimæ Crucis particulam decem librarum pondere posuit, & ab ejus ingressu mulieres perpetuò removit. Verumtamen, ævo in longum producto, cùm exolesceret, venustatique vetustas plurimùm derogaret, Berardus Herulus Narniensis, Episcopus Sabinus S.R.E. Cardinalis Spoletanus, eodem, quo vetus steterat, loco, novum non imparis, immò cultioris architecturæ, & ornatûs extruxit, juxtaque sepulchrum effodit, ubi post mortem tumularetur, qui tamen inde aliò translatus juxta Xysti IV. sacellum tandem aliquando quievit.

36. Brevi ab hoc intervallo eodem ordine, ut vides in num. 36. quædam janua populum extra Basilicam emittebat, exinde Probi Præfecti Prætorio Templum, & aliud immemorabilis ævi Cœmeterium, utrumque Basilicæ exteriùs adjacens, adibatur.

37. Reliquum tandem parietem a janua

janua ad absidem Aræ maximæ in Occidentem, ut num. 37. tenebant duo vetustate magis, quam aliâ dote celebrata sacella, quibus longa tempora nomen ademerant: licèt argui possit aliquatenùs SS. Casiano Proto & Hyacintho Martyribus sacra fuisse ex Bibliothecario, qui in vita Symmachi Papæ auctor est, eundem Pontificem penes B. Petrum, prædictis SS. Martyribus Confessionem, argenteis laminis bracteatam viginti librarum pondere, dedicasse, & arcum ex eadem materia pensantem duodecim libras superinduxisse. Inter hæc medium jacuit cadaver Alberti Guidalotti Juris utriusque consulti Perusiæ civis, ut e marmore non ignobili compacta tabula testabatur.

Cæterùm navis hujus transversæ non brevi ambitu quaquaversum lustrato, congruum maximè fuerit, medianam aliis longè majorem, Sanctorumque reliquiis religiosiorem nunc percurrere.

SECTIO V.

De Oratoriis, & Altaribus, quæ erant in mediana Navi.

38. DExteram partem medianæ, necnon maximæ navis spatiari inchoantibus, protinùs objiciebantur duo Altaria vetustissima, quæ parastatam in Austrum, arcum triumphalem Basilicæ sustentantem, occupabant, æreis claustris circumsepta, ut num. 38. Gregorius Pontifex III. cùm utraque excitasset, ornassetque, primum Deiparæ Virgini, alterum S. Gabinio Mart. dedicavit. Notatu hìc utique dignum videtur, tantâ civibus, exterisque veneratione habitum esse Altare S. Gabinii, eo quòd corpus ipsius asservaret, ut Sardinia, Corsicaque Ligustici maris Insulæ, non exigui pretii tributum quotannis offerrent. Verùm Eugenio III. Pontifice ambo in unum sacellum elegantissimè ornatum B. Mariæ sub auspiciis transiere, superstructâ marmoreâ camerâ, lapillis auroque perfulgidâ, quæ S. Stephani Protomartyris humerum honorificè custodiret; clarumque præterea ætatibus superioribus fuit, plurimorum Pontificum ibi sepultorum cineribus, nempè, Hadriani, Gregorii, & ipsius Eugenii III. necnon B. Petri Diaconi, ad quem Magnus ille Ecclesiæ Doctor Gregorius Dialogorum suorum Librum scripsit. Senio tandem graviore perculsum, affectumque dejecit penitùs Innocentius VIII. novumque nobilius, Virginis ipsius in honorem restituit, ac e marmore Pario candidissimo, deauratoque ornari jussit a Laurentio nepote suo Tit. S. Cæciliæ Presbytero Cardinali Beneventano, cujus inde Aræ medium icon B. Mariæ Filium amplexantis implebat, suberatque eximiæ vetustatis, preciique tabernaculum ad Eucharistici Panis custodiam. Desuper eminebat ab Oratorio pulcherrima cellula, seu camera, ut vocant, deauratis marmoribus corusca, fultaque quatuor parastatis affabrè elaboratis, ut ferrum Lanceæ, quæ Christi Domini latus aperuit, asservaret; exemplar cellulæ hujus Altaris habes in Tab. XVII. lit. G. & majori forma in Tab. XVIII. figur. 3. Sepulchri verò ipsius Pontificis Innocentii in dicta Tab. XVII. lit. B. Hoc autem Sanctissimum reparatæ salutis pignus a Bajazete Turcarum Domino dono accepit Innocentius

tius VIII. ut profugo, Romæque degenti Zizimo fratri suo, gratior adesset Pontifex, quod in vita ejusdem Ciaconius asserit, cum Raynaldo, Bosio, aliisque rerum Ecclesiasticarum Scriptoribus.

39. Huic a se constructo sacello quatuor Sacerdotes Innocentius addixit, qui in perpetuum singulis diebus sacra conficerent mysteria. Supramemoratum addidit inde sepulchrum, ubi postea conditus fuit. Vetus Oratorii nomen S. Mariæ de Conventu fuerat, eò quia ante ipsum Canonicorum chorus ligneo rudique artificio compactus jacebat. Indicatur locus sub n. 39. in quem Canonici Basilicæ quotidie convenientes, propria Clero, suetaque psallendi munia persolvebant. De hoc sacello sic Bibliothecarius in Greg. III. vita meminit: *Hic fecit Oratorium intra eandem Basilicam juxta arcum principalem a parte virorum, in quo recondidit in honorem Salvatoris, Sanctæque ejus Genitricis reliquias, Sanctorumque Apostolorum, vel omnium Sanctorum Martyrum, ac Confessorum, perfectorumque Justorum toto in Orbe terrarum requiescentium. Quorum festa vigiliarum a Monachis trium Monasteriorum illic servientium quotidie per ordinem existentia, atque natalitiorum Missas in eodem loco celebrare instituit.* Et circa finem: *Et hoc constituit, ut secundùm constitutum, quod a Collegio Sacerdotum coram sacro corpore B. Petri factum est, pro celebrandis solemniis vigiliarum, atque Missarum Christi Domini nostri Jesu Christi, Sanctæque ejus Genitricis, Sanctorum Apostolorum, vel omnium Sanctorum Martyrum, ac Confessorum, perfectorumque justorum toto in Orbe terrarum requiescentium, ut in Oratorio nomini eorum dedicato, intra Ecclesiam B. Petri Apostoli sub arcu principali a Monachis vigiliæ celebrarentur, & a Presbyteris hebdomadariis Missarum solemnia.*

40. At in adversa parastata sinistræ partis ad Aquilonem, quæ pariter cum præfata navi mediana, & arcu maximo premebatur, antiquissimum erat Altare S. Pastoris, ut in num. 40. quod cùm longâ annorum serie dilaberetur, Ursus Ursinus S. R. E. Cardinalis, & Vaticanæ Basilicæ Archipresbyter splendidè restituit, dotavitque, exciso inibi tumulo, in quo ipse, & ejus Frater Matthæus Diaconus Cardinalis funerati fuerunt. Haud longè ab hoc, sedente Callisto III. Summo Pontifice, magnæ, pulcherrimæque molis organa suspensa fuere, suffulta senis columnis e Porphyrite, quorum tubos prægrandes variâ metalli specie conflatos ligna intersecabant, auro, cælaturisque insignita. Habes eorum exemplar in Tabula XVI. litera A. Hodie verò, ligneis ornamentis ævo comsumptis, organa conservantur in Sacello S. Gregorii.

41. Utramque parastatam sub arcu maximo conjungebat immodicæ longitudinis, ac crassitiei trabs quædam in speciem pontis; superiùsque Crux magna extabat, & hinc inde pendebant geminæ claves affabrè cancellatæ, multisque lampadibus fulgidæ, pro quibus adi Tab. XV. lit. B. ac Tab. XI. lit. E. Eæ tamen lampades in nocte feriæ v. majoris Hebdomadæ accendebantur. Eâdem etiam e trabe statis per singulos annos diebus suspendebatur culcitra, quæ Sanctorum Martyrum corpora cooperiebat, dum in Cœmeteria deferrentur; atque ideò multo erat asper-

aſperſa ſanguine. Hæc omnia in undecimum columnarum ordinem tranſtulit Paulus III.& arcui magno, oſtioque ligneis cancellis occluſo, juſsit affigi in medio vaſti parietis, quem, ut a veteri novam Baſilicæ partem divideret, & primævam ſuperſtitem cuſtodiret, ad fornicem uſque produxit, ut videre licet in Tab. XV. ſub lit.A. qui murus deinde ſub Paulo V. anno ſalutis 1615. a prima die Martii uſque ad 14. Aprilis, in qua incidit Dominica Palmarum, disjectus, ac ſolo æquatus fuit.

42. Idem etiam Paulus III. non adeò novæ fabricæ ſtudioſus, ut veteri injurioſus omninò foret, prædictum organum cum columnis huc tranſtulit, ac ſiniſtro in latere ad Aquilonem decimotertio, & decimoquarto intercolumnio medium locavit, ut n.42. ſub quo ſimul cum Altari corpora SS. Martyrum Proceſsi & Martiniani repoſuit, ut vides in Tab.XVI.lit.C.adjecto B.Petri, throno inſidentis, æneo ſimulacro, ut in eadem Tab.lit.B.& nos jam ſupra diximus in num. 20. Hoc idem Altare inſignibus Salvatoris, & Beatiſsimæ Virginis imaginibus decoratum erat, quarum prior in ara S.Joannis Evangeliſtæ, ſecunda verò in parietibus ſupra Oratorium S.Leonis Papæ, viſebatur. Hic Alpharanus modeſtè quidem refellit, excuſatque Honuphrium Panvinium, Scriptorem eruditiſsimum in lib.de Antiq. & præſtantia Baſilicæ Vaticanæ, cujus ipſiſsima verba referre ſatiùs duxi: *Honuphrius Panvinius Ordinis Eremitarum in libro, quem ſcripſit de Antiquitatibus, & præſtantia Baſilicæ Vaticanæ, valdè quidem præ cæteris hujuſmodi Scriptoribus laudandus, & extollendus. Quamvis omnia bene interpretatus fuerit, tamen ſitus aliquorum ſacellorum, Altarium, & nonnullorum locorum non benè intellexit. Nam ſub organo corpus S. Petronillæ Virginis translatum fuiſſe ſcripſit, & Altaria Sanctorum Philippi, & Jacobi, Simonis, & Judæ, Abundii hujus Baſilicæ Manſionarii, & portam, quæ mittebat ad Eccleſiam S. Vincentii, alibi fuiſſe docet; quod quidem non eſt ita, corpora Sanctorum Proceſſi, & Martiniani Martyrum ſub organum, corpus verò S. Petronillæ in Altare Sanctiſſimi Crucifixi, & lancea, quà Chriſti Domini latus perforatum fuit, ad Ciborium Vultus Sancti translata fuere, ita & de aliis; & quidem ei parcendum eſt, nam de hujuſmodi locorum ſpatiis, & translationibus non habuit antiquiorem, quem conſulere poſſet, ſicuti ego Jacobum Herculanum Canonicum, & Altariſtam ejuſdem Baſilicæ antiquiſſimum, qui hujuſmodi rerum, & actionum doctiſſimus erat.* Hæc de Panvinio Alpharanus. Redeamus modò ad prætememoratum magnum parietem a Paulo III. conſtructum, in quo in rudi lateritio ſepulchro, ipſius Pontificis cadaver ad tempus jacuit, donec operâ, & impenſis Alexandri Farneſii Epiſcopi Oſtienſis S. R. E. Cardinalis Vicecancellarii, necnon Eccleſiæ Vaticanæ Archipresbyteri, ejuſque nepotis, elegantiſsimum, æneis, marmoreiſque Statuis additis conſtructum fuit, quod viſitur nunc in Baſilicæ Tribuna, a cornu Evangelii Altaris, quod ſub Cathedra eſt.

43. Ab adverſa parte novi parietis in eadem mediana navi in Meridiem organo opponebatur Altare Virginis Mariæ de Prægnantibus, ut hîc n.43. & in Tabul. XV. lit. G. & ſupra ſub num. 18. quod cum icone Dei Genitrícis

tricis e ſacello S. Joannis ad Fontes huc translatum fuit.


44. Hinc procedamus ad decimam ſeptimam, & XVIII. columnam hujuſce navis, nempe n.44. ubi erat Altare SS. Apoſtolorum Simonis, & Judæ, in quo eorum corpora ſumma cum veneratione colebantur. Hoc Alpharani adhuc diebus ſuperſtes erat, intortis ab utroque latere columnis æneis, & marmoreis emblematibus, picturis, penſilibus immotiſque lychnuchis valdè ſpectabile, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſervabat. In hujus ſacelli decore augendo Pauli III. & Alexandri Farneſii ejus Nepotis, ac aliorum S.R.E. Cardinalium, Capituli, & nobilium Societatis Sanctiſsimi Chriſti Corporis admirabilis pietas, munificentia, & ardor enituit. Sacellum hoc ex duplici effigie Chriſti Crucifixi vetuſtiſsimæ cælaturæ, *ad Crucifixos* dictum fuit, quas poſtmodum in parietem Eccleſiam dividentem tranſtulit Paulus III. ſi Severano fides habenda ſit, cùm valde diverſum reperiam in ſyſtemate expreſſo in Tab.XV. lit.F. a delineato in Tab.XVI. lit.A. Utrumque in MS. Codice Archivi Vaticanæ Baſilicæ Altare Sanctiſsimi Crucifixi denominatur. In quodam alio MS. hujuſmodi ſacelli laqueare, picturis imagines eorumdem Apoſtolorum repræſentantibus, manu Petrini *del Vago*, ornatum fuiſſe reperi. Harum verò in ipſius demolitione aliæ ad Cardinalem Farneſium, aliæ ad Cardinalem Burgheſium, ex ipſiuſmet Capituli Baſilicæ conceſſione, devenêre.

45. In ſiniſtra autem parte medianæ navis ad Aquilonem, e ſacelli prædicti SS. Simonis & Judæ Apoſtolorum regione, ſurgebat alterum, ut in num. 45. cui SS. Philippus & Jacobus Apoſtoli nomen dederant, ut ex Petro Mallio didicimus. Fortè hic prætereundum non foret, quod de hoc Altari proditum eſt, Innocentium nempè hujus nominis III. Octaviano Epiſcopo Cardinali Oſtienſi, Urbiſque in temporalibus Vicario juſſiſſe, ut illud, & alia quædam conſecraret, admonitum a quodam Presbytero ſanctimoniâ ſpectabili, qui per quietem ter a B. Petro Apoſtolo juſſus eſt, renunciare Pontifici Dei voluntatem, ut ſcilicet Altaria, quæ diximus, conſecrarentur, quod ille, vel negligens, vel metuens pœnas exolvit, auribus illicò ita obturatis, ut ſonitus quoslibet, vel graviores, non perciperet; quâ tamen calamitate orando, & monitis Apoſtolicis obtemperando liber evaſit. Hæc fuſiùs proſequitur Innocentius ipſe in ſua epiſtola ad præfatum Cardinalem; quam ex illius regiſtro refert Panvinius in MS. de Antiquit. ac præſtantia Baſilicæ S. Petri lib. 3. cap. 3.

46. Interiùs etiam propè vigeſimam columnam ab utroque latere hujus navis, ut in Tab. Ichnograph. n.46. & in Tab. VIII. lit.B. & in Tab. X. lit.M. concha e marmore non vulgari, ingredientibus hinc inde Fidelibus, aquam benedictam offerebat, ut eâ, laudatiſsimo Eccleſiæ more, aſpergerentur; uti docet Baronius ad An.57. num.109. & 110. At ſupra Fontem a dextris in columna, cùm ſpecioſiſsima Deiparæ effigies depicta eſſet, ſub finem præteriti ſæculi, ita piæ plebis concurſu, votis, muneribuſque coli cœpta eſt, ut inibi nobile ſacellum extrui neceſſum fuerit.

47. Cæterùm ad Baſilicæ calcem in angulo mediæ navis propè januam Ra-





pag. 65.

Ravennatem, in Ortum, ut in n. 47. & in Tab.XX. lit.C. Bonifacius VIII. e Pariis marmoribus, columnis, operculo, Musivisque figuris restituit, & ornavit Altare B. Bonifacii Martyris longo senio deciduum, illiusque reliquiis sacratum. Ciborium cuspidatum erat Germani operis, sub quo sepulchrum marmoreum sibi vivens, cum suis insignibus gentilitiis, cooptavit, itaut dum Sacerdos Missæ sacrificium perageret, tumulum ipsius Bonifacii conspiceret. Sacelli præfati Architectus quidam fuit Arnulphus, cujus nomen inibi incisum erat: imaginem verò Deiparæ Virginis, ac SS. Apostolorum Petri in dextera, & Pauli in sinistra, ac etiam Bonifacii VIII. quem Princeps Apostolorum offert B. Virgini, Musivo opere expresserat Carolus Comes. Hæc clarè exprimuntur in dicta Tab. XX. ubi lit. B. denotat parietem, in quo sepulchrum constructum erat; lit. D. ipsum Bonifacii sarcophagum; E. supradictas imagines Musivo opere expressas; F. Altare, sub quo corpus S. Bonifacii Papæ IV. quiescebat. Hic etiam sepulti fuère BenedictusCajetanus S. R. E. Diaconus Cardinalis ejusdem Bonifacii VIII. nepos, Petrus Hispanus Cardinalis EpiscopusSabinensis, & Cajetanus Protonotarius Apostolicus, ut e lapideis tabulis eorum sepulchris appositis, patebat. Neque hic omittendum reor, cùm Sanctissimi Papæ Bonifacii VIII. mentio inciderit, eum adeò majestati Vaticanæ Basilicæ augendæ studuisse, ut redditus ampliârit, multi pretii donaria contulerit, numerum Canonicorum adauxerit, octo creatis, ut terdenos perficerent; item Beneficiatorum, tribus additis illis triginta, quos Nicolaus III. creaverat, & demum viginti Clericos Beneficiatos instituerit. Corpus hujus Pontificis, e nobilissima, & antiquissima Romana Cajetanorum Familia, integrum, & incorruptum anno 1605. repertum fuisse traditur a Joanne Rubeo, in ejusdem Pontificis vita pagina 346.

48. Inter Ravennatem, & Argenteam januas, ut in Tab.VII. ichnographica sub num. 48. & in Tab. XVIII. lit.C. ac in Tab.XIX. lit.L. indicatur, erat Altare cum stemmate familiæ Ursinæ, Mortuorum appellatum, eò quia suffragia mortuis conferebat. Juxta hoc Altare sepultus fuerat Leo IX. ac sub annum deinde 1430. Bartholomæus Beneventanus, Ecclesiæ Vaticanæ Canonicus, dote sufficienti cumulavit, Clericum instituens, qui perpetuò Altari inserviret, & laudes, precesque in Choro cum aliis persolveret. Tandem Gregorius XIII. in formam longè augustiorem illud erexit, & in honorem SS. Philippi & Jacobi Apostolorum, necnon S. Hieronymi Presbyteri, Ecclesiæque Doctoris consecravit, privilegiis, Indulgentiisque prioribus, pro animarum suffragio, confirmatis. Supra Altaris istius fastigium, sita erat in pariete StatuaBenedicti XII.Pontificis Tholosani, cujus operâ, nova tecta Basilicæ superinducta fuère. Hujus simulacri exemplar habes in præfata Tab. XVIII. lit.B. ac lit.A. demonstrat Inscriptionem marmoream, videlicet: *Benedictus PP. XII. Tholosanus fecit fieri de novo tecta hujus Basilicæ sub anno Domini MCCCXLI.* At sub eodem simulacro artificis nomen incisum erat: *Magister Paulus de Senis fecit*.

49. Ab altero latere Argenteæ portæ, ac alterius, quæ Romana appellabatur, ut

ut n. 49. erat Altare, quod olim Nicolaus de Astallis Basilicæ Canonicus Anno MCCCXLIII. restituit, ac S. Antonio Abbati dicavit, licèt ætatis processu Spiritui Sancto, postremòque S. Annæ invocationi cesserit, eò quòd Societas Parafrænariorum, e veteri cruce transversa, Sanctæ istius effigiem huc transtulit. Hujus Altaris exemplar habes in Tab. XIX. lit. H.

50. Demum in angulo prædictæ navis in iisdemmet parietibus ponè januam Romanam, ut num. 50. S. Wenceslao Regi Bohemorum ac Martyri ab Hyricone Episcopo Olomucense dicatum, atque dotatum fuit Altare, quod inde S. Erasmi Episcopi & Martyris vocitabatur, ob ejus simulacrum ligneum inibi appositum; posteaque in ipsorum, & S. Bartholomæi Apostoli honorem denuò excitatum fuit, prout in Tab. XIX. lit. G. & in Tab. XXI. lit. A. A tergo iconis ligneæ S. Erasmi, picta erat antiqua imago, præfati S. Wenceslai Regis Bohemiæ, ut lit. B. in dicta Tab. XXI. demonstrat; ubi in medio visitur S. Wenceslaus Imperiali habitu indutus, dexterâ vexillum, in cujus medio nigra Aquila, in albi coloris area, expressa erat; sinistrâ verò gladium, & clypeum tenens: ad dexteram Carolus IV. Imperator Rex Bohemiæ, ad sinistram idem Hyricon Episcopus indutus cappâ rubrâ supra rocchetum cum cruce Archiepiscopali, ambo genuflexi. Post hos, duo stant viri, quorum unus in habitu regulari, dexteram manum super dexterum humerum præfati Caroli apponit, ac sinistrâ baculum pastoralem sustentat; alter verò Episcopali indumento conspicuus, sinistram tenet super caput Hyriconis Episcopi, in ejusque dextera baculus pariter Episcopalis apparet. Quinam sint isti duo Episcopi, ignoro, reor tamen ejusdem Bohemiæ Regni Patronos esse. Expeditis jam tandem, quæ de majori hac navi dictu, visuque digna existimavimus, in proximam anteriorem, dexteramque in Austrum vergentem transibimus.

SECTIO VI.

De Oratoriis, seu Cappellis, ac Altaribus in minori, anteriorique Navi dextera existentibus.


51. Media, quæ & maxima dicitur, excipit a dexteris, ideſt Meridiem versùs, minorem navem, cujus ad caput in parastata, quæ majores, & minores fornices fulciebat, vetustissimum fuit Altare S. Martiali, Discipulo B. Petri dicatum, quod a Neapoleone de filiis Ursi Cardinali & Basilicæ Archipresbytero semel restauratum, ditatumque, Ursina de Ursinis iterum reparavit, exornavitque, additâ dote pro suæ animæ, suorumque suffragio, qui etiam ibi sepulturæ mandati sunt. Locus hujus Altaris num. 51. indicatur in Tab. VII.

52. Huic e diametro in Meridiem alterum stabat Altare adeò vetustum, ut & nominis, & cultûs jacturam fecerimus.

53. Inter hoc, & suprà memoratum Altare S. Martialis, ubi nunc una ex magnis quatuor parastatis est, quæ tholum sustentant, prima videlicet, quæ ad sinistrum latus ingredientibus occurrit, in absidula, seu loculamento, in quo ad præsens est simulachrum S. Andreæ, eximium olim marmoreum, deauratumque erat sepulchrum,

cujus

TAB·XXI



pag·66.

cujus locum numerus 53. indicat, cum Statua ænea Pauli III. Pont. Max. quod postea Urbani VIII. jussu ad absidem majorem, idemque sinistrum latus, ut modò visitur, translatum fuit.

54. Inter undecimam, & duodecimam columnam fuit etiam translatum Altare, cum corpore B. Petronillæ Virginis e priori loco, sive ejus Templo, & super Altare collocatus magnus, atque ligneus Crucifixus, qui in Altari Sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ priùs fuerat.

55. Jamque ad Basilicæ januam, quæ olim Judicii, postea S. Andreæ nomen sortita est, brevi tractu devenimus. Ad sinistram egredientium propè sacellum B. Bonifacii Mart. extabat sepulchrum Bonifacii IV. marmoribus, & cælaturâ conspicuum, ut in Tabula XIX. lit. M. Pontifex iste Pantheon celebre Agrippæ monimentum, a turpi futilium Deorum grege expiatum, Beatissimæ Virgini, Sanctisque omnibus dedicavit. Hic etiam, ut in eadem Tab. XIX. sub lit. P. locata fuit equestris e marmore Statua Ruperti Malatestæ Comitis, Xysto IV. regnante, S.R.E. Ducis Generalis, qui & Urbem, & Vaticanam Basilicam ab immani, & avara Saracenorum rabie tutatus est, & hucusque victrices gentium immanium furias acerrimè propulsatas infregit, & domuit.

56. Dexterum portæ latus occupavit Guillelmus de Pereriis, extructo SS. Apostolorum Petri, Pauli, & Andreæ sacello, ut sub lit. O. præfatæ Tab. XIX. quod certè non ultimum Templi decus habitum fuit. Sub pavimento etiam primæ, & secundæ columnæ conditus jacuit Petrus Raymundez, Hierosolymitani Hospitalis, ut ajunt, Magister: nec ille solùm, sed per totam hanc navem dexteram penè innumeri Cardinales, virtute, moribus, genere, rebus gestis insignes, quiescunt, quos inter Guillelmus Patriarcha Hierosolymitanus, Ostiensis Episcopus; Antonius Pazerinus Forojuliensis, Patriarcha Aquilejensis & Episcopus Tusculanus; Nicolaus Neapolitanus Capuæ Archiepiscopus; Joannes de Segovia Hispanus; Varambona Gallus; Franciscus Condulmerius Venetus, Eugenii IV. nepos; Isidorus Constantinopolitanus, Archiepiscopus Ruthenorum, Legatione ad Orientis Imperatorem strenuè functus; Theodorus Lælius de Torno Episcopus Tarvisinus; Bartholomæus Martini, Valentinus Hispanus Episcopus Segoviensis; Joannes Baptista Ferrarius Episcopus & Civis Mutinensis; Joannes Lagrolasius Gallus; Petrus Balbus Episcopus Tropiensis, & alii quamplures, quorum longâ nominum serie Lector tædio afficeretur, sed pauca hæc in illa navi delibasse sufficiat, in alia huic proxima, minorique diutiùs immoraturis.

SECTIO VII.

De Oratoriis, Altaribus, & Sepulchris posteriorem minoremque Navim occupantibus.

57. INfimæ hujus Navis, sinistræ ingredientibus, tractum, quamplurimæ Altarium, ac Tumulorum moles nobilitabant. In primis autem in superiori parastata, quæ Navis minoris, & hujus, quam describimus, fornicem sustentabat, colebatur Altare non indecorum, licèt nomine ob vetustatem carens, ut num. 57.

58. 59. Huic ex adverso in Meridiem juxta alteram paraſtatam innitebatur ſacellum eximiæ pulchritudinis, ac majeſtatis ab Eugenio IV. ſplendidè reſtitutum, Deiparæ, & Apoſtolis Petro, & Paulo ſacrum. Hoc Cardinalis Petrus Barbus Eugenii IV. nepos, perpetuâ penſione dotavit, adjecitque ſepulchrum, ut num. 59. e marmore candidiſſimo, ubi ſui Patrui Maximi oſſa repoſuit.

60. Proximum Eugenii tumulo, ſequebatur ſacellum B. Marco Evangeliſtæ dicatum, ut n. 60. benè dotatum, ob munera, quæ ei contulit Marcus Barbus Patriarcha Aquilejenſis, & Paulo II. affinis, cui jam defuncto, urnam e Pario marmore figuris, & emblematibus latè conſpicuam ibidem locavit.

61. Paulò inferiùs poſt grande Oſtium in pariete Baſilicæ, ducens in Sacrarium, ſtabat Altare S. Nicolai Epiſcopi, & Confeſſoris a Nicolao V. conſtructum, cujus inde Pontificis corpus ſub tabula e lapide nobiliſſimo, ſervatum fuit.


62. Exiguo tractu intermedio, Oratorium cum Altari B. Blaſio Epiſcopo & Martyri excitavit Poncellus de filiis Urſi, juxta quod cum ſuis Parentibus, & uxore filiâ Marchionis Monferratenſis, ſepulchrum habuit.

63. Splendidiùs tamen in proximo eminebat Urbani Pont. VI. Neapolitani ſepulchrum, Baſiliculæ formam præſeferens. Ejus exemplar vide in Tab. XV. lit. L. circa quod quamplurima Pontificum Romanorum cadavera reperta fuêre, quæ ibidem relicta ſunt, inter quæ Lucii II. & Cœleſtini III. Matthæus Veggius enumerat; itaut luce clariùs appareat, accuratiſſimum Mallium non temerè affirmaſſe, in hac Baſilica, præcipuè tamen in hac navi, Pontificum porticus appellatâ, tumulatos fuiſſe omnes Pontifices, quorum ſepulchra, vel ſaltem veſtigia, ſituſve penitus ignorantur. Si autem qui illi fuerint ſcire in votis eſt, vices nomenclatoris implebo. Deusdedit: Honorius I. Severinus I. Joannes IV. V. VI. XVI. & XVIII. Eugenius I. & II. Formoſus, Bonifacii V. & VI. Romanus I. Theodorus II. Leones V. VI. VII. & VIII. Landus, qui & Lando, Agapetus II. Nicolaus II. & Cœleſtinus IV.

64. Propè ſepulchrum Urbani IV. pulcherrimum ſacellum, in honorem Annunciationis B. Virginis Mariæ, locatum erat, in quo S. Margaritæ Virginis eximia imago a populo colebatur.

65. 66. In eodem muro duo alia antiquiſſima ſacella erant cum aris, quorum alterum S. Euſtachio, alterum verò S. Georgio dicatum fuiſſe, ex pervetuſto Vaticanæ Bibliothecæ Martyrologio colligitur. Hinc procedentibus, ampliſſima Janua, ſeu magnus arcus, aditum dabat ad Oratorium protenſum extra Baſilicam, ubi cum Xyſti IV. Pontif. liberalitate certavit operoſior artificum eâ tempeſtate clariſſimorum labor. In Patronos hujus Oratorii B. Virginem, S. Franciſcum, ac S. Antonium delegit idem Pontifex. Tres gradus ſedilium e ligno, juxta triplicem ordinem Clericorum ibi Pſallentium, ſolo fixit. Binos Beneficiatos inſtituit, totidemque perpetuos Clericos, qui Xyſtini ſunt appellati; & plurimas, maximaſque intra illud Sanctorum reliquias locavit, quas ſi numerarem prolixior viderer. Hujus Oratorii faciem habes in Tab. XXII. ad lit. I.

67. 68. 69. Interiùs verò pavimenti medium tenebat æneus tumulus, admira-



pag 68



mirabilis artificii, ut num.67. quem Patruo suo, ac Prædecessori Xysto IV. constituit Julianus Cardinalis Ruvereus, qui postea Pontifex electus Julius II. appellatus est; ipse verò post obitum sub abside a tergo Altaris jacuit; tumulatis hinc inde S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, Fatio Sanctorio, ut num. 68. & Galeotto Franciotti de Ruvere, ut num.69.

70. Oratorio tandem egressis, in pavimento erat obvius lapis sepulchralis e marmore, ut num.70. & in Tab. XXII. lit.K. piissimæ Carolæ Cypri, & Hierusalem Reginæ, quæ pietatis ergò Romam profecta, eamque peregrinationis, & vitæ suæ terminum nacta, a Summo Pont. Xysto IV. Regiâ quà par erat funeris pompâ sepulchro mandata fuit. Nec longè ab illa, Maria Constantinopolitana genere nobilissima, fato non impari excepta. Earum monumenta Græco charactere marmori incisa fuère.

71. Hæc in pavimento. In pariete verò opposito tumulus eminebat Berardi Heruli Narniensis, Sabinæ Episcopi, & Cardinalis, ut num.71. a transversa Basilicæ parte translatus. Pro ejus icone adi prædictam Tabulam XXII. sub litera H.

72. Huic situ, ac nitore inferior jacebat alter Stephani Nardini Foroliviensis, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis amplissimi, ut num.72. & in eadem Tab.XXII. videre potes sub lit.L.

73. Non longè ab Heruli tumulo in amplum ostium parietes aperiebantur, per quod adibatur Oratorium S. Thomæ Apostoli a Symmacho extructum, atque ornatum, ut num.73. Ejus formam inquires in Tab.XXII. lit.G. Hujus in medio sub marmoreis lapidibus jacebant corpora Joannis Podii Bononiensis Episcopi, Matthioli de Lampugnano Episcopi Placentini, Petri Lunelli Episcopi Cajetani, & Francisci Barclaji Milopotamiensis Episcopi, ex Turnone Valentiæ oriundi, Basilicæ Poenitentiarii, qui omnes commune ibi sepulchrum habebant.

74. 75. 76. 77. A sinistro Altaris cornu parietibus inhærebat omnis elegantiæ fons Baptismalis, ut n. 74. ad cujus basim Pontifex Max. Innocentius VII. ac ad latus Petrus Fonseca Lusitanus, Diaconus Cardinalis, & Nicolaus Ecclesiæ Vaticanæ Canonicus, e nobilissima Vicecomitum familia, extincti quievère, prout num.75. A dextero autem cornu Altaris in Orientem, e Pario marmore concinnè admodum elaborata visebantur sepulchra Ardicini Junioris Presbyteri ut n.76. & Ardicini Senioris Diaconi S. R. E. Cardinalium *della Porta* n. 77. ut vulgò appellabantur, quorum pietas, & devotio in S. Thomam Apostolum, Oratorii decorem senio labentem firmavit, & auxit. His denique medius, infrà tamen, sub lapide signis, & emblematibus ornatissimo, decubuit Theobaldus de Monte Rubeo Archiepiscopus Bituntinus.

78. 79. Extra aditum prædicti Oratorii ad Meridiem, in interiori Templi pariete, ut num.78. Parius lapis affabrè insculptus operiebat exsuvias Christophori de Maronibus Romani, Episcopi Isernie[n]sis, & S.R.E. Cardinalis, istiusque Basilicæ Archipresbyteri optimè meriti, qui excogitavit, ut fieret copiosa, & exactissima descriptio eorum, qui vel minimum huic Ecclesiæ pio, gratoque animo contulissent. Hujus deinde sepulchri locum, ætatis decursu, occu-

occupavit Sacrarii Janua, quam habes num.79. & in Tabula XXII. sub litera F. illæso sepulchro Gregorii V. ut in eadem Tabula lit.E. quod hodie servatur sub fornice novi pavimenti, relictis quoque duobus aliis, Pelagii I. & Bonifacii III. ut ex Inscriptione muro affixa colligi potest.

80. Gregorianum sepulchrum in parietum crassitie, sequebatur absidula cum altari num.80. quod fortè Gregorius IV. erexit in cultum B. Sebastiani. Verùm ita exolevit, ut ejusdem vix tenue vestigium in muri præfati demolitione reperiri potuerit, cùm in Ecclesiæ inservientium commoditatem recens aditus apertus fuisset, unde iter ad Oratorium esset, exteriùs quidem, sed adjacens Templo maximo, ubi olim Sanctimoniales, vulgò dictæ *le Murate di S. Pietro*, clausæ degebant, quæ sub sæculi sextidecimi finem in alia Urbis Monasteria translata fuère, de quibus infra ad numerum 165. copiosè dicemus.

81. Propè Sacrarii januam, de qua diximus suprà num. 79. altera erat janua, ut in dicta Tabula XXII. litera B. quæ concedebat ingressum ad cameram amplam fornicatam, licèt non integram, ad scopas, aliaque condenda lignamina inservientem, olim antiquum Sacrarium, ante quod diu S. Gregorii Magni jacuit corpus. Januæ huic proximum, auro, Pariisque marmoribus nituit sepulchrum Pii III. diverso, cultissimoque sculpturæ genere æque nobile. Ejus exemplar videri potest in eadem Tabula XXII. sub lit.D. Huic subjectus jacebat Franciscus Bandinus Piccolomineus, Senarum Archiepiscopus, & Patricius.

82. Paulò inferiùs eodem ordine, propè Basilicæ finem, sub lateritio sepulchro depositum fuit corpus B. Pii V. ut num.82. quod postmodum in Liberianam Basilicam augustissimâ pompâ a Xysto V. Summo Pontifice translatum, ibi in sacello ab eodem Xysto magnificentissimè constructo, hodie recolitur.

83. Aliam quoque lateritiam urnam a superiore paulò distantem, ut num.83. sed in eadem parte parietis, ad tempus habuère, Julius III. & Hadrianus VI. ut scilicet inde asportati alibi locarentur. Julii lateritium tumulum vide in dicta Tabula XXII. sub litera C. Hadriani verò cadaver, in Ecclesiam S. Mariæ, de Anima denominatam, translatum fuit.

84. In ultimo autem hujus navis angulo Constantia Piccolominea humata fuit, eique proximum, ut in num. 84. altiùs tamen in pariete, erat sepulchrum Pii II. quod eximium illud Pii III. nepotis supra descriptum n.81. æmulabatur. Ambo hæc sepulchra ab Alexandro Cardinali Montalto in Ecclesiam S. Andreæ de Valle translata fuère; eò quia eodem in loco, ubi Ecclesia præfata ab eodem Cardinali magnificentissimè constructa fuit, Illustrissimæ Piccolomineorum Familiæ erat Palatium, Plateaque illa, quæ ante ejusdem Templi faciem jacet, Platea Senarum denominabatur.

85. Ab horum sepulchrorum fronte Oratorium S. Gregorii Magni erat, ut n.85. quod ei Gregorius IV. eximius cultor Sanctissimi Prædecessoris dicavit, & sub eodem prædicti S. Pontificis corpus, urnâ Ægyptiaci marmoris miræ amplitudinis, necnon trabibus ferratis munitâ inclusum venerabundus reposuit, multis per sacellum altaribus exci-

excitatis ad Sanctorum reliquias decorè ſervandas, quas e diverſis Cœmeteriis, Cryptiſque huc attulerat. De ejuſdem Sanctiſſimi Pontificis corporis, e Porticu in hanc Baſilicam translatione, ſic Bibliothecarius in præfati Gregorii IV. vita ſcribit: *Et quoniam tunc divino ignis amore ſuccenſus corpus Beati Gregorii hujus univerſalis Eccleſiæ Præſulis, per quem Sancti Spiritùs gratia toto Orbe Terrarum inextinguibile ſapientiæ munus induxit, ex loco ſepultus, quo priùs fuerat, tulit, & non longè ab eo in alium noviter conſtructum infra Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli ſummo honore perduxit, ejuſque ſacrum altare argenteis tabulis undique perornavit, & Oratorium ſuo ſancto nomine titulavit; abſidamque ejuſdem ſuper aurato Muſivo depinxit, in quo ſcilicet Oratorio Sanctiſſima corpora Beatorum Martyrum Sebaſtiani, Gorgonii, ac Tiburtii ex Cœmeteriis, in quibus ante jacebant, perduxit; & unumquodque eorum ſeparatis altaribus collocavit, pro quibus denique Pontificatus ſui tempore decrevit, ut monachi, qui ad officium perſolvendum in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli ſunt conſtituti, omnibus diebus ibidem laudes omnipotenti Domino canere non deſiſtant. Obtulit autem in eodem Oratorio vela majora, vel modica ſerica decem & octo. Veſtes ſuper altare, ſub quo Sanctiſſimi Gregorii Papæ corpus quieſcit, tres. Unam cum chryſoclavo habentem hiſtoriam :::::::: & ſuper unumquodque altare prædictorum Martyrum veſtem de fundato unam. Imagines denique deſuper deargentatas, necnon auro perfuſas tres, habentes vultum Domini, & eorum depictos, quorum ſpecialia ibidem corpora humata, miraculis, ac virtutibus pollent.* Verùm cùm jam Otatorium hoc nimiâ laberetur vetuſtate, Pius II. reparavit, pretioſiſque marmoribus priſtino decori, ſuperextructâ camerâ, reſtituit, quam auro, gemmiſque perfulgidam, quatuor e lectiſſimo marmore columnæ ſuſtentabant, ibique Beati Andreæ Apoſtoli caput, ſummis honoribus publicè exhibitis, collocavit. Hujus altaris exemplar vide in Tab. XX. ſub. lit. A.

86. In hoc etiam ſacello ſepulchrum quidem non inelegans habuit Agnes de Columna ut n. 86. Hæc de hac poſteriori navi ſcripſiſſe ſatis ſuperque ſit; modò ad reliquas duas minores, ad lævum Baſilicæ latus in Septentrionem, gradum faciamus, & primò anteriorem, maximæ propiorem navim luſtremus.

SECTIO VIII.

De Oratoriis, Altaribus, atque Sepulchris, in anteriori minorique navi, ad Aquilonem exiſtentibus.

87. PRimò igitur in navis capite ad Occidentem in paraſtata dextera fornicis in Meridiem vergentis, ex qua parte in Baſilicæ crucem aditus erat, ut num. 87. poſt Altare S. Antonii Abbatis, aliud Sanctis Laurentio, & Georgio extructum fuit, dotatumque a Jacobo Cajetano de Stephaneſchis hujus Baſilicæ Canonico, deinde S. R. E. Cardinali, pro anima ſua, & Annibaldi de Ceccano nepotis, & Cardinalis, prope quod ipſi ſepulti ſunt. Hic porrò Cardinalis auctor fuit Jotto Pictori eâ tempeſtate celeberrimo, ut D. Petri Naviculam fluctuum impetu jactatam, & penè naufragantem intra Baſilicæ atrium in parietibus qua-

quadriporticûs ad Orientem, opere vermiculato exprimeret, de qua nos suo loco.

88. E regione autem visebatur Ara sine nomine, & cultu, suâ tamen simplicitate non indecora, ut num. 88.

89. 90. Laudati Alpharani ordinem sequendo, in hujus minoris navis medio in Cappella, quæ nunc dicitur Gregoriana, in loco designato n. 89. Gregorius XIII. Pontifex sepultus fuit. In pariete autem noviter a Paulo III. Summo Pontifice extructo, qui per transversum hanc sinistram navim interfecabat; inter undecimum, & duodecimum columnarum ordinem, novum fuit extructum Altare, ut n. 90. in quod Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ Filium amplexantis imago, quæ antiquitùs in Oratorio S. Leonis Papæ posita erat, translata fuit, sub eodemque altari multa sacra lypsana recondita fuêre, quæ ipse Alpharanus recenset. Postea verò laudato Greg. XIII. jubente, hoc diruto Altari, eadem Deiparæ Virginis imago ad cappellam, ab eodem Pontifice constructam, translata iterum fuit. Ante hoc Altare sepulchrum Bernardini de Cruce Episcopi Novocomensis erat, juxta quod ossa Callisti III. Alexandri VI. & Urbani VI. ac VII. translata fuêre, cujus sepulchri formam habes in Tab. XV. lit. M. Huic verò proxima erat exigua quædam janua lit. N. designata, quæ in præmemoratum sacellum Gregorianum olim ducebat.

91. In hac eâdem navi ad Orientem juxta portam, quæ dicebatur Guidonea, aliud erat perantiquum Altare, ut n. 91. S. Tridento dicatum, postea S. Antonio de Padua, cum domûs Ursinorum stemmate. Alpharani verò tempore, diruto altari, eodem in loco, lapis, supra quem plurimi Sancti Martyres pro Christi Fide mortem oppetierant, qui olim juxta S. Joannis Chrysostomi aram colebatur, positus fuit, ut indicat Tab. XIX. lit. F. Inibi etiam duo rotundi lapides, ferro ligati, collocati fuêre, quos pedibus SS. Martyrum carnifices appendebant, dum illi in equuleo cruciarentur. Modò omnes hi lapides ad primam visuntur parastatam collocati.

92. Ad ingredientium sinistram, ubi lustralis sumitur aqua, ex altera parte ejusdem Guidoneæ portæ in Aquilonem, aliud erat antiquissimum altare, ut num. 92. cum insignibus, & descriptione in lapide marmoreo nobilium Romanorum de Amateschis a nobili Odone Lotta de Amateschis restitutum, ac S. Antonino Martyri dicatum, postea S. Birgittæ, demum S. Erasmo Episcopo, & Martyri; quo etiam diruto, Alpharani tempore, ejus loco, lapidem, sive Tabulam porphyreticam posuerunt, in qua ossa Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ut supra diximus, divisa fuêre. Locus istius Tabulæ designatur in dicta Tabula XIX. lit. D. Hac perlustratâ navi, modò ad alteram huic proximam, quæ etiam Aquilonem respicit, stylum vertamus; hæc verò ob singularem Domini Nostri Jesu Christi imaginem Vultûs sancti, sive Sanctissimi Sudarii, Veronicæ navis appellata fuit.

SE-

SECTIO IX.

De Oratoriis, Altaribus, & Sepulchris navis ultimæ, ac posterioris in Aquilonem.

93.94.95. IN hujus navis capite ad Occidentem, ut n. 93. demonstratur, perantiquum extabat Altare, quod cuinam Sancto olim dicatum fuerit, ignoratur. E conspectu juxta alteram parastatam ad Aquilonem, ut num. 94. pulcherrimum visebatur Sacellum, cum Altari S. Ægidio Abbati erecto, amplissimisque redditibus locupletato, a Joanne Tomacello Comite Soræ Pontificis Bonifacii IX. Germano. Juxta hoc sacellum aliud sequebatur, ut num. 95. non minoris formæ, unà cum Altari, marmoribus, ac columnis diversorum colorum extructum, Divoque Nicolao Episcopo, & Confessori sacratum.

96. Numerus iste Cappellam Gregorianam designat, de qua nuper diximus. In eam translata fuit devota Imago Dei Genitricis Mariæ Virginis, de Succursu nuncupatæ, quæ olim in supradicto Oratorio Sancti Leonis Papæ extabat. Sub hoc Altari Summus Pontifex Gregorius XIII. corpus S. Gregorii Nazianzeni, cognomento Theologi, & Ecclesiæ Doctoris, quod per longum temporis spatium in Ecclesia Sanctæ Mariæ Campi Martii de Urbe quieverat, inde amotum, splendidissimâ pompâ, reposuit.

97. In antiquo pariete ejusdem navis, loco indicato num. 97. erat sacellum S. Jacobo Apostolo dicatum, ac ab Antonio de Calvis S. R. E. Cardinali, hujusque Basilicæ Archipresbytero, restitutum.

98. Propè hoc sacellum aliud sequebatur, nempè sub num. 98. S. Hieronymo Confessori, & Ecclesiæ Doctori, ab Acheruntio de Bovenis erectum, atque dotatum.

99. Non longè ab isto eodem in pariete aliud erat Altare, ut num. 99. S. Augustini Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris, ab Altarusio Canonico restauratum, & pingui dote locupletatum.

100. Juxta dictum Altare S. Augustini aliud respective erat antiquissimum Altare, S. Ambrosio Episcopo, & Ecclesiæ itidem Doctori consecratum, cujus locus designatur num. 100.

101. In eodem ordine, ut n. 101. aliud sequebatur Altare elegantissimum, ac magnificum D. Martino sacratum, amplissimisque proventibus ditatum a Joanne Gallo S. R. E. Cardinali Vivariensi, Ostiensi Episcopo, ac Vicecancellario.

102. Parum ab hoc S. Martini sacello distabat aliud Altare, ut n. 102. in honorem S. Agathæ Virg. & Mart. constitutum, ac ab Ægidio de Roffredis restitutum, quo deinde in Basilicæ demolitione disjecto, ejus locum sepulchralis urna e marmore Marcelli II. Summi Pontificis occupavit.

103. Ante hoc sepulchrum in recentis Basilicæ murum, qui illam a veteri dividebat, translatum fuit Altare S. Luciæ Virginis ex Ecclesiæ ruinis ereptum, in quo Sanctæ hujus Virginis brachium, quemadmodum a B. Gregorio Magno in prima dedicatione locatum fuerat, in hac nova consecratione eâdem thecâ exceptum, repositum fuit. Hujus Altaris orthographiam habes in Tab. XX. lit. P.

104. Ponè Altare B. Agathæ alius erat aditus, ex quo ad duas alias Basili-

cæ adjacentes Ecclesias patebat accessus; quarum Ecclesiarum nomen, & Auctor latent. Tandem occluso aditu, marmoreum Nicolai V. sepulchrum, ibi ex ruinis Basilicæ transpositum fuit; cujus formam habes in Tabula XVII. litera E.

105. Non procul ab eodem Nicolai monumento, antiquitùs stabat Ara, S. Mariæ de Misericordia appellata, quæ a Nardo Catino hujus Basilicæ Beneficiato refecta, dotataque fuit: quâ denique jam labente, ejus loco, ut num. 105. a Paulo II. Altare erectum fuit, ac B. Marco Evangelistæ sacratum, cujus exemplar inspicere poteris in eadem Tab. XVII. lit. C.

106. Juxta Aram B. Marci, ut num. 106. eximium Pauli II. sepulchrum e marmore fuit transvectum, pulcherrimè ornatum, ut in Tab. XVII. lit. F. & licèt marmorea Tabula, in qua ipsius nomen incisum erat, in anteriori navi dextera, ante Crucifixi aram strata reperiretur, attamen ejus corpus, cum aliis Pontificum corporibus, e propriis thecis extractis, apud B. Petri principem Aram eâ parte, ubi jacet inscriptio: *Polyandrium, hìc congesta sunt ossa plurimorum*; humatum fuit.

107. Prope locum hunc, ut num. 107. ubi dictum sepulchrum fuit locatum, erat antiquitùs Ara S. Abundii, olim hujus Basilicæ Mansionarii, de quo in Martyrologio ad diem 14. Aprilis fit mentio. Hujus etiam meminit Divus Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 25. Hoc eodem in loco aliquando Leonis X. lateritium depositum stetit, quo demum in eximium, ac spectabile sepulchrum ad Ecclesiam S. Mariæ super Minervam, tempore Tiberii Alpharani, ut ipse testatur, translato, Pii IV. corpus lateritio, gypseoque monumento ibi fuit depositum, atque inde die 4. Februarii anno 1583. Gregorio XIII. Pontifice, in Ecclesiam S. Mariæ Angelorum ad Thermas pariter translatum fuit.

108. Numerus iste vetustum designat aditum ad Ecclesiam S. Vincentii, quo clauso ejus in locum Sacellum B. Mariæ Virginis ab Innocentio VIII. extructum, ac dotatum transvectum fuit, de quo supra jam dictum est num. 38. Præmemorati sacelli ciborium, reliquiis SS. Martyrum, Confessorum, ac Virginum erat refertum, quæ feriâ secundâ Paschatis, populo in statione affluenti visendæ, exponebantur in triginta octo tabernaculis, seu thecis elegantissimis, ac pretiosissimis inclusæ, hasque omnes enumerat Alpharanus sub eodem num. 108.

109. Hinc, nempè sub num. 109. juxta prædictum Sacellum Innocentii VIII. æneum ipsius erigebatur sepulchrum, tantæ elegantiæ, ac precii, ut nulli secundum existimaretur, de quo meminimus supra ad num. 38. ejusque exemplar etiam retulimus in Tabula XVII. lit. B.

110. Post hoc sepulchrum, antiquum sequebatur Altare in honorem S. Laurentii Martyris dicatum, ac dotatum a Lello de Miglis de regione Parionis, ut num. 110. quo etiam injuriâ temporum diruto, illuc labrum magnum e lapide Numidico, plumbo, ferroque apprimè glutinatum, quod fortè Pontificis alicujus sepulchrum erat, & juxta Aram maximam, & Oratorium S. Leonis olim steterat, translatum fuit.

111. Juxta hoc labrum, ut n. 111. erat sepulchrum Aloysii Cardinalis, ex fami-

TAB·XXIV

fig.1




fig.2



pag·75.

TAB·XXIII





pag. 75.

familia Rubeorum Florentiæ, quo in loco, Alpharani ævo, Pauli IV. Pontificis corpus lateritio tumulo fuit exceptum, postmodum B. Pii V. studio in marmoreum, egregiumque sepulchrum intra Templum B.Mariæ super Minervam translatum fuit.

112. A Pauli IV. sepulchro parum distans, ut num.112. aliud elevabatur antiquum, & lateritium sepulchrum Franciotti Cardinalis Ursini, tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin, ac hujus Basilicæ Archipresbyteri, quod, ut sæpè memoratus Alpharanus tradit, ex Pii V. generali decreto de cunctis sepulchris supra pavimenta omnium Ecclesiarum amovendis, ac sub defunctorum pavimento condendis, prædictum Franciotti corpus, & nonnullorum Purpuratorum, nobiliumque ossa, pluribus sepulchris, ubique per Basilicam erectis, exportata, in pavimenti visceribus humata fuêre.

113. Porta parvula, ut num.113. olim apud hujus navis angulum ad Aquilonem in parietibus erat, Porta Sancta dicta, quæ centesimo antiquitùs reserabatur anno, in cujus vicem proxima suffecta fuit, ubi patebat S. Mariæ ad Præsepe Altare.

114. Numerus 114. locum, ubi erat sacellum, & Altare S. Mariæ ad Præsepe, designat, quod Johannes VII. eximiis Musivis, picturis, & marmoreis incrustationibus, columnisque vitineis, e Pario marmore, exornaverat. Dein in loco ubi erat Altare suffecta fuit porta, quæ Sancta dicitur, aliâ proximâ oppletâ muro. Hujus sacelli, locive, in quo Musiva opera extabant, exemplar habes in Tab.XIX. lit. B.& C. & in Tab.XXIII.lit.A.Portam Sanctam Jubilei denotat,lit. B. columnas vitineas, quæ sacellum ornabant. lit.C.Musivum opus supra idem sacellum depictum, quod in ampliori forma habes sub lit. D. In explicandis figuris in eodem Musivo expressis non immoror,cùm per se omnibus pateant; solummodò indico ipsius Pontificis Joannis VII. figuram lit.E. designatam, quæ post caput, quadratum habet, & Crucifixum quatuor clavis perforatum. Præter relata Musiva alterum expono in Tab.XXIV. sub fig.I. quod observavi in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Cosmedin, ubi supra januam interiùs collocatum est, cum sequenti inscriptione:

Urbano VIII.
Vetustissimas has Musivas imagines in Oratorio Dei
Genitricis intra B. Petri Basilicam a Johanne VII. ad annum DCCV.
Exædificato olim extantes & in ejusdem Basilicæ sub Paulo V.
Amplificatione piè servatas hìc ad perpetuum rei sacræ
Monumentum Jo: Ant. Ghezzius Rom. hujus Diaconiæ Canonicus
Donavit & affigendas curavit anno salutis MDCXXXIX.

Lectorem hic admonitum volo, quod figuras in Tab.XXIII. expressas, intersecatis lineis ad Musivum denotandum opus velare minimè feci, ne ob earumdem parvitatem, ipsæ obscuræ remanerent.

115. Ante præmemoratum Sacellum, ubi præfata Porta Sancta suffecta fuit, aderat Ciborium, a conservando Sudario Domini Nostri Jesu Christi, Veronicæ appellatum. Ciborium quatuor, si emblemati, sex verò columnis elegantissimis, si Alpharano fides præstanda sit, sustentabatur, undequaque ser-

ferreis, & deauratis cancellis munitum, ac circumseptum, cujus in summitate præfatus Crucifixus æneus quatuor clavis affixus positus erat; nunc autem in Basilicæ Sacrario asservatur. Hujus Ciborii exemplar habes in Tab. XXI. lit. C. D. Lit. E. denotat præfatum Crucifixum æneum.

SECTIO X.

De Sepulchris, & aliis multis, quæ erant in Quadriporticu, & Atrio Basilicæ, ut in Tab. Ichnographica.

116. IN atrii centro sub dio sita erat ænea vetustissima Pinea deaurata, altitudinis quindecim, & latitudinis septem palmorum cum dimidio, additis hinc inde duobus æneis, & deauratis Pavonibus, ac quatuor Delphinis pariter deauratis, aquam fundentibus, octo porphyreticis columnis circumlocatis, quæ tectum æneum sustinebant, quo Pinea cooperiebatur. Epistylia, quæ columnis imminebant, Palmis, Crucibus, & Agnis Musivis, Zophorum exornatum habebant, in quo sequens æneum signum peculiariter visebatur, X. In Pineæ extremitate insculpta prominebant hæc verba *P. Cincius P. L. Salvius fecit*, scilicet: *Publius Cincius Publii Libertus Salvius fecit*. Duæ etiam aderant literæ, scilicet A. & O. Pineam hanc, sicuti etiam Pavones, & Delphinos in Hadrianæ molis summitate olim fuisse, scribunt Marlianus, Panvinius, & alii Antiquarii. Hodie eadem Pinea, & Pavones in Pontificio viridario visuntur. Si verò Pineæ ejusdem cum illius ornatibus exemplar desideres, exponitur hoc in Tab. IX. lit. Q.

117. Non longè ab eadem aberat Pinea magnus ex ære Cantharus, sive labrum deauratum, quod nos fontem æneum diceremus, in cujus summitatem per aliquot ascendebatur gradus, ut publicæ Peregrinorum ad Basilicam confluentium commoditati, ac usui esset. Verùm in hujus Canthari, præfatæque Pineæ descriptione, ex variis Auctorum sententiis, dubium incidit, unus ne tantùm, an duo fontes in Atrio locati essent. Primò enim Canonicus Romanus, sive Petrus Mallius, qui tempore Alexandri III. vixit, in sua Vaticanæ Basilicæ descriptione sic fatur: *In Paradiso S. Petri est Cantharum, quod fecit fieri Symmachus Papa columnis porphyreticis ornatum. Quæ nimirum columnæ tabulis marmoreis cum gryphonibus connexæ, pretioso cœlo æneo copertæ, cum floribus, & Delphinis deauratis aquas fundentibus. In medio verò hujus Canthari est Pinea ænea, quæ fuit coopertorium cum finino æneo, & deaurato super Statuam Cibeles Matris Deorum in foramine Pantheon. In qua, videlicet Pinea, subterranea fistula plumbea subministrabat aquam ex forma Sabbatina, quæ toto tempore plena præbebat aquas per foramina nucum omnibus indigentibus ea; & per subterraneam fistulam quædam pars fluebat ad Balneum Imperatoris juxta Agulea.* Alpharanus verò præteriti sæculi Scriptor, de eodem Cantharo, præter superiùs relata scribit, aquam ex forma Sabbatina per subterraneos scyphones, & plumbeas fistulas in eum corrivatam fuisse, quæ postea ex Pinea ænea per foramina nucum defluebat. Quare sensus hujus Scriptoris esse videtur, quod Cantharus in sublimi loco positus

tus esset, ex quo aqua descendens per Pineæ foramina, in depressiori loco positæ, exiliret; quod tamen a verisimili alienum reor, cùm Pinea non spernendæ altitudinis sit, nempè palmorum 15. & amplius, si ei basis addita fuisset, quapropter, si aquæ e Pineæ summitate exeundum fuisset, in altitudinem palmorum triginta Cantharus elevari debuerat, cùm aqua descendens suæ primæ altitudinis tertiam partem amittat. Turrigius autem jam a quinquaginta, & ultra annis Scriptor, narrat, hunc Cantharum fontem fuisse in Atrio, quod Paradisus appellabatur, ad Peregrinorum usum a Symmacho Papa constructum. In cujus locum, altero parumper ab isto distante constructo fonte, Pineam collocavit, quæ etiam aquam fundebat, quibus hanc addit Bibliothecarii auctoritatem: *Cantharum B. Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit, & ex Musivo Agnos, & Cruces, & Palmas fecit.* At si ponderanda sit Tabula IX. in medio Atrii visitur Pinea cum intercolumniis, aliisque ornatibus litera Q. designatis; quà in figura nullum omninò vestigium vasis ad excipiendam aquam apparet.

118. In hoc etiam Atrio supra tres illas januas quadriporticûs posterioris in Ortum, per quas in Atrium, & in Basilicam iter erat, B. Petri navicula fluctibus agitata, ac veluti naufraga in parietibus videbatur expressa, elegantissimo, nobilissimoque Musivo opere, labore Jotti ævi sui Pictoris commendatissimi, de quo suprà fati sumus ad num. 87. impensâque Jacobi Cajetani de Stephaneschis S.R.E. Cardinalis, & antea hujus Basilicæ Canonici; quod constat ex membranaceo manuscripto in Archivo S. Petri asservato, cujus verba Turrig. refert in suo tractatu de Cryptis Vaticanis pag. 162. hæcque sunt: *Obiit san. mem. Dom. Jacobus Gayetani de Stephaneschis S. Georgii Diac. Cardinalis, Canonicus noster, qui nostræ Basilicæ multa bona contulit &c. In Paradiso ejusdem Basilicæ de opere Musaico historiam, qua Christus Beatum Petrum Apostolum in fluctibus ambulantem, dextera ne mergeretur, erexit, per manus ejusdem singularissimi Pictoris fieri fecit, pro quo opere duo millia, & ducentos florenos persolvit.*

Navicula hæc veluti fluctibus agitaretur, in varias nostris temporibus impulsam vidimus partes, nam cùm in scalarum area, quæ ante Ecclesiæ faciem sunt, antequam in hanc præsentem redigerentur formam, quidam prægrandis murus attolleretur, ubi nunc magnæ illæ sunt fenestræ, quæ porticum ad interiores scalas Palatii ducentem illuminant: in eodem muro a Paulo V. præfata navicula fixa fuit; postea ab Urbano Papa VIII. super interiorem Regiamque portam ejusdem Basilicæ translata; deinde ab Innocentio X. ex illo loco avulsa in atriolo, quod ante majorem Palatii erat portam, altiori in loco posita; demum ab Alexandro VII. Summo Pontifice cùm construeretur præfata porticus, diruta. Deinde nobile hoc monumentum, sacrarum memoriarum ferventissimus cultor, Eminentissimus Cardinalis Franciscus Barberinus, ne periret, iterum ad antiquum exemplar construi fecit in porticu ante faciem Basilicæ, ubi nunc visitur, in mediana ipsius interiori porta. At de hac navicula fusiùs in tertia nostri operis de Veter. Mon. parte, juxta temporis seriem, agemus,

mus, ubi & ipsius exemplar demonstrabimus.

119. Juxta portas jam dictas, a dextera parte Atrii, pariter in Ortum contra Austrum parvula quidem, sed vetustissima stabat ædicula, figuris, & aliis ornamentis illustris, in qua Peregrinorum fuit Altare, cujus in cornu dextero adhærebat parieti tabula e marmore, plurimorum Sanctorum reliquiis venerabilis; quarum seriem explicat Alpharanus in suo MS. hoc eodem num. 119.

120. Ponè ædiculam hanc sepultus fuit Honorius Augustus, ut tradit Paulus Diaconus in Appendice Eutropii lib. XIV. anno Urbis conditæ 1165. sic narrans: *Honorius annis quindecim cùm imperasset, & jam antea annis tredecim, ac sub Patre duobus regnasset, rempublicam, ut cupierat, pacatam relinquens; apud Urbem Romanam vitâ exemptus est, corpusque ejus juxta B. Petri Apostoli in Mausolæo sepultum est.* Ibi etiam humati fuêre Otho II. Placidius, & Valentinianus III. Imperatores, ut quidam antiqui Scriptores testati sunt; quorum sepulchrum e porphyrite pereleganter, ac magnificè excitatum, Honorii Mausolæum appellatum est, & adhuc hodiè sub fornice novi pavimenti servatur; ejus exemplar habes in Tab.IX. sub lit.I. quod inversum cernitur. Hujus sepulchri occasione, palinodiam nos canere debemus, nam in nostro opere de Veter. Monim. part.1. cap.23. diximus, Honorii sepulchrum Ravennæ in Ecclesia SS.Nazarii & Celsi, vulgò Gallæ Placidiæ, extare, ibique Imperatorem hunc, cùm eâdem in civitate decessisset, humatum fuisse. Notitiam hanc ex Fabri, qui Sacras Memorias Ravennæ descripsit, deprompsimus, illique, tamquam de re ad suam patriam spectante, adhibuimus fidem: at modò ab eodem recedere cogimur, Scriptoremque antiquiorem, & majoris nominis, ac famæ sequi æquum arbitramur.

121. In sinistro præterea latere anterioris partis quadriporticûs, quæ media inter frontem Basilicæ, & atrium attollitur, ad Aquilonem, in angulo contra Orientem, amplissima patebat porta a Julio II. restaurata, per quam alia porticus adibatur, quam Innocentius VIII. labentem refecit, unde plures gradus e marmore in augustum sacrumque Palatium Apostolicum ascensum præbebant. In hoc autem Palatio visebantur, Aula magna, quæ Regia propter amplitudinem appellatur, Oratoria Xysti IV. & Pauli III. venusta, Sacri Consistorii cubicula, Aulæ pro domicilio Pontificis, plura mœniana triplicis ordinis, variis, pulcherrimisque picturis ornata, quibus accedebant viridaria, lucus, fontes, turres, & propugnacula, aliaque multa dignissima visu monumenta; quæ omnia nunc quoque, quibusdam tamen diutinas ob instaurationes mutatis, auctisve, non sine magna admiratione, conspicimus.

122. Post dictam a Julio II. restauratam portam, quædam alia aperiebatur, quam tamen potiùs dixisses magnum aditum, seu arcum, a quo transitum erat ad Ecclesias S.Gregorii, S.Vincentii, cæterasque adjacentes Basilicæ, qui tamen aditus, sive porta, ante Alpharani tempora, occlusa fuit.

123. Deinde etiam prope eamdem occlusam portam, alterumque angulum porticûs, Benedicti IV. sepulchrum e marmore situm erat, quod temporum

rum injuriâ penè deperiit, uti cæteri aliorum Pontificum tumuli, quorum cineres ſub pavimento repoſitos fuiſſe nemini dubium videri poteſt, ſi Alpharani opinionem ſequamur, cujus tempore adhuc extabant eorumdem ſepulchrorum veſtigia in parietibus hujus porticûs, antequam a Gregorio XIII. tectorio opere tota dealbaretur, picturiſque decoraretur, ſupra quinque Regias Baſilicæ januas, deletis quibuſdam antiquis imaginibus, dejectiſque marmoreis incruſtaturis, quæ totam Baſilicæ faciem a Conſtantino Magno ſic exornatam fuiſſe ſuadebant. Ex horum autem omnium ornamentorum reliquiis unica tantùm cavea, cum Pſittaco, media ſupra portas Ravennatem, & Judicii relicta fuit, quæ tamen etiam deperiit.

124. Huic angulo proximum in parietibus frontis Baſilicæ ſequebatur oſtiolum clauſum, quod vulgo antiqua Porta Sancta dicebatur, & huic penè contigua erat alia Porta Sancta, recentioris ſtructuræ, pulcherrimoque ex marmore verſicolori conſtructa, reſpiciebatque Oratorium Sanctæ Mariæ ad Præſepe, in poſteriori navi ſiniſtra locatum, ut vides in Tabula XIX. lit. B. & Tab. XXIII. lit. A.

125. Inter hanc Portam Sanctam, proximamque Guidoneam, ut n. 125. non mediocris aderat elegantiæ ſepulchrum Joannis IX. e marmore cum ſuo Epitaphio.

126. Poſt dictam Portam Sanctam alia ſequebatur, quæ proximæ navi correſpondebat, dicebaturque Guidonea a Guidonibus, qui Peregrinos per eam in Baſilicam introducebant, eiſdem omnia memoratu, viſuque digna oſtendentes, de qua etiam meminit Petrus Mallius, ſive Canonicus Romanus in ſua Deſcriptione Vaticanæ Baſilicæ, num. 44. ubi ſic: *Porta illa, quæ eſt juxta eam, & quæ vadit per porticale juxta Veronicam, dicitur Porta Guidonea, quoniam Guidones, qui ducebant Oratores venientes per porticale, quod eſt juxta Nolarium majus, frequenter per eam intrabant; unde uſque ad noſtra tempora faculæ, & cerei, ibi vendebantur*. Vixit enim Mallius circa medietatem XII. ſæculi, ex cujus auctoritate deduci valet, quod Oratores, videlicet Peregrini, faces emebant, ſive candelas, quas poſtea ad Beatiſſimorum Apoſtolorum ſepulchrum, ſive confeſſionem offerebant, vel etiam accendebant, in eorumdem Apoſtolorum honorem. Sæpè laudatus cenſet Turrigius, eoſdem Peregrinos proceſſionaliter cum candelis accenſis Baſilicam ingredi conſueviſſe; quam quidem ſententiam minùs probabilem puto. Fuit etiam eadem janua, Porta Veronicæ, ſive Sudarii a proximo ſacello denominata: Supra eam autem appenſa erant corona, lancea, & inſignia Regis Hungariæ, ad corpus Beati Petri tranſmiſſa ab Henrico Cæſare, qui Regem, ac Regnum Hungaricum debellavit. Inibi quoque fixa erat lancea cum vexillo, quod Rex Hiſpaniæ ſub anno 1212. Saracenorum Rege devicto, Romam ferri, & in Baſilicæ B. Petri conſpicuo, atque eminenti loco appendi curavit. Januæ iſtius ſitus deſignatur in Tab. XIX. ſub lit. E.

127. Inter hanc, & ſequentem januam duo aderant Summorum Pontificum ſepulchra, Stephani nempe V. & VI. cum ſuis epitaphiis.

128. Alia erat janua, per quam ad alteram navim ad Septentrionem ver-

vergentem, patebat aditus. Janua hæc appellabatur Romana. Rationem, cur ita appellaretur, Mallius in præcitato loco ſic reddit: *Dicitur Porta Romana, quoniam, ut a noſtris Majoribus accepimus, Romanæ mulieres antiquitùs, & adhuc frequenter per eam intrant*. Hæc indicatur porta in eadem Tab. XIX. lit. Q.

129. Huic januæ proxima erant ſepulchra Benedicti III. & Joannis XIX. & Bulla centeſimi, ideſt Jubilei anni, quæ in lapide marmoreo inciſa fuit, & adhuc in nova viſitur porticu, cujus tenor videri poteſt inter Extravagantes communes, & incipit: *Antiquorum habet fida ratio &c.* ſub tit. *de Pœnitentiis, & Remiſſionibus*.

130. In medio faciei Baſilicæ tertia janua aperiebatur, quæ etiam in dicta Tab. XIX. ſub lit. I. oſtenditur, ac Argentea dicebatur, eò quòd ipſius valvæ ex puri argenti laminis, cælaturiſque ab Honorio I. copertæ fuerint, ut apud Bibliothecarium in ipſius Pontificis vita, ſic: *Inveſtivit Regias januas in ingreſſu Eccleſiæ, majores, quæ appellantur medianæ ex argento, quæ penſ. libras noningentas ſeptuaginta quinque*. Has tamen poſtmodum a Saracenis nudatas, direptaſque Leo IV. primævo ſplendori reſtituit; ut in ejuſdem Pontificis vita pariter teſtatur idem Bibliothecarius, ibi: *Ipſe inſignis, Præſulque præcipuus cùm innumera ſummi decoris opera in Baſilica B. Petri Cœli clavigeri perfeciſſet, portas, quas deſtruxerat Saracena progenies, argentoque nudaverat, erexit, multiſque argenteis tabulis lucifluis, ſalutiferiſque hiſtoriis ſculptis decoravit, & in meliorem ſpeciem, quàm pridem fuerant, reparavit*. Hæ valvæ ab ævi injuria, ſive aliâ de causâ laceræ, deciduæque, tempore Eugenii IV. ablatæ fuêre, aliæque æneæ in earundem locum ſuffectæ, de quibus in noſtro opere de Veter. Monim. part. 1. c. 5. egimus, ipſarumque iconiſmum attulimus. Quòd nos hanc deſcripſimus januam, ſub ſilentio præterire minimè volumus, quod Canonicus Romanus, ſive Petrus Mallius in ſua deſcriptione Vaticanæ Baſilicæ pagina 117. de quodam lapide propè hanc januam in pavimento exiſtente narrat, nempe: *Requieſcit etiam ante Portam Argenteam ſub rota, ſcilicet porphyretica, ut a noſtris Majoribus accepimus, Venerabilis Beda Presbyter, qui fecit Homilias, & ejus ob reverentiam Antiqui noſtri penitùs non tranſibant per eam, nec nos tranſire permittebant*. Supramemoratam confirmat traditionem Honorius Auguſtodunenſis de Luminar. Eccleſ. ubi meminit, Bedam Romæ obiiſſe, ibique fuiſſe ſepultum. Honorius Mallio ſynchronus fuit; nam ille obiit anno 1124. ut docet Labbe de Script. Eccleſiaſt. Ex quonam Auctore notitiam hanc, Bedam Romæ obiiſſe, Honorius deſumpſerit, ignoro, niſi ab eadem Mallii traditione decerpſit. Beda enim obiit anno 735. ut placet citato Labbe, & ſic per ſæcula quatuor ante Honorium, quare facilè iſte decipi potuit. Hæc omnia indicanda eſſe duxi, ut ſcias, eruditiſſimum Danielem Papebrochium in Actis Sanctorum ad diem 10. Aprilis Tomo 1. pag. 866. & ad diem 27. Maji Tom. 6. pag. 723. hanc quæſtionem examinare, ac aſſerere, Bedam Venerabilem in Ultramontanis partibus obiiſſe, ibique fuiſſe ſepultum. Qui plura deſiderat, laudatum Papebrochium adeat. Lapis præfatus orbicularis figuræ erat,

ac

ac supra eumdem diversæ cæremoniæ in creatione Romani Pontificis, ac Coronatione Imperatoris habebantur. De hac rota plura habes apud Turrig. pag. 124. & 520. Hodie adhuc extat, estque terminus, in quo Pontifices in receptione Equi phalerati, vulgò *Chinea*, quæ pro Neapolitani Regni tributo, Romano Pontifici offertur, consistere solent.

131. E conspectu autem hujus portæ, in intercolumniis porticûs, ad ornatum tantummodò, positæ fuère antiquissimæ ex ære valvæ, huc, uti alia multa, e Templo Salomonis transvectæ, & supra has, ut jam dictum est, simulacrum marmoreum Divi Petri throno insidentis, locatum erat.

132. Magnus lapis e Numidico marmore, in quo Epitaphium Hadriani I. erat incisum, a Carolo Magno compositum, quod præ foribus ejusdem Basilicæ adhuc visitur, illiusque tenorem retulimus supra sub n. 15. Hoc eodem in loco extabat sepulchrum Sergii I.

133. Quintam januam designat numerus 133. quæ Porta Ravenniana appellabatur ea de causa, quam docet Mallius numero 44. hisce verbis: *Porta verò, quæ est juxta Argenteam factam a Leone Papa IV. & quæ vadit ad Sanctum Leonem IX. PP. vocatur Porta Ravenniana, quoniam antiquitùs Ravennates, & omnes Longobardi, & Tusci de consuetudine per eam intrabant, vel quia Transtyberini per eam intrare solebant, cum Transtyberina civitas Ravennatum vocaretur*. Hæc janua indicatur in Tabula XIX. lit. R.

134. In parietibus verò duabus his januis interjectis, septem e marmore tabulæ affixæ erant, insculpta referentes oliveta, fundos, aliaque permulta, quæ B. Gregorius Magnus Basilicæ dono dedit, sed ævi diuturnioris injuriâ factum est, ut e septem duo tantùm tempore Alpharani superessent; quarum una adhuc in nova porticu visitur, habetque hanc inscriptionem.

✠ *Dominis Sanctis, ac Beatissimis Petro, & Paulo Apostolorum Principibus Gregorius indignus servus. Quotiens laudi vestræ usibus servitura quædam licet parba conquirimus vestra vobis reddimus, non nostra largimur, ut hæc agentes non simus elati de munere, set de solutione securi, nam quid unquam sine vobis nostrum est, qui non possumus accepta reddere, nisi quia per vos iterum & ipsum hoc, ut redderemus, accepimus; unde ego vester servus reducens ad animum, multùm me vobis Beati Apostoli Petre & Paule esse devitorem, propter quod ab uveribus matris meæ divinæ potentiæ gratia protegente intro gremium Ecclesiæ vestræ, aluistis, & ad incrementum per singulos gradus usque ad summum apicem Sacerdotii licet immeritum producere estis dignati, ideoque hoc privilegii munusculum humili interim offerre devotione prævidi, statuo enim, & a meis successoribus servandum sine aliqua refragratione constituo, ut loca, vel prædia cum olibetis, qui inferius describuntur, quos pro concinnatione luminariorum vestrorum a diversis, quibus detenebantur, recolligens, vestra vobis dicavi immutilata permanere, idest in patrimonio Appiæ mass. Victoriolas olibetu in fund. Rumelliano in integro olibetu: in fund. Octabiano in integro mass. Trabatiana olibet. in fund. Burrejano ut sup. olibet. in fund. Appiano ut supra.*

Olibetu in fund. Juliano in integro olibet. in fund. Viviano ut sup. Olibet. in fund. Cattia ::::: Olibet. in fund. Solificiano,

ciano, ut sup. Olibet. in fund. palmis ut sup. Olibet. in fund. Sagaris. V..... Olibet. in fund. Marano, ut sup. olibet. in fund. Juliano, ut sup. olibet. in fund. Sarturiano, ut sup. olibet. in fund. Caniano & Carbonaria, ut sup. mass. Cesariana olibet. in fund. Florano, ut sup. olibet. in fundo Prisciano, & Grassiano, ut sup. olibet. in fund. Pascurano, ut sup. olibet. in fundo Variniano, ut sup. olibet. in fund. Cesariano, ut sup. mass. Pontiana olibet. in fund. Pontiano, ut sup. olibet. in fund. Casaromaniana, ut sup. olibet. in fund. Tattiano, ut sup. olibet. in fund. Casaflorana, ut sup. mass. Stejana olibet. in fund. Berrano, ut sup. olibet. in fund. Caclano, ut sup. olibet. in fund. Pontiano, ut sup. olibet. in fund. Aquiliano, ut sup. olibet. in fund. Stejano, ut sup. olibet. in fund. Cassis, ut sup. mass. Tertiana. olibet. in fund. Cammeliano, & fund. Tortiliano, ut sup. olibet. in fund. Casacuculi, ut sup. mass. Neviana. olibet. in fund. Arcipiano, ut sup. olibet. in fund. Corsliano, ut sup. olibet. in fund. Vrsano, ut sup. in patrimonio Labicanens. mass. Algisia olibet. qui est ad tusu juxta Anagnias in integro. olibet. qui est in silbula & modicas talias catagemmulum ag. milit. olibet. in aplineas in integro. olibet. qui est in Claviano, olibet. quem tenet Franculus colonus in fund. Ordiniano in integro.

135. Porrò has prope tabulas Nicolai I. sarcophagus eminebat, ob marmorum varietatem, & structuræ elegantiam, nobiliora inter Basilicæ decora, dinumerandus.

136. Ante prædictas tabulas, & sepulchrum Nicolai I. in oppositis intercolumniis porticûs, & ad sepulchrum Sancti Gregorii Magni, retrò quod antiquissimum venerabatur sacellum, quod Orientem respiciebat, aliquot imagines Deiparæ, & Christi vultûs, necnon Apostolorum Petri, & Pauli, & Beati Honorati Basilicæ Mansionarii visebantur, populo magnâ cum veneratione ad eas colendas undique accurrente.

137. Hæc porta Judicii denominabatur, *quoniam* (inquit Mallius loco supracitato) *per eam tantùm mortui, qui sepeliendi sunt in Ecclesia B. Petri, mittuntur a Domino judicandi*. Ista janua Tabulâ XIX. literâ N. designatur, quæ etiam appellata fuit janua Sancti Andreæ.

138. 139. 140. Inter portam istam, & angulum porticûs, multa Pontificum Romanorum sepulchra visebantur, inter quæ magis conspicua fuêre sepulchra Joannis VIII. juxta januam; deinde Joannis XIV. eisque proxima, nec longè dissimilia Joannis II. & demum Joannis III.

141. Multi præterea Romani Pontifices spatium illud tumulis occupavêre, quod medium jacet, inter angulum supradictum hujus porticûs, & portam Judicii. Nam juxta parietes Austrum prospectantes, & in vestibulo extra Secretarium sub pavimento jacuêre Bonifacii I. & II. Simplicius I. Gelasius I. & Symmachus. Immò per totam hanc porticum sub pavimento alii quamplures Pontifices tumulati fuêre, quorum aliquot Alpharanus enumerat.

Extra hujus porticûs extremitatem, quæ Meridiem respiciebat, magnum aderat sacellum, quod Secretarium appellabatur, nosque infra sub lit. dd. de eò latiùs acturi sumus.

142. 143. 144. 145. 146. Verùm intra Secretarium, quod est post angulum hujus porticûs, a dexteris extra parie-

parietes ad Meridiem Benedictus I. Pont. Max. tumulum habuit. Hoc autem Secretarium postmodum in sacellum cessit, quod appellabatur S. Mariæ de Febre, eò quòd Christifideles enixè se Virgini commendantes (cujus icon elegantissima ibidem, in abside majori ad Occasum locata fuit) a febri quotidie liberabantur. Præter hanc Aram Deiparæ sacram, sex aliæ in hoc Secretario, totidem in sacellis minoribus aderant, quarum tres Austrum, totidemque Boream respiciebant. Porrò in primum sacellum a dextris in Austrum, ponè aliud majus B. Mariæ, translatum fuit altare S. Joannis Baptistæ. In secundo verò, antiquissimum stabat altare S. Sebastiani, a Christophoro de Jacobatiis S.R.E. Cardinali, atque olim Basilicæ hujusce Canonico, restitutum, ac dote locupletatum. In tertio verò non inelegans quidem, sed sine nomine aliud erat, ante quod nonnulli egregii Viri, deque Apostolica Sede optimè meriti quiescebant. A sinistris autem hujus Secretarii ad Aquilonem juxta Sacellum majus, altera translata fuit imago Deiparæ, Sanctorumque Apostolorum Petri, & Pauli cum tota muri crassitie, quæ erat inter columnas porticûs, ut numero 136. jam indicavimus.

147. Sacellum propè hoc, alterum ei simile sequebatur, sed ejus Altaris locum occupavit janua, unde in Basilicæ porticum iter erat.

148. Demum in tertio sacello, super Altare locata fuit, ad tempus tamen, insignis, atque admirandæ pulchritudinis Statua B. Mariæ Virg., Filium e cruce depositum amplexantis, e Pario marmore, ab inclyto Sculptore Michaele Angelo Bonarotio Florentino elaborata, Joannis Cardinalis S. Dionysii, Francorum Regis Oratoris impensis. Neque verò omittendum reor, antiquitùs in hoc Secretario, Summos Pontifices cùm ad officia divina in Basilica celebranda accederent, vestes Pontificias assumere, & exinde in Basilicam ad Altare majus, cunctorum ordinum comitatu, procedere consuevisse. Ante hujus Secretarii januam a facie Orientis erat vestibulum cum absidula, & Altari. Ubi hæc absidula olim erat, janua aperta fuit contra Meridiem, quæ iter, atque descensum præbebat in Ecclesiam S. Salvatoris de Torrione, cum Cœmeterio, sepeliendis omnibus Ultramontanis, necnon Italis, immò quibusvis exteris, ac peregrinis Basilicæ, addicto a S. Leone IV. quod vulgò nunc Campus Sanctus indigitatur, successitque hoc Cœmeterium reliquis quinque antiquioribus, nempe Cœmeterio S. Justini ad Italorum, & Longobardorum, S. Mariæ in .... ad Anglorum, S. Michaelis Archangeli ad Frisiorum, S. Peregrini ad Latinorum, demum S. Mariæ ad Saxonum sepulturam. Ecclesiæ, ac Cœmeterio prædictis, proxima erat magnæ amplitudinis domus, quam addito grandi coenaculo, necnon aulis, & cubiculis, multi Summi Pontifices, & præsertim Gregorius XIII. ampliorem effecerunt, ut inibi tredecim peregrini quotidiè, ad id institutis ministris, ad mensam susciperentur, omnesque alii egeni, alimento reficerentur. Et hæc suffecta fuit domus antiquo Xenodochio a Divo Gregorio Magno, aliisque duobus a Stephano II. circa Basilicam excitatis.

Sed jam reliquæ quadriporticûs partes nos vocant, quas a Symmacho

Papa marmoreis tabulis constratas, exornatasque Musivis operibus, Constantinus Papa, sex Sanctarum Synodum picturis, conspicuas reddidit. Primò autem de his partibus dicendum est, quæ Meridiem, & Aquilonem prospectant. Porrò hæ quot columnis, tot parastatis lateritiis elevabantur, cum totidem arcubus, sive fornicibus in intercolumniis, loco peristyliorum, tectum fulcientibus. Et sub his arcubus undique ad Basilicam per gradus ascendebatur. Tempore autem procedente, dextera hujus quadriporticûs pars, aulis cappellæ Juliæ, & Ædibus Altaristæ; sinistra verò, ædificiis Palatii Apostolici, & Sacræ Rotæ Auditorum, atque Datarii cubiculis, clausa fuit.

149. Verùm ab hisce partibus quadriporticûs ad posteriorem, ulterioremque inspiciendam accedamus. Hæc ad Orientem sita erat, pluribusque parastatis cum fornicibus, porticibusque, & columnis, immò parietibus plurimis intersecabatur. Exigua quædam ejus pars, adhuc vivente Alpharano, supererat, cujus in medio, sex illæ jam supradictæ januæ laxabantur, tres Ortum, tresque Occasum spectantes; in quadam ex parastatis e diametro dictam porticum, ab Aquilone in Austrum intersecantibus, ara antiquissima visebatur S. Mariæ in Turri appellata. Ante hanc Imperator electus ad recipiendam a Summo Pontifice Imperii coronam approperans, ubi Basilicæ gradus ascendisset, osculatusque Pontificis pedes fuisset, & ab eodem, osculo & amplexu benignè exceptus, inter Canonicos adoptabatur, seque jurejurando Deo, & Beato Petro Apostolo promittebat protectorem, defensoremque futurum, tum Pontificis, cùm omnium S.R.E. jurium, atque bonorum. Inde Imperialibus insignibus superindutus Basilicam ingrediebatur. Latè hæc describitur cæremonia in libro Rituum Ecclesiasticorum, qui sub nomine Christophori Marcelli Archiepiscopi Corcyrensis circumfertur, in tota Sectione IV. Hæc autem pars quadriporticûs S. Mariæ in Turri vocabatur, vel propter unam ei proximam, vel, ut aliis placet, propter duas Turres Campanarias, inter quas illa media attollebatur.

150. Intra porticum verò a dextris in Austrum, e conspectu Turris Campanariæ, domus aderat Archipresbyteri, ac aulæ pro janitoribus, Sacerdotibus, Ministrisque Basilicæ. Deinde verò porticûs pars, Archipresbyteri domo clausa fuit, cùm vetustate penè labens a Richardo Cardinali Constantiensi, ejusdem Basilicæ Archipresbytero, restituta, & pristino decori suo reddita fuisset.

151. Huic autem Archipresbyteri domui, opposita tollebatur Turris Campanaria, cùm mole, tum gravi ac sonoro campanarum tinnitu celeberrima, de qua Bibliothecarius in Hadriani I. vita sic narrat: *Unde ex nimia fervoris dilectione pro honore Beati Petri Apostolorum Principis, & ornatu ipsius Sancti Patriarchii, construxit, atque ædificavit ibidem noviter turrem, miræ pulchritudinis decoratam, cohærenti porticu, quæ descendit ad balneum. Ubi, & deambulatorium, scilicet solarium suum, cancellis æreis, nimis pulcherrimè construi fecit. Sed & porticum ipsam, quæ vetustate diruta inerat, nimis utiliter renovavit, & picturis, atque marmoribus eamdem turrem, & cuncta ædificia ab eo noviter constructa, deco-*

decoravit. Ciacconius in Clementis VI. vita narrat, Anno Dominicæ Incarnationis 1352. paulò ante ipsius Pontificis mortem dirum Cometam fulsisse, & quatriduum ante ejus obitum, quarto nonas Decembris, Turrim Cimbalariam S. Petri in Vaticano (sic erat appellata) fulmine cœlitùs tactam, magnaque ex parte culmen ejus disjectum, & vi ignis campanas fuisse fusas. Hujusmodi Turris exemplar demonstratur in Tab. XII. lit. A. de qua Turri etiam supra disseruimus.

152. Tradit Petrus Mallius n. 51. ante hujusmodi posterioris quadriporticûs frontem, tres januas summæ vetustatis fuisse, quæ postea a Nicolao V. fuêre restitutæ, ac in earum æreis valvis civitatum nomina, quæ ab Imperatoribus, Regibus, aliisque Principibus, Sanctæ, & Apostolicæ Sedi donata fuère, argenteis literis insculpta, ac adnotata, quas se vidisse, & legisse sequentibus testatur verbis: *Quantam reverentiam, quantam dilectionem totus Orbis terrarum huic Sacrosanctæ Beati Petri Basilicæ exhibeat, quantumque Christianissimus Romanorum Imperator Carolus, eam ditaverit, & honoraverit, in vita beatæ recordationis Domini Hadriani I. Papæ manifestissimè indicatur. Nam donationem Beato Petro, & ejus Successoribus per Cappellanum, & Notarium suum Etherium religiosum, & prudentem virum lætus fecit. In qua concessit prænominato Pontifici Domino Hadriano, & Successoribus in perpetuum has urbes, & castella; idest a Lunis cum insula Corsica; deinde in Suriano; deinde in Monte Bardone, idest in Vereto: deinde in Parma; deinde in Regio; & exinde in Mantua, atque Montem Silicis, simul & universum Exarchatum Ravennatium, sicut antiquitùs erat. Atque Provincias Venetiam, & Histriam; Necnon & cunctum Ducatum Spoletanum, seu Beneventanum: factaque eadem donatione propria sua manu eam ipse Imperator corroborans, universos Episcopos, Abbates, Duces, & Grafiones in ea ascribi fecit. Quam nimirum chartam donationis prius super altare Beati Petri superiùs, & postmodum intus in Sancta ejus Confessione ponentes, tam ipse Franciscorum Rex, quàm ejus Principes Beato Petro, & ejus Vicario Sanctissimo Hadriano Papæ sub terribili sacramento sese omnia conservaturos, quæ in eadem charta donationis continentur, promittentes tradiderunt. Appaream quoque ipsius donationis per eumdem Etherium ascribi faciens, intus super corpus Beati Petri sub istis Evangeliis positis pro firmissima cautela, & æterna nominis sui, & Regum Francorum memoria propriis suis manibus posuit. Aliaque ejusdem donationis exempla per Scriniarium S. R. E. ascripta, ejus excellentia secum deportavit: & ideò, ut putamus, in memoriam tam magnificæ donationis nomina civitatum, quæ prænominatus Romanorum Imperator huic Sacrosanctæ Ecclesiæ contulit, in portis æneis, quæ super gradus B. Petri fuerunt, videlicet in introitu Ecclesiæ S. Mariæ inter Turres, argenteis literis annotata fuerunt, sicut nos vidimus, & sæpè cum fratribus nostris legimus.* Eædem januæ exteriùs, quatuor ornabantur columnis cum suis capitulis, e lectissimo marmore. Harum januarum, ac columnarum locus designatur in dicta Tab. XII. litera K. Supra verò, ac interiùs in parietibus perantiquo Musivo opere expressæ erant imagines Salvatoris in thro-

throno ſedentis, & hinc inde SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, necnon Angelorum, aliorumque Sanctorum cum hac Inſcriptione:

Tibi Chriſte ſit laus, honor, & decor.

SECTIO XI.

De iis, quæ olim erant in Eccleſia Sancti Andreæ Apoſtoli, in veſtibulo Templi Apollinis.

153. TOtum illud ſpatium, quod medium jacet inter Eccleſiam S. Petronillæ, parieteſque Baſilicæ, navim tranſverſam in Auſtrum claudentes, occupabat Eccleſia S. Andreæ num. 153. cujus ornatui, & elegantiæ Symmachus Papa maximè ſtuduit. Sic enim in Pontificali libro, ac hujus Pontificis vita legitur: *Fecit Baſilicam S. Andreæ Apoſtoli apud B. Petrum Apoſtolum, ubi fecit Ciborium ex argento, & Confeſſionem penſ. lib. centum, & viginti. Arcus argenteos tres penſ. ſingulos libras ſexaginta.*

Sub ſilentio prætereundum minimè eſſe cenſeo, locum iſtum ex præcitati Mallii lectione, dubium reddi; nam numer. 16. ſic ſcribit: *Infra Palatium verò Neronis eſt Templum Apollinis, quod nunc vocatur Sanctæ Petronillæ, in quo eſt reconditum corpus ejuſdem Virginis, ante quod eſt Baſilica Sancti Angeli, quæ vocatur Vaticanum, mirifico moſibo laqueatum auro, & vitro. Ideò verò dicitur Vaticanum, quia Vates, ideſt Sacerdotes, antiquitùs canebant ibi ſua officia, ante Templum Apollinis: & ideò tota illa pars dextra Baſilicæ B. Petri, qua iter per Porticum Pontificum, & uſque ad Portam Argenteam, vocabatur Vaticanum. Ibique eſt aliud Templum, quod fuit Veſtarium Neronis, quod modò vocatur Sanctus Andreas: in cujus Altare Beatus Gregorius Papa, ut a noſtris majoribus accepimus, recondidit brachium Sancti Andreæ Apoſtoli, & Beati Lucæ Evangeliſtæ, quæ cum magna devotione detulit a Conſtantinopoli.* Hæc Mallius, qui in hac ſua narratione de tribus præcipuè locis mentionem facit, nempè de Templo Apollinis in Eccleſiam Sanctæ Petronillæ converſo; ſecundò de Baſilica S. Angeli, tertiò de alio Templo, Veſtario Neronis dicto (quod Veſtiarium legendum eſt) in Eccleſiam S. Andreæ commutato. De Eccleſia S. Petronillæ, ubi nam fuerit, ambigendum minimè eſt, cùm expreſsè illa indigitetur. Quæſtio igitur eſt de Baſilica S. Angeli, & Templo Sancti Andreæ. Locus Baſilicæ S. Angeli ex eadem Mallii lectione etiam eruitur, nempè quod erat ante Templum S. Petronillæ. Dubium igitur remanet, ubinam S. Andreæ Templum fuerit, quod antiquitùs Veſtiarium Neronis vocabatur. Hoc dubium nobis excitavit D. Petrus Paulus de Rubeis, ejuſdem Baſilicæ Beneficiatus, & de ejus rebus hiſtoricus valdè eruditus. At cùm diligenti attentione prælegatum locum ab Alpharano, aliiſque Scriptoribus deſcriptum conſiderarem, ſitum obſervavi ante Apollinis templum, illummet fuiſſe, qui a Mallio deſcribitur pro Veſtiario Neronis. Nam ſi attentè iſtius Auctoris vocem, *ibique*, perpendamus, cum dictis de Apollinis templo connectenda ſunt; cùm Veſtiarium locus ſit, ubi aſſervantur veſtes. In hoc igitur loco, quando Nero dirus ille Imperator in Circo aurigabat, ut Suetonius narrat, veriſimiliter veſtes, aliaque Imperialia depone-

ponebat ornamenta, quando nempè pro Agitatore apparebat in Circo. Non obstat, quod Mallius locum istum Templum appellet, cum eàdem utatur voce in ipso Apollinis ædificio, quod principale, & non pars est, ut Vestiarium. Quamobrem observo, Mallium de vocum electione sollicitum minimè esse, ut in hac eademmet narratione animadverti valet; quoniam Neronis Circum, Palatium appellat, cùm ex historiis, Neronem nullum aliud Palatium ædificasse comperiamus, præter illud, quod sua pretiositate Domûs aureæ Neronis nomen promeruit; lapsus est enim Mallius in voce Basilicæ, quam ædificii parti attribuit, cùm propriè Basilica Regium sit ædificium, & non illius pars, immò altare, ut mox dicemus. Insuper eumdem locum Templum nominat, cùm sit Templi vestibulum. Non obstat, quod eidem loco duo fuerint attributa nomina, quia in eo tria aderant Altaria; unde a Sanctorum nominibus, in quorum honorem ipsa Altaria dedicata erant, locus ipse nomina desumere potuit. Si enim observabatur Altare, quod in vestibuli medio situm, Sancto Andreæ dicatum erat, Templum D. Andreæ denominabatur; si verò quis animo se convertebat ad altare S. Angeli eodem in loco situm, Ecclesiam S. Angeli locum illum appellabat; ut observamus hodie in Ecclesia S. Mariæ in Cosmedin, quæ dicitur etiam Schola Græca, quæque etiam alio vocabulo *Bocca della Verità* nominatur a marmoreo simulacro inibi extante. Item in Ecclesia S. Mariæ, & S. Gregorii in Vallicella, quæ ab aliquibus Ecclesia Nova, ab aliis verò S. Philippi dicitur. Pariter in Ecclesia S. Mariæ novæ, quæ itidem a quibusdam S. Francisca, sive S. Francisca Romana vocitatur; nomina enim sunt ad placitum. Quando igitur ædificia nota sunt, sub quocumque illa nominentur vocabulo, semper pro eisdem innotescunt. Ex hactenus dictis concludi posse videtur, cùm omnes Scriptores de Basilica Vaticana tractantes, locum istum pro Ecclesia S. Andreæ designent, non obstare, quod Mallius illam Basilicam Sancti Angeli denominet, quia partem pro toto accepit. At unde digressa fuit oratio, illuc revertatur.

154. 155. Dexteram hujus vestibuli in angulo ad Occidentem tenebat sacellum, seu potiùs præmemoratum S. Angeli Altare; sinistram verò aliud S. Ursulæ, & sociis dedicatum. Totus autem hujus vestibuli, sive Ecclesiæ tractus oblongus erat, habebatque in longitudine palmos 78. juxta transversæ navis Basilicæ latitudinem.

Hac in Ecclesia S. Andreæ celebrata fuit Synodus sub Bonifacio III. Anno 531. quæ dicitur, habita fuisse in Consistorio B. Andreæ Apostoli; ubi notat Holstenius in sua Collectione Romana, a Pontificibus, & Episcopis Romæ Concilia celebrantibus, olim quæsitam fuisse viciniam Sacrarum Reliquiarum S. Petri Apostoli, ut coram eo quodammodo habita dici possent; idque deducitur ex Epist. XVI. S. Leonis Magni ad Universos Episcopos per Siciliam constitutos cap. 7. *Pari modo*. Alia Synodus a Symmacho Papa celebrata, fuit habita in Consistorio Lateranensi, ex quibus Synodis Cardinalium Congregationes, in quibus Episcoporum electiones fiunt, Consistorii nomen desumpsisse pro certo habeo.

SE-

SECTIO XII.

De iis, quæ exstabant in Ecclesia Sanctæ Petronillæ Virginis, in Templo Apollinis.

TEmplum hoc a S. Paulo I. Pont. egregiè ornatum, dedicatumque S. Petronillæ Virgini, exteriùs orbicularis, interiùs verò octangularis erat formæ, tegebaturque testudine, sive tholo rotundo; longitudo ejus, ac latitudo, inter se pares, palmos 75. adæquabant, altitudo verò palmos 55. Intra parietum crassitudinem, juxta numerum angulorum, octo sacella visebantur, æquali inter se longitudine, & latitudine palm. 20. singulaque pluribus altaribus ornabantur, quæ ferè omnia in ejus Templi, Basilicæque demolitione perierunt, quædam tamen eorum, ut ex libro Mallii, & Basilicæ Martyrologio colligitur, hæc fuère.

156. 157. Primò a dextris istius primi sacelli, per quod ad dictum Templum iter erat, aliud sacellum erigebatur contra Occidentem, & Aquilonem, in quo erat conspicuum Altare SS. Salvatoris, vulgò *De Abundantia* appellatum, quod ab Ursinorum Gente erectum, atque dotatum, cùm lapsu temporis inolesceret, Neapolio de Ursinis Comes Manupelli restitui, Testamento mandavit, ibique cum suis majoribus, & Thoma de Ursinis Comite de Manupello Sanctæ Rom. Ecclesiæ Diacono Cardinali S. Mariæ in Dominica, sepultus fuit.

158. Ponè hoc Sacellum in alio angulo sequebatur alterum cum Ara Sanctæ Mariæ Virginis, sub titulo Annunciationis, quod Maria de Comitibus jam labens restituit, dotavitque. Hujus a tergo, cùm fundamenta novæ Basilicæ ponerentur, ingens fovea inibi inventa, innumeris defunctorum ossibus, e sepulchris Templi S. Petronillæ effossis, oppleta fuit.

159. Non longè a prædicto aliud sacellum fuit Meridiem, & Occidentem respiciens, habuitque Altare non inelegans, quod pro senio ipsum nomen amiserat.

160. Sequebatur exinde longè antiquius, atque elegantius sacellum in Austrum, S. Petronillæ, filiæ B. Petri sacrum, quod cum altari, ut jam diximus, splendidissimè ornavit Sanctiss. Pontifex Paulus I. & sub eodem prædictæ Virginis corpus, viâ Ardeatinâ, maximâ cum pompâ translatum, in labro e marmore nobilissimo collocavit, cum hac Inscriptione:

Aureæ Petronillæ dulcissimæ filiæ.

Intra sacellum plura, nobilissimaque fuère sepulchra, inter quæ unum Agnetis Imperatricis Henrici II. uxoris, & aliud hoc longè pretiosius Mariæ Honorii Imperatoris conjugis. Proximè etiam tumulata fuit Thermantia Augusta ejus soror, & ipsa etiam post mortem sororis, uxor prædicti Honorii. Hoc Mariæ Imperatricis sepulchrum Anno 1544. die 4. Februarii, sub Paulo III. Summo Pont. cùm fundamenta jacerentur novæ Basilicæ, inventum fuit auro, argento, gemmisque maximi pretii refertum, quæ singula recenset Lucius Faunus in suis Antiquit. Romæ, cap. X. Sacellum hoc Ludovicus XI. Francorum Rex amplissimâ dote locupletavit; duosque ibidem instituit Cappellanos, qui ter in hebdomada pro anima dicti Regis, Missas celebrare tenerentur.

161. Ab

161. Ab hoc sacello aliud petebatur, cum ara, cujus nomen, & Auctor prorsùs latent.

162. 163. Hoc excipiebat alterum in Orientem simile superioribus, unde aditus in Templum Matris Deûm, postmodum S. Mariæ de Febribus nuncupatum. Hoc aditu mediante dicta duo Templa connectebantur, ejusque a sinistris inter Ortum, & Boream intra Ecclesiam S. Petronillæ, absidula cum Altari conspiciebatur, cujus nomen ignotum est. Ast tota Ecclesia B. Petronillæ solo æquata, in nova Basilica inclusa fuit, fornicibusque pavimentum ejusdem Basilicæ sustinentibus concamerata, & Christifidelium sepulchris addicta. Ubi verò prædictum erigebatur sacellum, sepulchrum repertum fuit, in quo penè innumera Fidelium cadavera, e Basilicæ antiquæ loculis, & ex Ecclesiis adjacentibus eruta, condita fuêre.

164. 165. In medio autem prædicti aditûs, sive transitûs in Orientem, ara S. Joannis Chrysostomi visebatur, quatuor columnis porphyreticis fulta, nobilique marmoreo tegmine cooperta. Sub hac ejusdem S. Joannis Constantinopoli translatum corpus maximâ populi, & præcipuè fœminarum frequentiâ colebatur; augebatque ejus venerationem lapis quidam Ægyptiacus, supra quem plurimorum Sanctorum Martyrum corpora cruciata fuêre, de quo etiam diximus supra sub. n. 91. Porrò lapis ipse exinde in Basilicam translatus fuit, & prope portam Guidoneam locatus; corpus verò S. Joannis Chrysostomi intra Templum Sanctæ Mariæ de Febribus. Hinc inde etiam huic aditui, erant aulæ Sanctimonialium, vulgò *le Murate di S. Pietro*, quæ inde propè Oratorium S. Gregorii, & Secretarium, ultimò ad nobiliora Urbis cœnobia translatæ fuêre.

SECTIO XIII.

De iis, quæ in Templo S. Mariæ de Febribus olim extabant.

HOc S. Mariæ de Febribus Templum, simile omninò erat alteri S. Petronillæ suprà descripto; ejus forma octangularis, ac rotunda, latitudo, ac longitudo per diametrum palmorum 75. habebatque in parietum crassitie octo sacella, singula singulis in angulis. Adhuc integrum in Basilicæ Sacrarium conversum cernitur. Duo hæc maximæ vetustatis Templa conjunctim extructa, atque per eum aditum, sive transitum, quem descripsimus, connexa, a quo excitata fuerint, ignoratur. Verisimile tamen est, Ethnicorum opus fuisse, qui in medio Circi erigebant Templa, cùm hæc in medio Circi Caii Neronis extructa essent, & majorum traditione acceptum sit, unum ex his, quod nunc est S. Petronillæ, Apollinis, sive Solis Templum fuisse; alterum verò, nempè S. Mariæ de Febribus, Templum Matris Deûm, de quo disseruimus suprà in principio, & num. 162. Modò hujus Templi descriptionem aggrediamur.

166. 167. A dextris igitur sacelli, per quod in Templum aditus erat, sequebatur aliud cum altari, inter Occasum, & Austrum situm, sed cui sacrum esset, olim quoque ignorabatur.

168. Juxta hoc aliud pariter in Austrum SS. Lamberto, & Servatio Episcopis erat dedicatum, ac a Georgio de Cæsarinis Basilicæ Vaticanæ Canonico,

nico, & Apoſtolicæ Sedis Protonotario ampliſſimâ dote locupletatum. Hoc autem Canonicorum ſacellum appellabatur, eò quòd inibi corpora Canonicorum ſepulchro mandari conſuetum eſſet. Item hoc in ſacello repoſitum fuit, ut ſuprà diximus, corpus S. Joannis Chryſoſtomi, cui etiam Altare, a Julio Antonio Sanctorio S.R.E. Cardinali, tituli S. Bartholomæi in Inſula, tunc Sanctæ Severinæ Archiepiſcopo, dicatum fuit.

169. A prædicto ſacello in alterum iter erat inter Meridiem, & Ortum poſitum, in cujus parietibus ſuper Altare depicta Salvatoris imago conſpiciebatur, cæterum cui ſacrum, vel a quo erectum, ſive dotatum eſſet, oblivioni datum eſt. Præcipuum ejus decus fuit B. Petri Cathedra, cui inſidebat, cùm Pontificalia munia exerceret, de cujus identitate eruditam texuit Diſſertationem Franciſcus Maria Phæbeus, Archiepiſcopus olim Tarſenſis. Culcitra etiam Martyrum, quâ eorumdem corpora cooperiebantur, cùm in Baſilicam ſepelienda deferrentur, eodem in ſacello honorificè aſſervabatur.

170. Multò nobilius erat ſacellum, quod poſt prædictum adibatur in Ortum vergens, Sanctis Andreæ, & Jacobo Majori Apoſtolis dicatum, exornatumque magnificentiſſimè a Calliſto III. Summo Pont. Altari marmoreo, cum eorumdem Apoſtolorum ſimulacris e marmore candidiſſimo, inibi extructo; necnon eximiæ ſtructuræ ſepulchro, in quo tamen haud ſepultus fuit, ſed in tumulo quodam inſtar aulæ concamerato, in penetralibus hujus ſacelli. In prædicto autem tumulo poſita quoque fuêre corpora Alexandri VI. Pontificis, & Henrici Borgiæ, Gandiæ Ducis filii, S. R. E. Diaconi Cardinalis, e priori, in quo jacuerant, loco translata. Quin etiam juxta præfatum Calliſtum III. ſepulti fuerunt, præter quamplurimos Protonotarios Apoſtolicos, Pontificum familiares, & cujuſcumque ordinis S. Apoſtolicæ Sedis Miniſtros, tres Cardinales Hiſpani, videlicet, Franciſcus Loris Valentinus, S. Mariæ Novæ Diac. Cardinalis, Joannes Borgia Presbyter Cardin. tit. S. Suſannæ, & Joannes Lopez Presbyter Cardinalis, tituli S. Mariæ Trans-Tyberim.

171. Ab hujus ſacelli tergo magnus ille obeliſcus jacebat, qui antequam a Conſtantino Cæſare Caii Neronis demoliretur Circus, in ejus medio olim ſteterat, cujus in ſummitate pomum ex ære deauratum erat, in quo Julii Cæſaris cineres fuiſſe conditas fama deprædicabat. Hunc Xyſtus V. Pontifex Maximus in medio areæ maximæ, ante hanc Baſilicam, ſummâ cùm impensâ, tum populorum admiratione, ſupra auguſtam baſim erigi imperavit, & vulgò appellatur *la Guglia di S. Pietro*. De hoc, aliiſque obeliſcis Romam advectis integrum, ac valdè eruditum edidit tractatum, Italico idiomate, Michael Mercatus, qui ejuſdem Xyſti V. ævo floruit. Cogor hic tanquam veritatis amans palinodiam canere; nam in capite III. mei operis Veter. Monim. part. 1. dixi, ſupramemoratum Michaelem, de Leonibus, quos antiquitus ſub iſto fuiſſe obeliſco fama deprædicabat, ne minimam quidem feciſſe mentionem; cùm re verà capite 39. illorum meminerit, dicatque, tunc vulgi fuiſſe opinionem, dictum obeliſcum quatuor ſuſtentaſſe Leones. Deinde erutâ terrâ, quæ obe-

obelisci basim occultabat, non Leones, sed illorum loco astragulos fuisse repertos.

172. Juxta hoc sacellum Callisti III. videre erat alterum B.Mariæ de Febribus nuncupatum, quod præcipuum fuit, & toti Templo nomen imposuit. In ejus Altaris pariete antiquissima, ac summæ venerationis inerat imago B.Mariæ Virginis Filium amplexantis; & hinc inde, paulò inferiùs, Pontificum, Cardinalium, Regum, aliorumque tam Ecclesiastici, quàm Laicalis ordinis nobilium Virorum, atque mulierum, Dei Genitrici se commendantium imagines. Hæc autem pictura, Basilicæ Secretario disjecto, & hoc Templo in Sacrarium cedente, cum toto pariete avulsa, juxta Oratorium S. Gregorii, translata fuit. Ex qua translatione accidit, ut sacellum, & Templum S. Mariæ de Febribus, Sacrarium Basilicæ appellaretur.

173. Huic proximum aliud olim extabat Sacellum ad Aquilonem, quod tamen, cui dicatum esset, omninò latebat. In eo autem plura, egregiaque Virorum illustrium sepulchra conspiciebantur; quibus deinde in hujus Templi demolitione disjectis, cadaverum ibi jacentium ossa, in polyandrium sub Altare majus novæ Basilicæ, fuerunt decenter translata.

174. Denique contra Aquilonem, & Occidentem, postremum Beneficiatorum, & Clericorum Basilicæ erat Sacellum, Sanctissimæ Trinitatis indigitatum, Sanctisque Martyribus Cosmæ & Damiano sacrum, ac splendidè ab Ansuino Beneficiatorum Priore dotatum. Hujus in medio sub pavimento eorumdem Beneficiatorum, & Clericorum fuerunt sepulchra; suprà verò juxta parietes, tumuli lateritii Alexandri VI. Papæ, & Henrici de Borgia Cardinalis, in quibus eorum corpora jacuêre, antequam in sacellum Callisti III. deferrentur, ut suprà jam dictum est. Hæc de hoc Templo, necnon de totius Veteris Basilicæ, Templorumque adjacentium mole, & ornatu indicata satis superque existimari posse arbitramur, a nobis præcipuè, qui levi calamo hæc describenda suscepimus, cùm plurimi egregii Scriptores non desint, qui luculentissimos, plenissimosque de Basilica S.Petri, cæterarum Christiani Orbis Ecclesiarum splendore, & augustâ magnificentiâ præcipuâ, tractatus ediderint.

SECTIO XIV.

De exterioribus partibus ad Basilicam Vaticanam spectantibus.

HÆsimus hactenus in descriptione interiorum partium hujus Basilicæ, modò extra eamdem vagemur, & ad circumjacentes ædes, quæ non ob structuram tantummodò, verùm etiam ob antiquorum Christifidelium pietatem, ac religionis fervorem, non in paucis commendabiles sunt, oculos convertamus. Ut verò rem altiùs ordiar, pauca præmittenda mihi videntur de Monachorum ordinibus, atque instituto in Urbem introducto, circa annum Christi 340. quod sic evenit. Cùm Anastasius Alexandrinorum Episcopus ab Arrianis suâ sede fuisset pulsus, Romam venit, atque hîc Monachorum Ægyptiorum institutionem, & admirabilem vitam Magni Antonii adhuc viventis a se descriptam, promulgavit. Quare simul, & ad devotionem,

tionem, & ad consectandæ vitæ monasticæ studium plurimas ex Romanis fœminis, nobilissimasque incitavit, ut S. Hieronymus testatur Epistolâ 16. ad Principiam Virginem. Hinc autem non irrationabili conjecturâ argui posse crederem, Monasteria circa Apostolorum sepulchrum fuisse constructa, utpote, quæ non parum suâ solitudine hujusmodi instituto conformarentur, cùm Vaticana Basilica extra Urbem tunc temporis posita esset. Nostra hæc conjectura ex ipsismet Monasteriis circa hanc Basilicam excitatis, describendisque, clariùs apparebit. Hæc autem quinque fuisse constat ex duabus concessionibus, unâ Joannis XIX. qui floruit anno 1014. & alterâ Benedicti IX. qui vixit anno 1034. in favorem Petri Episcopi Sylvæ Candidæ factis, ut apud Ughellium videre est Tom. I. paginâ 108. Ibi enim hæc Monasteria numerantur, videlicet S. Stephani Majoris, & Minoris, SS. Joannis, & Pauli, & B. Martini, atque S. Theclæ. At præter hæc aliud apud Bibliothecarium in Vita Leonis III. reperio, nempè Monasterium in Hierusalem, de quo infrà dicemus ad lit. aa. Verùm præterito sæculo trium tantummodò supererant parietinæ, de quibus infrà.

a. Per eam igitur antiquissimam januam, versùs Occasum, quam suprà jam indicavimus sub n. 13. Tab. VII. facilis erat aditus ad proximum Monasterium S. Martini, cujus etiam situs ostenditur in dicta Tabula sub lit. a. De hoc Monasterio mentio fit in dicta vita Leonis III. hisce verbis: *Pari modo & Monasterium S. Martini Confessoris, atque Pontificis, situm ubi supra* (videlicet prope Ecclesiam B. Petri Apostoli) *quod nimia fuerit vetustate quassatum, penè omne a fundamentis restauravit.* Hic autem perpendendum, Leonem creatum fuisse Pontificem Anno 795. ac proide cùm ab anno 340. (quo tempore, ut diximus, Romæ Monasteria construi cœpere) usque ad præfatum Leonem anni 455. effluxissent, eo temporis spatio fabricas corruisse, adeò ut jure Bibliothecarius hoc Monasterium nimiâ vetustate quassatum tradiderit. De hoc etiam Monasterio Scriptor vitæ Leonis IV. in eodem Libro Pontificali sic ait: *Hic primùm* (nempe Leo) *a Parentibus ob studia literarum in Monasterium Beati Martini Confessoris Christi, quod foris muros hujus Civitatis Romanæ, juxta Ecclesiam B. Petri Apostoli situm est, quousque sacras literas plenitùs disceret, spontè concessit. Ubi non solùm literas didicit, verùm etiam in studio Sanctæ conversationis, non quasi puer, sicut tunc erat, sed velut perfectus Monachus mansit. Cujus etiam piæ conversationis exemplo alii sub eodem Monachico degentes ritu, Omnipotenti Domino plus devotè serviebant.* Ex quo Monachos huic Basilicæ in Divinis inservisse deducitur, ut narravimus suprà num. 39. & Monasteria literarum fuisse seminaria, e quibus multi Romani Pontifices prodière, qui Ecclesiæ Romanæ alumni appellabantur, ac nutriti in aula Romana. In hac quoque vita hæc habentur: *Idem egregius Pontifex in Monasterio S. Martini, quod B. Petri Apostoli Basilicæ cohæret, ad laudem, & gloriam ipsius B. Martini oraculi pulchritudinis vestem perfecit, habentem historiam supramemorati Sancti jacentis in lecto, cum effigie Salvatoris Domini nostri Jesu Christi*. Idem inferiùs repetitur, scilicet: *In Monasterio S. Martini, quod ipsius Apo-*

Apostolorum Principis Ecclesiæ cohæret, fecit lucernam ex argento fusilem, ac bimixtam pens. lib. viginti septem, & dimidiam. Demum ibidem scribitur: *Monasterium Sancti Martini, quod longo senio erat casurum, miris domorum ædificiis restauravit, & ad honorem meliorem, quam priùs fuerat, funditus decoravit*. Alia de hoc Monasterio leges in vita Benedicti III. qui præfato Leoni successit.

b. Huic autem proximum aliud extitit Monasterium, sed longè majoris operis atque molis, ut ex superstitibus parietinis argui valet; locum, & Ichnographiam vide in eâdem Tabula VII. lit. b. Dicebatur hoc Monasterium S. Stephani Majoris ad differentiam alterius Minoris, de quo infra lit. f. ac in vita Leonis III. narratur, ibi: *Præsertim igitur & Monasterium S. Christi primi Martyris Stephani, quod appellatur Cata Galla Patritia, quod præ nimia vetustate jam emarcuerat, atque ex parte corruerat, idem præsagus Pontifex* (scilicet Leo) *certamen ponens a fundamentis simul cum Oratorio firmum jacens fundamentum, in meliorem erexit statum*. Gallam istam præclaram eam fœminam fuisse puto, Theodosii Junioris filiam, ac Constantii Cæsaris uxorem, necnon Valentiniani III. Matrem, non tam nobilitate, quàm religione insignem, cùm sacra plurima ædificia Leonis I. Sanctissimi Pontificis hortatu construxerit, atque ornaverit; de qua nobilissima fœmina diximus etiam in nostro opere de Vet. Monim. part. I. cap. 23. & 24. Sexcentis circiter annis Monachi in eodem Monasterio permanserunt, donec illud Leo IX. Capitulo præfata Basilicæ univit. Ejus autem quædam adhuc vestigia supersunt, in exiguam tamen Ecclesiam conversa, quæ Abissinorum, seu Æthiopum nationi, ab Eugenio IV. concessa creditur. Plura de hoc celebri Monasterio referre valerem; sed brevitati studens abstineo, Lectoremque ad sæpecitatum Turrigium pag. 327. & 480. remitto.

c. Litera hæc Ecclesiam Sancti Andreæ a Symmacho Papa constructam designat, de qua etiam egimus supra sub numero 153. Ejus longitudo palmos 78. æquabat. Tria in eadem erant Altaria, primum ad sinistram ingressûs, cujus ob vetustatem denominatio ignota erat. Secundum ad dexteram D. Michaeli Arcangelo dedicatum, ac S. Angeli Vaticani nomine insignitum, Musivoque opere erat ornatum. Tertium verò Altare in medio Ecclesiæ, in honorem S. Andreæ Apostoli, erectum fuerat. Alia de iisdem Altaribus diximus sub num. 153. 154. & 155. In Pontificali libro, ac vita Joannis VI. legimus, Pontificem hunc hac in eadem Ecclesia ambonem noviter fecisse.

d. Templum S. Petronillæ dicatum, exteriùs formæ orbicularis, interiùs formæ octangularis ab Honorio I. Summ. Pont. extructum, ut in Pontificali, ac ejusd. Pontificis vita. De hoc Templo disseruimus sub. n. 153 & seqq.

e. Templum S. Mariæ de Febribus, de quo itidem sub num. 162.

f. Monasterium S. Stephani Minoris. Duo Monasteria ad ejusdem Sancti honorem fundata fuisse reperio, ut nuper lit. b. retuli; unum sub denominatione Cata Galla, alterum Cata Barbara, quamobrem ea ex nominis affinitate confunduntur, ac unum, & idem esse existimantur; contrarium tamen arbi-

arbitror, nempe primum tamquam majus, & magnificentius a Galla Placidia; secundum verò a Barbara Patritia fuisse constructum; nam Græca vox κατὰ plures habet significationes: hîc autem nihil importare putaverim præter particulam *in*, adeò ut genuinus sit sensus, in Galla Placidia, & in Barbara Patritia: ex eo quia Monasterium in prædio, vel in ipsius Gallæ Placidiæ bonis constructum fuerit, ut dicimus de hac Basilica, quæ cùm in Campo Vaticano excitata sit, Basilica S. Petri in Vaticano appellatur.

g. Canonicorum habitatio, vulgò *Canonica*, a Nicolao III. qui sedit anno 1277. ampliata.

h. Auctor est Alpharanus, hîc olim duas extitisse Ecclesias, quarum & nomen ignotum erat, & ædificia, in novæ Basilicæ constructione demolita fuere. Putat tamen, earum alteram, versùs Occasum, fuisse Monasterium, appellatamque Ecclesiam Sanctor. Joannis & Pauli; alteram verò, contra Orientem, SS. Sergii & Bacchi, ut ex librorum lectione, ac monimentis magnarum domorum inibi repertis, facillimè conjici poterat. Monasterium hoc SS. Joannis & Pauli, a S. Leone I. in ejus Vita constructum reperio, & fortasse unum ex illis fuit, quod Galla Placidia, ut suprà narravimus, excitavit.

i. Prædicta verò Diaconia SS. Sergii & Bacchi antiquitùs Oratorium tantùm erat, quod Gregorius III. anno 732. in ampliorem redegit formam, eidem omnia concedens, quæ in Diaconiæ usum necessaria esse viderentur. Quænam verò ista concessio fuerit ex Hadriani I. Vita deducitur, ubi sic: *Idem egregius Præsul* (nempè Hadrianus) *Basilicam Beati Hadriani Martyris, & Sanctor. Cosmæ & Damiani a novo restauravit, Diaconias constituit, in quibus, & multa bona fecit per suam sempiternam memoriam, concedens agros, vineas, oliveta, servos, ancillas, & peculia diversa, atque res mobiles, ut de reditu eorum crebris exactionibus Diaconiæ proficientes, pauperes Christi reficerentur.*

Tres huic similes Diaconias, idem Pontifex propè Basilicam Vaticanam erexit, ut in ejusdem Vita, ibi: *Hic coangelicus Vir divinà inspiratione ignitus constituit Diaconias tres, foris portam Beatorum Apostolorum Principis, idest unam quidem Sanctæ, & gloriosæ semper Virginis Dei Genitricis Mariæ Dominæ nostræ, quæ sita est in atrio; aliam verò suprascriptæ, & intemeratæ Dominæ nostræ, quæ sita est foris portam Beati Petri Apostoli in capite porticus. Nec non & aliam Diaconiam, quæ appellatur Sylvestri, juxta hospitale S. Gregorii. Quas suprascriptas Diaconias hic almificus vir in abditis, sine misericordiæ fructu reperiens, noviter restauravit, ubi & dona plurima mobilia, atque immobilia pro remedio animæ suæ obtulit, & constituit, ut per unamquamque hebdomadam, quintæ feriæ die, cum psallentio a Diaconia usque ad balneum pergerent, & ibidem dispensatione per ordinem pauperibus consolari, atque eleemosynam fieri.* Verùm de tribus his posterioribus Diaconiis nullam apud eos, qui de Vaticana Basilica scripsere, mentionem reperio.

k. A tergo veteris absidis a Cl. Viro Probo, Prætorii Præfecto, qui vixit sub finem IV. sæculi, Templum magnificum constructum fuit, quod in Tabula Ichnographica lit. K. designat. De hoc Probo, Probaque ejus uxore, foemi-

foemina non solùm genere, verùm etiam sanctitate illustri, plura scripsère elogia SS. Joannes Chrysostomus, Augustinus, & Hieronymus, ac recèns Aringhius in sua Roma subterranea Tom. 1. lib. 2. cap. 10. ubi marmoreum sarcophagum miris cælaturis elaboratum, ac tres icones, diversos ejusdem sarcophagi aspectus repræsentantes, refert, in quo ipsum Probum cum uxore tumulatum fuisse narrat citatus Aringhius, ad quem curiosum Lectorem remitto. Sarcophagus iste in sacello ad lævam ingressûs Basilicæ extabat, ac pro Sacro inserviebat fonte; hic verò, præsenti anno 1692. quo hæc scribimus, ab eodem loco amotus, in quadam camera prope Crucifixi sacellum, repositus est.

l. Cœmeterium Vaticanum, sive Fontis S. Petri designat.

m. Bibliothecæ Pontificiæ locum cum pluteis demonstrat, quamplurimis antiquissimis Codicibus refertæ, qui in novam Bibliothecam Vaticanam deinde translati fuère.

n. Sacrarium antiquum pro supellectili asservanda, supra quod erant magnæ aulæ, & cubicula pro Basilicæ ministris, ejusdemque Sacrarii custodibus.

o. Magnum, & perantiquum Oratorium, quòd tamen cui Sanctorum olim dicatum esset, ignorabatur, quod postmodum Antonius Cardinalis Ilerdensis primævo nitori restituit.

p. Aliud non imparis molis Oratorium extra Basilicæ latera protensum, quod cum Altari a Baptista Zeno Veneto S. Mariæ in Porticu Cardinali extructum fuit.

q. Sacellum a Xysto IV. extructum, atque ornatum, necnon locupletissimâ dote auctum, qui ibi sedilia lignea triplicis ordinis, juxta tres Clericorum ordines, in magnificentissima Basilica divinas persolventes laudes, stabilivit. Binos quoque Beneficiatos, ac totidem Clericos Xystinos nuncupandos adjunxit, multa quoque sacra lipsana in Altari reposuit, plurimasque indulgentias aram D. Antonii visitantibus impertivit. De hoc eodem sacello diximus suprà sub num. 66.

r. S. Thomæ Apostoli Oratorium, a Symmacho Summo Pontifice, qui sedit in fine V. sæculi extructum.


s. Aliud adeò venerandæ antiquitatis Oratorium erat, ut & a quo ædificatum, & cui nam Sancto dicatum esset, penitùs lateret. In hoc olim translatæ, clausæque vixerunt Sanctimoniales, vulgò *le Murate di S. Pietro*; quæ ut num. 166. indicavimus, inter Templa S. Mariæ de Febribus, ac Sanctæ Petronillæ juxta sacellum S. Joannis Chrysostomi quibusdam in aulis antiquitùs clausæ degebant. Postmodum verò jubente B. Pio V. in alia Urbis Monasteria commigrârunt.

t. u. Duo annexa Monasteria, nempè S. Sofii, & S. Apollinaris, quæ a supradicto Symmacho Pontifice extructa fuisse Panvinius, & Alpharanus arbitrantur; cùm eorumdem Monasteriorum in hujus Pontificis Vita mentio habeatur.

x. Post hæc Oratoria antiquissimum sequebatur ædificium, S. Ambrosii Ecclesia denominatum, cùm eidem Sancto Episcopo, Ecclesiæque Doctori dicatum esset. Hujus in Ecclesiæ demolitione, ac in egestione terræ, ad nova fundamenta Cappellæ Gregorianæ jacienda, multa Christianorum corpora reperta fuère, quæ ante pectus aureas pendentes capsulas habebant,

in

in quibus una ex parte literis Græcis Sanctiſſimum Chriſti nomen inſculptum erat, ut vides.



Ex altera autem columbarum effigies, quæ cùm pacis ſymbolum ſint, per hæc hieroglyphica denotabant, defunctorum animas in pace ad Dominum evolaſſe, ut ex Aringhio lib. 3. cap. 2. colligi valet. His in capſulis Evangelium S. Joannis in charta deſcriptum nonnulli incluſum fuiſſe autumant, atque inde tum tempore, tum loci ſquallore, ac fœditate in pulverem verſum. Hunc antiquorum Chriſtianorum ritum deferendi e collo pendulum Evangelium deſcripſimus in noſtro opere de Veter. Moniment. parte 1. cap. 16.

y. z. Duo perantiqua Oratoria, quorum ob nimiam vetuſtatem memoria perierat.

aa. Sequebatur hinc vetus Eccleſia, in tres naves diviſa, ut olim mos fuit, ac argui poteſt ex illis, quas in noſtro præfato opere de Veter. Moniment. allegavimus, pretioſiſque novem columnis hinc inde ſuffulta, ac S. Vincentio Martyri dedicata. Hæc olim Monaſterium in Hieruſalem vocabatur, de quo ſermo eſt in vita Leonis III. ubi ſic: *Fecit autem & in Monaſterio Hieruſalem, quod ponitur ad Beatum Petrum Apoſtolum, caniſtrum ex argento penſans libras duas*. Itidem in Leone IV. legitur ſimiliter: *Et qui in venerabili Monaſterio Hieruſalem, quod juxta Eccleſiam B. Petri Apoſtoli ponitur, fecit veſtem de fundato cum orbiculis in circuitu ornatam cum liſta de chryſoclavo cum velis, & imizino duobus, & de fundato tribus*. Monaſterium hoc Grimaldus, a Martinello citatus, aſſerit, ſub Alexandro III. Eccleſiam S. Vincentii appellatam fuiſſe; ac anno 1561. novi Templi causâ exciſam, ac ad cellæ vinariæ uſum jamdudum redactam, obliteratis vetuſtate picturis; ornatas naves fornicatas licèt anguſtas, oſtium ad Ortum Solis habuiſſe, ex quibus decem, & octo columnæ integræ marmoris Glareati 20. ferè palmorum fuerunt repertæ. Poſtmodum verò Collegium evaſit, ac in ea Canonici cum Archipresbytero (non tamen Cardinali) commorabantur. Deinde Nicolaus V. hanc ſuppreſſit Collegiatam, illiuſque fructus Capitulo, & Canonicis Vaticanæ Baſilicæ univit. Plura de hac Eccleſia ſcribit Severanus de ſeptem Urbis Eccleſiis, ad quem Lectorem remitto.

bb. Gradus, per quos ad Palatium Pontificium aſcendebatur.

cc. Oratorium S. Gregorii de Palatio appellatum, in quo corpus ejuſdem Sancti a Greg. IV. translatum fuit.

dd. Secretarium, ubi olim Romani Pontifices, dum e Laterano ad Eccleſiam Sancti Petri accedebant, veſtes Pontificias ad divina peragenda aſſumere ſolebant.

ee. Veſtibulum Secretarii, ubi plures Pontifices ſepulti jacuère. Non procul ab hoc loco die 29. Septembris præteriti anni 1689. cùm ibi moraretur currus Eminentiſſimi Cardinalis de Lauræa, Mulæ terram percutiendo, foveam aperuerunt, in qua marmoreus erat ſarcophagus, qui effoſſus infraſcriptam Inſcriptionem oculis intuentium oſtendit, videlicet:

Fe-

Felix. Sanctæ. fidei. vocitus. iit
in pace. Cujus tantus amor. & caritas.
retenetur. ab amicis
in aueuo. Qui cum es. set. fuit
Solacius. & misericors. omnibu
snotus. Agrippina. fecit.
Dulcissimo suo Marito
Cum quem. vixit. sine. lesione
animi. annos III. & MX. fuit in
Sæculum. quod vixit. ann.
XXXII. dep. XIII. Kal. Sep. Valen
tiniano. N. P. & Victori Conss.

Quibus soloecismis præfata Inscriptio scateat, latinæ Linguæ periti judicent; quo tempore autem fuerit exarata, ex ipsis Consulibus elicitur, qui anno Christi 371. Consulatum ambo gesserunt: literæ N. P. Nobili Puero denotant.

Ut magis Lectoris curiositati indulgeam, locum, ubi sarcophagus inventus fuit, in sæpè citata Tab. VII. lit. Δ. ostendo.

ff. Ecclesia SS. Salvatoris de Ossibus, sive in Magello, aut Macello, vel de Torrione. Ecclesia hæc nunc profanata est, unitaque Palatio Sanctissimæ Inquisitionis. Eamdem a Carolo Magno fundatam fuisse, tradunt Turrigius, & Martinellus, quorum testimonia hîc referemus. Turrigius igitur pag. 525. hæc se reperisse asserit in quodám Ms. Codice continente Ecclesias, Hospitalia, Monasteriaque Basilicæ Vaticanæ subjecta, videlicet: *Item subjicitur dictæ Sacrosanctæ Principis Apostolorum de Urbe Ecclesia S. Salvatoris de Terione, quæ a Carulo Magno Imperatore ad sepulturam omnium Ultramontanorum, & omnium quorumcumque, ubicumque, & qualitercumque ad Urbem venientium pauperum, vel divitum, nobilium, vel ignobilium quocumque decedentium in hac alma Urbe Romà, vel in circuitu ejus a Sutrio usque ad Ananiam, vel Alb. fuit concessa Basilica Sancti Petri cum possessionibus, juribus, & utilitatibus suis ab ipso Carulo primo Imperatore, & Leone Papa IV. (idest III.) Consuetum fuit tamen de bonis Cameræ dictæ Basilicæ dari in festo Salvatoris comedere triginta pauperibus pro redemptione animarum omnium Fidelium defunctorum, & oleo pro festo. Tamen oleum, & comestio pauperum fuerunt taxata Sacerdoti in viginti pauperes, & Sacerdos cætera facere teneatur, de quo pauperes malè possunt sustentari. Tenetur etiam de more Capitulum Basilicæ supradictæ totum, ut Collegium, ire illuc in festo ejus, & vesperis vigiliæ, & in vesperis festi, & post vesperas, cantare vesperos, & vigilias defunctorum, & postea Sacerdos indutus pluviali violaceo cum Acolitis, cum candelabro, & faculis accensis, incenso, & aqua benedicta, ire per sepulturas, & cœmiterium supradict. omnibus aliis dictæ Basilicæ Institutis procedentibus, & cantare psalmos pœnitentiales. Quibus completis Sacerdos, & Clerici S. Salvatoris prædicti debent omnibus, & singulis dictæ Basilicæ, qui ministrant, & officialibus vinum bonum propinare affluenter, & dare pyra, mala, nespula, castanea, nuces, & hujusmodi. Ante statutum D. Nicolai PP. III. Capitulum monebat (idest faciebat) ibi bonam distributionem de bonis Cameræ Basilicæ supradicto Sacerdoti ipsius Ecclesiæ Sancti Salvatoris. Cura Peregrinorum connectitur infirmorum, qui Sacerdos eisdem debet Sacramenta Ecclesiastica ministrare. Bona autem omnia reliqua Peregrinorum quorumcumque, qualitercumque, & quomodocumque ad ipsam Sacrosanctam Basi-*

Basilicam provenientia devolvuntur, ut Dopnus Leo Papa IX. eidem Basilicæ concessit, & est usque in hodiernum diem inconcussè servatum. Hæc Turrigius; Martinellus verò in sua Roma Sacra, ac in eadem Ecclesia sic scribit: *Narratur, quod Leo PP. IV.* (idest III.) *ædificavit unam Ecclesiam in civitate nova Leonina, juxta murum in prædium, quod dicitur Magelli, non longè a monte, qui vocatur Vaticanum, ad utilitatem sepeliendi egenos in honorem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi. Et idem Imperator libenti voto augeri cupiens, atque ampliari, Altare ibi consecrare fecit, & maxima reliquiarum congeries condiri statuit in honorem Salvatoris, & Stephani Protomartyris, Sancti Laurentii, & Beatorum Joannis & Pauli; ibique condidit de vestimentis Sancti Stephani Protomartyris, ac unam parapsidem plenam de carbonibus, quibus ustus fuit Sanctus Laurentius, & duabus costis Sancti Joannis, & armilla Pauli, et duas torques de Sergius, et Bacchus, et Bacchus Primicerius, et Secundicerius, et bojam* (idest funem) *de collo Alexandri V. Papæ,* (idest quinti a S. Petro) *et de capillis ejus quantum pugillo capere potest. Concessit unam Curtem, quæ dicitur Maceranum, novem filas ad Sale faciendum, quas emerat a Joanne Portuense Episcopo, Cruces, Calices, coclearia, forficulas, et alia paramenta, necnon Crucifixum argenteum lib. 60. cum suis gabbathis, sive lampadibus. Voluitque, ut in dicta Ecclesia forent perpetuò tres Presbyteri, et duodecim Clerici tonsis comis de Aquitanio, et aliàs, prout latiùs continetur in dicto privilegio. Datum Anno 797. Indictione 7. in Palatio juxta Vaticanum ad Basilicam Sancti Petri, mense Decembri, die 22. Alcuino, et Fredigardo Cancellariis.* Has desumpsi subscriptiones ex eodem Turrigio, pag. 487. ubi notatur, quod licèt in supradicto privilegio nomen Leonis IV. & Caroli Magni legatur, nullum propterea adsit error, eò quod Leo III. dictus fuerit etiam IV. a Ricaredo Monacho Cluniacense in Chronico Ms. in Bibliotheca Vaticana num. 4765. ubi post Sergium II. ponit quemdam Leonem III. ac idem ponitur a Martino Polono. Quin etiam Leo III. sub nomine IV. habetur in diplomate Leonis IX. in Archivo Basilicæ, confirmantis dictam Ecclesiam S. Salvatoris a præfato Carolo Magno, & Leone IV. constructam.

gg. Xenodochium, sive magna domus, quæ in plures aulas, cubiculaque distributa erat, a nonnullis Pontificibus ampliata fuit; præsertim verò a Gregorio XIII. In hac autem domo Summi Pontifices S. Gregorium Magnum imitantes, per idoneos Ministros ibi institutos, XIII. Peregrinos ad Apostolorum limina confluentes, ad mensam quotidie suscipiebant, qui mos nuper in Palatio Vaticano, & dum hæc imprimuntur in Quirinali, sæpè præsente Pontifice observatur. Porrò hæc domus loco veteris Xenodochii a præfato S. Gregorio in platea Vaticana constructi, & aliorum duorum Xenodochiorum, quæ Stephanum II. auctorem habebant, & propè eandem Basilicam erant, successit.

hh. Ecclesia S. Apollinaris ab Honorio I. ædificata, ut ex ejus Vita, ubi sic: *Item fecit Basilicam B. Apollinaris Mart. in Urbe Romana in Porticu B. Petri Apostoli, quæ appellatur Palmaria a solo, ubi dona multa largitus est, et decrevit,*

vit, ut per omnem hebdomadam sabbatho die exeat Litania ad B. Apollinarem, & ad B. Petrum Apostolum, cum hymnis, & canticis populus omnis occurrere debeat.

ii. Quatuor marmorea mœniana, quæ a Xysto IV. & ab Innocentio VIII. inchoata, ab Alexandro VI. fuere perfecta. Hæc quinque parastatis cum columnis marmoreis sustentabantur, atque inde Romani Pontifices in præcipuis, ac solemnioribus festivitatibus adstanti populo benedictionem impartiri solebant. Mœniana hæc demonstrantur suprà in Tab. XII. lit. C.

kk. Juxta, & extra porticum in angulo ad Aquilonem occurrebat facies, sive frons Palatii Apostolici, in qua lit. kk. regiam ejusdem Palatii januam ab Innocentio VIII. restitutam, eximiisque marmoribus, ac variis cælaturis ornatam demonstrat, ut videre est in dicta Tab. XII. lit. D.

ll. Ascensum ad Basilicam per gradus 35. marmoreos in quinque ordines distinctos ostendit; hi gradus a Constantino Magno extructi, postea a Symmacho Papa amplificati, demum a Pio II. eò quòd ob nimiam vetustatem dilapsi essent, non renovati solummodò, sed etiam producti, extensique fuere ad Aquilonem, appositis ex utraque illorum parte SS. Apostolorum Petri, & Pauli Statuis marmoreis, quæ etiam ad præsens cernuntur, ut apparet in relata Tab. XII. lit. H. I. De hujusmodi scalarum ascensu devotionis gratiâ diximus suprà, antequam de altari majori S. Petri sermonem haberemus.

mm. Ecclesia, sive Xenodochium S. Gregorii in Platea, sive de Cortina, in qua Cantores Basilicæ habitabant, necnon Ministri, qui ex Pontificis ærario Peregrinis, Pauperibusque ad Basilicam confluentibus suppeditabant alimentum.


Non longè ab hac Ecclesia, alia aderat sub denominatione S. Mariæ Virgariorum, in cujus conspectu Cantorum Schola, D. Papæ, ad Basilicam processionaliter accedenti, librum, quem legere debebat, parabat.


Pro hujus dissertationis corona, ac ut etiam magis appareat nostri Imperatoris Constantini, erga eandem Basilicam liberalitas, donaria ab ipso eidem Basilicæ facta hîc ducimus annectere, prout in Libro Pontificali, & S. Sylvestri Vitâ enarrantur, videlicet.

Corpus Sancti Petri recondidit, ipsum loculum undique ex ære Cyprio conclusit, quod est immobile. Ad caput pedes quinque, ad pedes pedes quinque. Ad latus dextrum pedes quinque. Al latus sinistrum pedes quinque; subtus pedes quinque, suprà pedes quinque. Sic inclusit corpus Beati Petri Apostoli, & recondidit, & ornavit suprà ex columnis Porphyreticis, & alias columnas vitineas, quas de Græcia perduxit. Fecit autem & cameram Basilicæ extremam ex auro fulgentem supra corpus Beati Petri, supra æs unde conclusum est. Fecit crucem ex auro purissimo pensantem libras centum quinquaginta. In mensuram loci, ubi scriptum est hoc: Constantinus Augustus, & Helena Augusta hanc domum regali simili fulgore coruscans aula circundat; *scriptum ex literis puris nigillis in cruce. Fecit autem candelabra aurochalca in pedibus decem numero quatuor argento conclusa, cum sigillis argenteis. Actus Apostolorum, pensum singuli libras* 300. *Calices aureos tres cum gemmis prainis & hiacynthinis singuli, qui habent gemmas* 45. *pens. singuli lib.* 12. *Metretas argenteas* 2. *pens. lib.* 200. *Calices argen-*

*tcos viginti pens. singulos lib.*10. *Amas aureas duas, pens. singulas lib.*10. *Amas argenteas quinque, pens. sing. libras tres. Patenam ex auro purissimo unam cum turre, & columba ornatam gemmis prainis, & hiacynthinis, quæ sunt numero cum margaritis albis* 215. *pensant libras triginta. Patenas argenteas quinque pens. singulas libras* 15. *Coronam auream ante corpus, ubi est Phara cantharus cum Delphinis quinquaginta, qui pensant lib.* 35. *Phara argentea in gremio Basilicæ* 32. *cum Delphinis pens. singul. lib.*10. *Ad dexteram Basilicæ Phara argentea* 30. *pensant singula libras* 8. *Ipsum altare argento, & auro clusum cum gemmis prainis, & hiacynthinis, & albis* 210. *ornatum undique pensant libras* 350. *Thimiamaterium ex auro purissimo cum gemmis undique ornatum num.* 51. *pens. lib.* 15. *Item in reditus domus Beati Petri obtulit Constantinus per Diœceses Orientis hæc in civitate Anthiochiæ. Domum Datiani præstantem solidos ducentos qaadraginta. Domunculam Vicene præstans solidos viginti, & tremissem. Cæle in Aphodisia præstans solidos viginti. Balneum in cerateras præstans solidos* 42. *Pistrinum, ubi supra, præstans solidos viginti tres. Popina supra præstans solidos decem. Hortum Maronis, præstans solidos decem. Hortum alium, ubi supra, præstantem solidos undecim, sub civitate Antiochia. Possessio Sybillæ donata ab Augusto præstans solidos* 323. *Cartas decadas centum, & quinquaginta; aromatum lib.* 200. *Nardini olei libr.* 200. *Balsamum lib.* 35. *Sub civitate Alexandria possessio Timialia donata Augusto Constantino ab Ambronio præstans solidos sexcentos, & viginti. Cartas decadas* 300. *olei Nardi* 300. *Balsamum libras quadraginta. Aromata libras* 150. *Storacis Isauricæ libram* 1. *Possessio Euthimica ducis, præstans solidos quingentos. Donavit Augustus Constantinus possessionem Pattinopolim, præstans solidos octingentos, Cartas decadas* 400. *Piper medemnos quinquaginta. Crocos libras centum, Storace libras* 150. *aromata cassia libras* 200. *olei Nardi libras* 300. *balsami libras* 100. *lini saccos centum. Cariophyllorum libras centum, & quinquaginta. Oleum Cyprium lib. centum. Papyrii canas libras mundas mille. Possessio, quam donavit Aug. Constantinus Hybromias, præstans solidos quadringentos quinquaginta, cartas decadas* 200. *Aromata cassiæ libras quinquaginta. Olei Nardini libras ducentas. Balsami libras quinquaginta. In provincia Euphratensi sub civitate Cyro possessionem Armanalanan, præstantem solidos* 380. *Possessio Mobaris, præstans solidos* 260. Hæc de donariis. Modò in devotorum, religiosorumque hominum gratiam addere nobis placet, quòd Anno 1687. hic Romæ Amicus noster, ac de sacris, piisque memoriis optimè meritus, R. D. Abbas Bartholomæus Piazza peculiarem edidit Tractatum, Italico Idiomate, inscriptum: *Effemeride Vaticana per i pregi Ecclesiastici d'ogni giorno dell' Augustissima Basilica di S. Pietro in Vaticano*. In quo, quidquid singulis diebus in eadem acciderit Basilica, quod pietatem, ac devotionem excitare possit, eruditè narratur.

SE-


TAB·XXV



stans solidos sexcentos, & viginti. Cartas decadas 300. *olei Nardi* 300. *Bal-*

SE-

SECTIO XV.

De Partibus subterraneis, sive Sacris Cryptis Vaticanæ Basilicæ.

TAm interiores, quàm exteriores hujus inclytæ Basilicæ, eique adjacentes fabricas diligenter lustravimus, atque perpendimus, narravimusque, varios Sanctissimos Pontifices, variosque Augustissimos Imperatores, Regesque, atque Reginas, necnon alios cujuscumque generis, non solùm in ædificiis, atque ornatibus, verùm etiam in dotibus, atque donariis magnas pecuniarum insumentes summas, quasi certasse. Ne igitur tot religiosorum, piorumque hominum periret memoria, varia fuère erecta monimenta, quæ in veteris Basilicæ demolitione partim diruta, partim aliò distracta sunt; & ne ex hac demolitione ipsa monimenta in oblivionis tenebris delitescerent, piâ, peculiarique Romanorum Pontificum, præsertim Pauli V. vigilantiâ, illa in subterraneis ejusdem Basilicæ partibus, quæ nunc Cryptæ denominantur, fuère collocata. Quare, ut curiositati simul, ac piæ Lectoris devotioni satisfaciamus, nonnulla insigniora monimenta, quæ in eisdem extant Cryptis, hodieque visuntur, eorumdemque propterea locorum, atque Cryptarum ichnographiam exponimus in Tab. XXV.

1. Numerus designat Oratorium, sive Cappellam Beatissimæ Virginis Mariæ Porticûs, sic dictæ, quia infra columnas Porticûs veteris Basilicæ olim extabat. Qua de re fusè citatus Turrigius pag. 33.

2. Altare ibidem existens, in quo visitur imago ejusdem Beatæ Virginis Mariæ, quæ Unigenitum Filium suum, ac Dominum nostrum Jesum Christum amplexatur.

3. Hoc in loco antiquæ Basilicæ ichnographia depicta est, ut nos suprà in Tab. VII. exhibuimus. In aliis etiam hujus Cappellæ locis, præsertim in fornice, qui valde demissus est, vetera Altaria delineata cernuntur, sed cùm illa jam suprà pluribus in Tabulis nos ostenderimus, ac descripserimus, hìc repetere incongruum fore putamus.

4. Marmorea Benedicti XII. imago, juxta quam sequens legitur Inscriptio etiam marmore insculpta, nempè:

5. *Benedictus XII. Papa Tholosanus fecit fieri de novo tecta hujus Basilicæ sub anno Domini N. MCCCXLI. Magister Paulus de Senis me fecit.*

De hac imagine disseruimus suprà sub num. 48.

6. Statua marmorea S. Petrum sedentem repræsentans, ut est illa ænea, quæ superiùs ad præsens in Basilica cernitur. Olim ante Regiam januam stabat, & in ejusdem S. Petri festo Pluviali, ac Mitrâ, cæterisque Sacerdotalibus indumentis ornari etiam mos erat. De hac nos suprà locuti sumus, ubi de atrio hujus Basilicæ egimus.

7. Marmoreum fragmentum, in quo memoria Concilii habiti hac in eadem Basilica anno 732. a Sanctissimo Pontifice Gregorio III. contra negantes sacras Imagines, cælata est; hoc, cùm a temporis edacitate servatum fuerit, sequens est.

Petro, Theophano, Sergio, Jordane, seu Johanne. Adstantibus quoque Diaconibus. Moscho Archidiacono, Zaccaria, Johanne, Theophulacto, atque Gemmulo, vel cuncto Clero. Antefactus D. Gre-

D. Gregorius Apostolicus Papa dixit, reduco ad animum (Sanctissimi fratres mei) qualia mihi, & quanta mirabiliter Christus D. noster contulerit bona, & quomodo me indignum ad tanti apicis fastigium sua pietate dignatus fuerit evocare, & stupesco nihil aliud valens retribuere potentiæ ejus, nisi solas agere gratias, & indesinenti prece gloriosum ejus collaudare nomen. Quis enim (ut ait Propheta) loquatur potentias Domini, auditas faciat omnes laudes ejus, vel quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.

Hoc idem fragmentum habes apud laudatum Turrigium in sæpè citato suo opere pag. 70.

8. Antiqua Crux Musivo opere elaborata, quæ olim ad Ciborium Sanctissimi Sudarii a Joanne VII. constructum extabat.

9. Aliud marmoreum fragmentum continens monimentum Concilii habiti anno 732. ante D. Petri corpus, a Gregorio III. Sanctissimo Pontifice; quæ ibi leguntur hic habes.

.... tissimi Episc. & Vener.....
Hoc quod a vestro se....
intuitu prævisum aul.....
omnium conditoris et ....
ejus placet, ut fieri di....
træ, & omnium Salu....
Gregorius Sanctissimus....
Apostolicus Papa dixit....
Sanctissimi intentio mea e....
positioni ea, quæ a vobis Christi....
quoram B. Petri Apostoli....
sub interdictu anathemate....
Sanctissimi Episcopi, & venerabiles....
Presbyteri responderunt grato duc....
Interdictu Apostolicæ Auctori hæc quæ....
Salubri consideration....
visa sunt stabiliri debeant ne ve
quis audeat existere temerator....
Gregorius Sanctissimus, ac Beatissimus.
Apostolicus Papa dixit, si quis contra....
Privilegii definitionem venire temptaverit anathema sit, & responderunt omnes tertiò anathema sit.
Gregorius gratia Dei Episcopus Catholicæ, atque Apostolicæ Urbis Romæ huic privilegio, atque de....

Alterum pulcherrimum exemplum nobis præbet moris hujus celebrandi Concilia ante corpus B. Petri Syricius Pontifex, qui sedit anno Domini 385. Is enim in Synodali Epistola scribens ad Episcopos Africanos sic ait: *Cùm in unum plurimi fratres convenissemus ad S. Apostoli Petri reliquias, per quem & Apostolatus, & Episcopatus in Christo cœpit exordium, &c. Datum Romæ in Concilio Episcoporum octoginta, sub die octavo Idus Januarii.*

10. Nunnulla marmora anaglyphico opere elaborata, quæque erant ad sacellum Johannis VII. in quibus varii rami frondibus vestiti cælati erant, hic designantur.

11. Duo sunt sarcophagi, in quorum uno hæc tantummodò leguntur.

Constanti locus qui adhuc eos
TAT.

In tegmento verò legitur: *Constantii Dei famuli sepulchrum.*

Alter verò sarcophagus Inscriptione caret, atque ideò, qui ibi tumulati sint, ignoratur. Vide Turrig. pag. 67. & 108. In pariete super hos sarcophagos collocata sunt Phrygia marmora apprimè elaborata, involutos palmites arabico more expressos, repræsentantia, quæ olim erant in sacello Joannis VII.

In parastata dextera ad januam ingressûs hujus Cappellæ est Statua marmorea

morea anaglyphico opere elaborata S. Matthæum Apostolum repræsentans, quæ olim ad sepulchrum Nicolai V. erat, de qua Turrigius pag. 98. & 108. E conspectu verò, scilicet in parastata sinistra alia est marmorea Statua, Sanctum Joannem Apostolum denotans, quæ itidem erat in eodem Nicolai V. sepulchro, ut idem Turrigius narrat paginâ 99. & 108.

E conspectu januæ hujus cappellæ est magna Crux e marmore, quæ olim erat in summitate anterioris faciei veteris Basilicæ.

Prope hanc Crucem sequentes versus marmori insculpti sunt, qui olim extabant in zona coronidis faciei veteris Basilicæ. Carmina sic se habent.

Summa Petri sedes hæc est sacra Principis ædes,
Mater cunctarum decor, & decus Ecclesiarum:
Devotus Christo, qui Templo servit in isto:
Flores virtutis capiet, fructusque salutis.

12. In hac parietis facie Musivum opus collocatum est, quod olim extabat in Ecclesiæ atrio, (Paradiso vulgò appellato) super Ottonis II. Imperat. sepulchrum. Hoc Musivum opus tres figuras habet, quarum media humani generis Salvatorem in actu benedicendi denotat, qui ad hoc pollicem annulari conjunctum habet. Ad dexteram stat S. Paulus, qui volumen sinistrâ tenet. Ad Salvatoris sinistram S. Petrus est, qui itidem in sinistra tres habet claves. Has Figuras exponit Aleman. in suis parietinis Lateranensibus c.10. & nos retulimus suprà in Tab.XXIV. fig.2. Quid autem per illas tres claves denotetur, disseruimus in nostro Opere de Veter.Monim. part.1. cap.28. quæ curiosus Lector videre poterit.

13. Propè descriptam Cappellam alia est sub denominatione S. Mariæ de Prægnantibus, de qua suprà fati sumus, ubi Altare, ut n. 13. de Prægnantibus B. M. V. imago denominata fuit, quia mulieres utero graves erga illam peculiarem gerebant devotionem: fuit etiam Angelorum appellata, ut diximus sub n. 18. & 43. Dictum sacellum Patriciæ Ursinorum Familiæ erat, quæ nobilissima Familia erga hanc præcipuè Basilicam singularem devotionem semper gessit; quoniam in eadem duodecim sumptuosas habuisse Cappellas refert sæpè citatus Turrigius pag. 90. septemque ibidem ex præfata Familia, laudatæ Basilicæ fuisse Archipresbyteros.

14. Joannis Papæ VII. qui floruit anno 705. imaginem Musivo opere expressam refert. Ædiculam in manibus Pontifex tenet, per quam ipsius ædiculæ denotatur constructor, nam ipse fecit Oratorium in eadem Basilica in honorem B.V.M. Musivis operibus ornatum, ut ex epigraphe anaglyphicis literis marmore insculptis apparet, nempè: *Johannis servi S. Mariæ*. De quo narravimus suprà n.114.

15. In hoc loco S.Petrus prædicans Musivo opere delineatus est. Extabat olim in præmemorato sacello.

16. Marmoreus lapis est, in tredecim partes ab edacitate temporis fractus, quibus curâ, & diligentiâ præmemorati Turrigii in unum collectis, lapis restitutus fuit, in eoque tres sequentes orationes leguntur, quas Gregorius hujus nominis III. Summus Pontifex pro anima sua ad proprium sepulchrum poni jussit.

Ora-

Orationes sic se habent, sed aliqua in parte mutilæ.

Exaudi nos omnipotens, & misericors Dominus .... Gregorium tertium, quem tua gratia jussit .... agimus æternæ beatitudini, & consortio tuo ..... catholica fide Religionis Christianæ præmia vitæ æternæ ...... refrigerii cum fidelibus tuis præpares mansionem. Per etc. ...... Domine oblata sanctifica, & animam famuli tui Gregorii .... munda, & perpetuæ vitæ facias esse participem.

Domine, indulgentia tua animam famuli tui Gregorii ...... corporis, & sanguinis participatio sacra ...... saginet, & sempiterna redemptione muniat.

Sequenti modo eædem orationes suppletæ fuêre.

Exaudi nos omnipotens, & misericors Dominus, & famulum tuum Gregorium III. quem tua gratia jussit esse Pastorem; per hæc, quæ agimus, æternæ beatitudini, & consortio tuo aggreges, & pro Catholica fide religionis Christianæ, præmia vitæ æternæ, & refrigerii cum fidelibus tuis præpares mansionem. Per Dominum, &c.

Offertorium.

Hæc Domine oblata sanctifica, & animam famuli tui Gregorii maculis emunda, & perpetuæ vitæ facias esse participem. Per, &c.

Postcommunio.

Domine, indulgentia tua animam famuli tui Gregorii Summi Pontificis corporis, & sanguinis participatio Sacramenti sacra saginet, & sempiterna redemptione muniat. Per, &c.

17. B. M. Virginis imago Unigenitum Filium suum, qui globum, mundum repræsentantem, manibus tenet, adstantibus hinc inde duobus Angelis, quæ imago a 350. annis circiter depicta est, & olim prope porticum navis SS. Crucifixi ad Altare Assumptionis ejusdem B. V. extabat.

18. In septem distinctis loculis anaglyphico, ac marmoreo opere armati cernuntur viri aliquot unà cum aliis imaginibus, ac Nerone sedente, quem militibus suis SS. Petri & Pauli carcerationem jubere colligimus; olim hoc emblema a Xysto Papa IV. ad S. Petri Altare exornandum constructum fuit.

19. Marmorea Inscriptio, quâ conceditur a Johanne Papa III. qui floruit anno 563. Marcello Subdiacono, ejusque successoribus, ut in Vaticana Basilica sepeliri possint. Epigraphe hæc sic se habet.

Locus Marcelli sub Reg. sexta concessum sibi, & posteris ejus a Beatissimo Papa Joanne, qui vixit annis plus minus 68. Dep. P. C. Basilii V. C. an. 22. Indict. xi. undecimo Kal. Januarias.

20. Musivum opus Angelum stantem repræsentans, cujus iconem retulimus suprà in Tab. X. lit. F.

21. Tenor licentiæ sepeliendi in sæpè laudata Basilica Petro, & conjugi ejus concessæ a Papa Hormisda, qui floruit anno 514.

✠ *Fl. Maximo V. C. Coss. concessum locum Petro Romæ ex trib. voluptatis, & conjugi ejus Joanne Papa Hormisda, & Transamundus Præps Basil. Beati Petri.*

Quodnam fuerit hoc Tribunitiæ potestatis munus deducitur ex Epistola 42. lib. 4. Cassiodori, ubi demonstratur, Tribunum hunc Theatralibus præfuisse ludis.

22. Alia antiquissima sepulchrorum duo-

duorum memoria hoc in loco servatur, quæ sic se habet.

Loc. Dulciti, & Euthichitis Not. Eccl. Rom. q. compb. idest, *quem comparaberunt*, pro *comparaverunt*.

✠ *Locus Petri Subdiaconi Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Reg. primæ, quem comparavit, se bivum*, pro *se vivo*.

Annalium Ecclesiasticorum parens Cardinalis Baronius ad annum 414. supramemoratum Dulcitum fuisse docet Tribunum, & Notarium, missum in Africam ab Imperatore, virum amplissimum, ac disertum, ad quem D. Augustinus direxit librum suum de octo Quæstionibus.

23. Aliud marmoreum epitaphium hoc in loco cernitur, tenoris sequentis:

Lc. Joannis Alicensis se Vibo comparavit P. C. Viatoris. Ubi *Lc.* significat *locus*: *vibo, vivo*: *P.C. post Consulatum*. Inferiùs hæc habentur:

Epitaphium Joannis Alicensis Gelasio I. anno CCCCXCVI. ex demolitione sub Paulo V. veteris Templi hic positum.

Scilicet, *Locus Joannis Alicensis se vivo comparavit post Consulatum Viatoris*. Flavius hic Viator, secundùm Calvisii computum, Consulatum gessit anno 495.

Ingressi fuimus Cappellam, modò ab illa egrediamur; in hujus januæ parastatis ad dexteram ingressûs, cernitur Statua marmorea anaglyphico opere elaborata, S. Jacobum Majorem repræsentans, quæ olim extabat ad sepulchrum Nicolai V. Summi Pontificis; in alia verò parastata, altera est Statua, pari modo sculpta, S. Jacobum Minorem denotans, quæ itidem in eodem erat sepulchro collocata.

24. In pariete e conspectu hujus Cappellæ, ac januæ, magna locata est marmorea tabula, altitudinis quatuor, longitudinis verò duodecim palmorum, in qua carmina quædam a B. Pontifice Damaso exarata, eo tempore, quo ipse Pontifex quandam humiditatem, quæ quiescentium in Christo corpora labefactabat, exsiccari mandavit, literis altitudinis unciarum trium insculpta sunt; quæ carmina retulimus suprà sub num. 31.

25. Imago B. Mariæ Virginis musivo opere elaborata, quæ olim ad Ciborium Joannis Papæ VII. erat, in hoc loco collocata cernitur. Supra eandem imaginem marmorea tabula sita est, continens fragmentum Epistolæ directæ ad Flavium Eutherium a tribus Imperatoribus, pro servandis bonis Ecclesiæ, cujus epistolæ tenor est, ut sequitur.

... *MPER. AVGGG. FL. EVTHERIO. SVO. SALVTEM.*

... *Præcipuo cunctorum planè est tenenda consensu*

... *mno fas ducimus, vel cultibus ut ulla depereat proga*

... *includere adque insultare reliquiis prædium pro*

... *eo sacris certum est ministeriis adque misteriis*

... *lum septa consurgerent, verùm etiam pauperum*

... *hoc jugiter Divina communiter adque humana*

... *eodem constituta possessio experiatur emptores*

... *mque perpetuam præter venerabiles cultus ulla*

... *us muniendi fides adque reverentia perennis*

... *Majestate perpetua certum est esse venerabilem*

... e custodiam B. data die pridie Kal. Majas

... VCC. CONSS. PRO. S. B.

Super hanc Epistolam copiosè disserit laudatus Turrigius in suis Cryptis Vaticanis pagina 21. ubi notat, præfatum Eutherium unà cum Siagrio Consulem fuisse A. Christi 381. quo recurrebat annus decimus quintus Pontificatûs S. Damasi, Epistolamque a tribus Imperatoribus fuisse conscriptam, nempe a Gratiano, Valentiniano, ac Theodosio Augustis, ut illæ literæ AUGGG. denotant; aliæ verò, quæ in fine leguntur, nempe PRO. SB. sic explicat: *pro servandis bonis*. Hæc breviter de isto fragmento; plura si cupis adito eumdem Turrigium.

26. Hoc in pariete nunnulla collocata cernuntur simulacra marmorea Apostolorum, Doctorumque Ecclesiæ, quæ olim erant ad sepulchra Nicolai V. & Callisti III. Summ. Pontificum, necnon Berardi Cardinalis Heruli.

27. Alterum lapideum fragmentum continens donationem factam suorum bonorum B. Petro a Comitissa Mathilda, quam integram donationem præcitatus Turrigius ad pag. 338. refert literis majusculis, notando ea, quæ in marmore desiderantur. Donationis tenor sequens est.

In nomine S. & individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnat. D.N.J. Christi 1102. *XV. Kal. Decemb. indict. X.*

Tempore D. Gregorii Papæ in Lateranen. Palatio in Cappella S. Crucis in præsentia Cencii Francipanis, Gratiani Cencii Francolini, & Alberici de Petro Leon, & Beneincasæ fratres ejus, Vberti de Thascio, & aliorum plurimorum.

Ego Mathilda Dei gratia Comitissa, pro Animæ meæ remedio, et parentum meorum, dedi, et obtuli Ecclesiæ S. Petri, per interventum Domini GG. PP. omnia bona mea jure proprietatis, tanto quæ tunc habueram, quam ea, quæ in antea acquisitura eram, sive jure successionis, sive alio quocumque jure ad me pertinerent, et tam ea, quæ ex hac parte montis habebam, quàm illa, quæ in Vltramontanis partibus ad me pertinere videbantur, omnia, sicut dictum est, per manum Domini Gregorii VII. Papæ Romanæ Ecclesiæ, & tradidi, & cartulam inde fieri rogavi; sed quia cartula nusquam apparet, & timeo, ne donatio, & oblatio mea in dubium revocetur, ideo ego, quæ suprà, Comitissa Mathilda iterum a præsenti die dono, & offero eidem Romanæ Ecclesiæ per manum Cardinal. & Legati ejusdem Romanæ Ecclesiæ, sicut in illo tempore per manum D. Gregorii, omnia bona mea, tam quæ nunc habeo, quàm quæ inposterum Deo propitio acquisitura sum, &c. Actum Canusiæ feliciter. Mathilda Dei gratia, si quid in hac cartula a me facta subscripsi ✠ Ego Arelerius Judex interfui, & subscripsi, &c. Ego Guido Notarius Palatii Scriptor hujus cartulæ offertionis post traditam complevi, et dedi, &c.

Hanc eandem donationem integram, ac correctam refert Baronius ad annum 1102.

28. Aliud marmoreum sequitur fragmentum, quod admodum abstrusis, abbreviatisque characteribus incisum est. Legitur in eo peculiaris visio habita a quodam pio, ac devoto Viro, cujus fragmenti tenor sic se habet.

... sionibus extra, recepit que

... s tedium. In prima verò visione vidi

... tenentem in manu virgam, et erant

... o tres ex una parte, et tres ex alia parte

... et

. . . *et ante eum statim venerunt tres canes, qui*
. . . *S. Petri, et ascenderunt super armos meos, et lingebant*
. . . *tunc collum meum ex una parte, et alter ex altera*
. . . *iet et tertium inter duos armos, et ego cadebam in terram*
. . . *ut signavit me, et Sanctus Petrus dedit mihi panem*
. . . *imius, et ait mihi, Vade*
. . . *fuit autem secunda visio in porticu ante portam*
. . . *Sanctæ Mariæ vidi*
. . . *rabiles pueros ludentes inter*
. . . *e ad pinnam quæ est in*
. . . *omni temp.*

29. Item aliud est fragmentum e marmore, in qua insculpta est memoria dotationis Altaris Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, factæ a Petro Balbo hujus Basilicæ Archipresbytero, qui postmodum Cathedram Beati Petri ascendit, ac Paulus II. denominari voluit.

30. Monumentum hoc lapideum, ac sepulchrale venerandum est propter ejus antiquitatem, nam in eo cujusdam Catelli nomen insculptum cernitur, qui obiit anno Christi 501.

31. De hac Sacratissima Basilica verè dici potest, quod in Sacra legimus Scriptura, quòd sit Domus Dei, & Porta Coeli, Gen. cap. 27. vers. 18. & quòd terra ista sancta sit, Exod. cap. 3. vers. 5. Quapropter Summus Pontifex Urbanus VIII. optimè animadvertens, terram erutam pro fundamentis jaciendis columnarum ænearum super Confessionem Beati Petri superpositarum, ob tot Pontificum, aliorumque piorum, ac religiosorum Virorum, & Fœminarum in hac eadem Basilica humatorum reliquias, sanctam esse; ideo in hoc peculiari loco illam recondi, ac asservari voluit.

32. Statua marmorea Alexandrum Papam VI. mortuum, ac Pontificalibus indutum jacentem repræsentat, qui in hac eadem Basilica humatus fuit.

33. 34. Alia duo Simulacra marmorea SS. Apostolos Petrum, & Paulum denotantia, hîc sita sunt, quæ olim ad januam antiquæ porticûs, Pontificum denominatæ, stabant.

35. Hoc in loco sepulchrum est Francisci de Tibaldeschis Romani S. Sabinæ Prioris, & Canonici hujus Basilicæ, in qua tres Clericos Beneficiatos de suo auxit; obiit VI. Septembris anni 1378.

36. Prope hoc aliud est antiquissimum sepulchrum, sive marmorea sepulchralis tabula, in qua hæc leguntur: *Depos. Felix Diac. V. Idus Martias Theodosio XV. et Placidio Valentiniano IIII. Augustis Viris clarissimis Consulibus*; quorum Consulatus cadit in annum 435. cùm hoc anno idem Theodosius Junior pro decimaquinta vice, & Valentinianus pro quarta fuerint electi Consules.

37. Sarcophagus marmoreus est variis anaglyphicis, sacrisque figuris cælatus, in quo antiquitùs Fidelis aliquis sepultus est; postea verò cùm in eodem Gregorii Papæ cadaver reconditum fuerit, suprà in marmore exculptum est Epitaphium, quod habes apud Ciacconium in hujus Pontificis Vita, nosque ideò libenter omittimus.

38. Magna arca ex Numidico marmore, cujus tegumentum est e marmore Porphyretico; olim extabat in Adriana mole, ut refert Benedictus Canonicus in suo manuscripto. In hac cadaver Ottonis II. Imperatoris reconditum

tum eſt, qui Romæ anno 984. finem vitæ ſortitus fuit, cùm eſſet unius, & triginta annorum.

39. Sepulchrum Hadriani PP. IV. hoc in loco ſitum eſt. (Cùm dico ſepulchrum, intelligo Statuam marmoream jacentem, quæ olim erat ad ſepulchrum; quod dictum etiam ſit pro ſequentibus numeris.)

40. Pii II. Pontificis tumulus eſt; cujus ornamenta marmorea in celebrem Eccleſiam S. Andreæ de Valle translata fuère.

41. Pii III. Summi Pontificis itidem ſarcophagus, cujus ornamenta etiam in eandem Eccleſiam S. Andreæ fuerunt translata.

42. Nicolai V. marmoreum ſepulchrum eſt, cum ipſius Pontificis effigie.

43. Tumulus etiam marmoreus cum effigie Pauli II.

44. Julii II. & Nicolai III. ſepulchra hic ſunt, quorum etiam imagines cælatæ cernuntur.

45. Scala eſt, per quam ad Palatium Vaticanum aſcenditur, & per quam Pontifices in Vaticano habitantes, orationis causâ ad Confeſſionem B. Petri ſecretè accedere volentes, deſcendebant, quam antiquam Summorum Pontificum devotionem noſtris temporibus imitatus eſt S. Memoriæ Clemens Papa IX. cujus anima in æterna benedictione ſit.

46. Sepulchrum, ad aliorum formam, Urbani VI.

47. Sequitur aliud ſepulchrum Innocentii VII.

48. Aliud itidem Marcelli II.

49. Innocentii IX.

50. Cardinalis Fonſecæ.

51. Ardicini Cardinalis De la Porta Senioris.

52. Cardinalis Berardi Heruli.

53. Multa alia ſepulchra.

54. Sepulchrum Ardicini Cardinalis De la Porta Junioris.

55. Imago S. Pauli Apoſtoli muſivo opere elaborata, quæ olim extabat in Tribuna ab Innocentio III. reſtaurata, & poſtmodum a Xyſto V. demolita.

56. Marmorea Simulacra, B. V. Mariam, ac SS. Apoſtolos Petrum, & Paulum, necnon ad eorum pedes Nicolaum III. & Cajetanum Cardinalem Urſinum genuflexos repræſentantia.

57. Magna imago eſt Beatiſſimæ Trinitatis, anaglyphico opere, marmore inſculpta.

58. & 59. Duæ marmoreæ Statuæ, eâdem formâ elaboratæ, SS. Apoſtolos Petrum, & Paulum repræſentantes, quæ olim ſtabant ad ſepulchrum Berardi Cardinalis Heruli.

60. Itidem prope relatas imagines ſequitur alia, ſimiliter in marmore, & eâdem formâ ſculpta, quæ olim erat in ſepulchro Pauli II. Sum. Pont. Evæ formationem e coſta Adam denotans.

61. Aliud ſimile ornamentum, quod erat in eodem ſepulchro, in quo viſitur arbor cum ſerpente, qui Evæ, & Adæ inſidiatur.

62. & 63. Sunt itidem alia marmorea ornamenta, quæ olim poſita erant ad præfati Pauli II. & Calliſti III. ſepulchra, ac ſuper illis imago B. Virginis Mariæ muſivo opere expreſſa, quæ olim erat ad ſepulchrum Joannis VII.

64. Magnus eſt lapis, anaglyphicis operibus totus elaboratus, quæ Crucifixionem S. Petri repræſentant.

65. Prænobilis, ac miræ cælaturæ marmoreus ſarcophagus Junii Baſſi Urbis Præfecti, in cujus ſuperiori limbo hæc leguntur.

Ju-

Junius Bassus V. C. qui vixit annis XLII. men. II. in ipsa præfectura Urbis Neofitus iit ad Deum VIII. Kal. Sept. Eusebio, & Ipatio Coss.

Vixit Junius sub Pontifice Liberio, obiitque anno Christi 359. cujus sarcophagi exemplar habes apud Aringhium in sua Roma Subterranea lib. 2. capite 10.

66. Alia marmorea tabula eâdem formâ elaborata, quæ S. Pauli Decollationem significat.

Hæc breviter de nonnullis antiquis memoriis, quæ in hisce Vaticanis Cryptis adhuc servantur, indicanda duximus, cùm plura de illis copioso calamo tractaverit præcitatus Franciscus Maria Turrigius Romanus in suis Sacris Cryptis Vaticanis, vernaculo idiomate descriptis, & præsertim in secunda editione, quæ facta fuit Romæ apud Vitalem Mascardi 1639.

CAPUT V.

De Basilica S. Pauli.

Basilicis superioribus descriptis, sequitur alia Doctoris Gentium in Ostiensi via, mille, & ultra passus ab Urbe dissita, de qua in Libro Pontificali, ac B. Silvestri Vita hæc habentur: *Eodem tempore fecit Augustus Constantinus Basilicam B. Paulo Apostolo ex suggestione Silvestri Episcopi. Cujus corpus sanctum ita recondidit in ære, & conclusit, sicut & Beati Petri, Constantinus Augustus, cui Basilicæ donum hoc obtulit, sub Tarso Ciliciæ in Insula Cordionis, præstans solidos octingentos. Omnia enim vasa sacrata aurea, argentea, aut ærea ita posuit, sicut & in Basilicam Sancti Petri Apostoli, ita & B. Pauli Apostoli ordinavit. Sed & crucem auream super locum B. Pauli Apostoli posuit pensan. libras centum & quinquaginta. Sub civitate Tyria possessio comitum præstans solidos quingentos & quinquaginta. Possessio Timia præstans solidos ducentos & quinquaginta. Possessio Fronimusa præstans solidos septingentos, oleum nardinum libras septuaginta, aromata libras quinquaginta. Cassia libras centum. Sub civitate Ægypti possessio Cyrias præstans solidos septingentos & decem, oleum nardinum libras septuaginta, balsamum libras triginta, aromata libras septuaginta, storace libras triginta, stactea libras centum & quinquaginta. Possessio Basilea præstans solidos quingentos et quinquaginta. Aromata libras quinquaginta, oleum nardinum libras sexaginta, balsamum libras viginti, crocos libras septuaginta. Possessio Insula Machabeo præstans solidos quingentos & decem. Papyrum mundum racanas quingentas. Linum saccos trecentos.*

Ex constructis, illius Cæsaris curâ, magnificis fabricis, aliisque ad cultum Divinum necessariis, deducitur, Christianam ubique floruisse religionem.

At cùm nihil sit sub Sole permanens, ut mortalium omnium sapientissimus Salomon dixit; ita hæc nostra Basilica non diu in eodem mansit statu, in quo Augustus noster eam construxit, cùm in ampliorem, splendidioremque formam, prout ad præsens visitur, a Valentiniano, Theodosio, & Arcadio AAA. Constantini successoribus, fuerit redacta, de cujus constructione, eorumdem Cæsarum a Cl. V. Cardinali Baronio ad ann. 386. n. 29. ad Sallustium Urbis Præfectum refertur Epistola, quæ cùm lectione digna videatur, illius tenorem hîc subjicimus.

Va-

Valentinianus, Theodosius, et Arcadius AAA. Salustio Urbis Præfecto.

Desiderantibus Nobis contemplatione venerationis, antiquitùs jam sacratam Basilicam Pauli Apostoli, pro sanctimonia religionis ornare, pro quantitate Conventùs amplificare, et pro studio devotionis attollere; gratum fuit tuæ sublimitatis officium, quod ad inspicienda universa, ut res exigebat, detulisti, et omnem situm, locorumque faciem sermonis congrui diligentia nostræ Serenitatis auribus intimasti. Instructiones enim nos jubere decuit, quæ jubenda sunt. Quare participato examine cum venerabili Sacerdote, intimatisque omnibus, et magnificentissimo ordini, et Christiano populo, quæ jubemus; sublimitas tua rem diligentiori tractatu, et plena reram inspectione discutiat; ac si placuerit tam populo, quàm Senatui, iter vetus, quod Basilicæ præterit dorsum, quodque ripæ Tiberis amnis adjacet, innovari, ita ut præsens via spatio futuri operis applicetur: eatenus per Architectos futuræ Basilicæ dirige formam, quatenus se planicies extructioni amica protulerit, ne ulla inæqualitas splendorem fabricæ amplificentioris sublimet. Sic quidem in omnium mœnium facie decor summus est, quem servari oportere prima statim fronte magnarum ædificationum demonstrat intentio.

Qualis autem hujus Basilicæ hodierna sit forma, Tabula Ichnographica, & Orthographica in cap. I. part. I. nostri operis veterum Monimentorum satis ostendunt. Cæterùm de hac eadem Basilica nonnulla alia scripsimus in eodem opere de veter. Monimen. ead. part. I. capp. II. IV. IX. & XXIV. quare si piam, ac devotam legentium curiositatem non explent, sufficiant saltem ad indicandum, inter sacra ædificia a Magno Constantino constructa numerandam esse.

Unum tamen hìc prætereundum non est, B. Gregorium Magnum huic Ecclesiæ, ut Ecclesiæ D. Petri, donaria pro servandis luminariis obtulisse, quæ donatio lapidi incisa, & in porticu olim S. Pauli ad parietem affixa, nunc autem ante majus Altare translata, & prope alteram ex duabus columnis, quæ primarium fulciunt arcum, a dextera parte collocata, sequentis est tenoris.

Anno Christi 604.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Felici Subdiac. & Rectori Patrimonii Appiæ. Licèt omnia, quæ hæc Apostolica habet Ecclesia Beatorum Petri, ac Pauli, quorum honore, & beneficiis adquisita sunt, Deo sint auctore communia; Esse tamen debet in administratione actionum diversitas personarum, ut in adsignatis cuique rebus cura adhiberi possit impensior. Cùm igitur pro Ecclesia Beati Pauli Apostoli sollicitudo nos debita commoneret, ne minùs illic habere luminaria isdem Præco Fidei cerneretur, qui totum mundum lumine prædicationis implevit, & valde incongruum, ac esse durissimum videretur, ut illa ei specialiter possessio non serviret, in qua palmam sumens Martyrii, capite est truncatus, ut viveret, utile judicavimus, eandem Massam, quæ Aqua Salvias nuncupatur, cum omnibus fundis suis, id est Cella vinaria Antoniana, Villa pertusa Bifurco, Priminiano, Cassiano, Silonis, Corneli tessellata, atque Corneliano, cum omni jure instructo, instrumentoque suo, & omnibus genera-

raliter ad eam pertinentibus, cum Christi gratia luminaribus deputare, adjicientes etiam eidem cessioni hortos duo positos inter Tiberim, & Porticus ipsius Ecclesiæ, euntibus a porta Civitatis parte dextera, quos dividit fluvius Almon inter adfines horti Monasterii Sancti Stephani, quod est Ancillarum Domini, positum ad Sanctum Paulum, & ad fines possessionis Pisinian. simul & terrulas quæ vocantur Fossa latronis positas. Idem juxta eandem porticum, euntibus similiter a porta parte sinistra, ubi nunc vineæ factæ sunt, quæ terrulæ cohærent ab uno latere possessioni Eugenitis quondam Scholastici, & ab alia parte possessioni Monasterii Sancti Aristi, quæ omnia quoniam Domino adjuvante per antedictæ Ecclesiæ Præpositos, qui per tempora fuerint a præsenti septima indictione volumus ordinari, & quidquid exinde accesserit luminaribus ejus impendi, atque ipsos exinde ponere rationes; idcirco experientiæ tuæ præcipimus, ut suprascriptam Massam Aquas Salvias cum prænominatis omnibus fundis suis, necnon hortus, atque terrulas, quæ superiùs continentur, de brevibus suis delere debeat, ac auferre, & cuncta ad nomen prædictæ Ecclesiæ B. Pauli Apostoli tradere, quatenus servientes sibi Præpositi omni post hoc carentes executione de luminaribus ejus ita sine nostra studeant sollicitudine cogitare, ut nullus illic unquam neglectus possit exsistere; facta verò suprascriptarum omnium rerum traditione, volumus, ut hoc præceptum in scrinio Ecclesiæ nostræ experientia tua restituat. Bene vale. Dat. VIII. Kal. Februarias, Imp. D. N. N. Phoca PP. Aug. Anno secundo, & Consulatus ejus anno primo, Ind. septima.

CAPUT VI.

De Ecclesia S. Laurentii in Agro Verano extra mœnia Urbis.

Quod inter Constantinianas Basilicas hæc quoque adnumeranda sit, minimè est ambigendum, cùm in Pontificali libro, Beatique Silvestri Vita legatur: *Eodem tempore Constantinus Augustus fecit Basilicam Beato Laurentio Martyri via Tiburtina in Agrum Veranum supra Arenarium Cryptæ, & usque ad corpus B. Laurentii Martyris, in qua fecit gradum ascensionis, & descensionis: in quo loco construxit absidam, & exornavit marmoribus porphyreticis, & desuper locum clausit de argento, & cancellos ex argento purissimo ornavit, qui pensant libras mille, & ante ipsum locum in Crypta posuit lucernam ex auro purissimo lichnorum decem pensantem libras triginta, coronam argenteam cum delphinis quinquaginta pensantem libras triginta. Candelabra ærea duo in pedibus denis pensantia singula libras trecentas. Ante corpus B. Laurentii Martyris argento clusam passionem ipsius sigillis ornatam cum lucernis byssinis argenteis pensantes singulas libras quindecim. Donum quod obtulit. Patenam auream pensantem libras viginti, patenas argenteas duas pensantes singulas libras 30. Scyphum ex auro purissimo pensantem libras 15. scyphos argenteos duos pensantes singulos libr. decem, Calices ministeriales argenteos decem pensantes singulos libras viginti, Amas argenteas duas pensantes libras 10. phara argentea triginta pensantia singula libras 15. Metretum ex auro pensans libras centum quin-*

quinquaginta portantem medemnas tres. In eodem loco possessio cujusdam Cyriacetis religiosæ fœminæ, quam Fiscus occupaverat tempore persecutionis. Verarium fundum præstat solidos centum quadraginta. Possessio Aqua Turia ad latus præstans solidos centum quinquaginta tres, possessio Augusti territorio Sabinensi præstans nomine Christianorum solidos centumviginti. Possessio Susuratarum præstans solidos sexaginta sex. Possessio Micinia Augusti præstans solidos centum quinquaginta. Possessio Thermulas præstans solidos sexaginta. Possessio Aranas præstans solidos septuaginta. Possessio Septimiti præstans solidos centum triginta.

Suadente igitur S. Silvestro, Basilicam hanc Constantinum ædificasse, Panvinius, & alii existimant. In dubium tamen hoc revocari potest ex allatis a Bonino Mombritio de Vitis Sanctorum; is enim in Passione S. Gallicani narrat, Sanctum hunc Romani exercitûs Ducem de Persis triumphâsse, cùmque Romam rediisset, ob partam victoriam a Constantino filiam ejus Constantiam in uxorem postulasse, quæ jam conscio patre, Deo, servandæ Virginitatis emiserat votum. Verumtamen Constantinus tanto Duci eam denegare dubius, ideo invito animo concessit. Deus autem sibi desponsatam Virginem eripi haud patiens, expetitas a Gallicano nuptias, in cœlestium rerum desiderium commutavit, adeò ut ipse Gallicanus Martyrium pro Christi Fide, renunciato thalamo, constantissimè tulerit, antequam autem Martyrii palmam esset adeptus, S. Laurentius per visum eumdem Gallicanum hortatus fuit, ut sibi erigeret Ecclesiam extra portam, quæ nunc ab ea Basilica S. Laurentii appellatur. Ex hujusmodi relatis argui posse autumo, non Silvestrum, sed Gallicanum Basilicæ hujus ædificationem Constantino persuasisse; si tamen integra præfatis actis Martyrum fides præstanda sit, cùm Baronius ad annum 330. num. 51. de iisdem sic scribat: *Scimus tamen, his de Gallicano adversari nonnulla, quò minùs ad perfectos, & undique absolutos veritatis numeros ejusmodi in omnibus rebus reduci possit Historia*. Utut sit, ab isto Imperatore constructa fuit, postea verò a diversis Romanis Pontificibus ornata, restaurataque. Nam Xystus III. ut habetur in eodem libro Pontificali: *Fecit Xystus Episcopus Confessionem Beati Laurentii Martyris, cum columnis porphyreticis, & ornavit Transennam* (alii legunt *suggestum*) *& altare, & Confessionem Sancti Martyris Laurentii de argento purissimo. Fecit altare pensan. libras quinquaginta, Cancellos argenteos supra Platonias porphyreticas pensan. libras trecentas. Absidam super Cancellos cum Statua Beati Laurentii Martyris argentea pensan. libras ducentas. Fecit autem Basilicam Beato Laurentio, quod & Valentinianus Augustus concessit, ubi & obtulit dona hæc: Patenas argenteas, &c.* Cùm autem iste Pontificalis libri locus, nempe: *Fecit autem Basilicam Beato Laurentio, quod & Valentinianus Augustus concessit*; obscurior sit, ea vox *concessit* perpendenda est, atque sic intelligi posse judico.

Constantinus Imperator cùm quamplures ædificasset Ecclesias, easdem ejus Successores, utpote ab Imperatore fundatas, veluti proprias vendicârunt, adeò ut nullus absque accepta ab Imperatore facultate, in illis aliquid innovare

novare auderet. Idipſum noſtro ævo in Eccleſiis Juriſpatronatûs obſervari animadvertimus, cùm ne minimùm quidem in iiſdem, inſciis Patronis, immutari valeat. Igitur cùm eadem S. Laurentii Baſilica una ex iis eſſet, quas Conſtantinus erexerat, Valentinianus ejus ſucceſſor Xyſto Pontifici, ut eam exornaret, conceſſit. Meam hanc conjecturam ſequentibus confirmo verſibus a Grutero pag. 1173. num. 1. relatis, ex quibus apparet, S. Leonem, Sixti ſucceſſorem, curâſſe, ut hæc eadem Baſilica a Galla Placidia Theodoſii ſenioris filia, tanquam Eccleſiæ Domina, in ampliorem, nobilioremque formam (complanato colle, qui eidem Baſilicæ non ſine ruinæ periculo imminebat) redigeretur. Carmina verò hæc ſunt.

Gaudet Pontificis ſtudio ſplendere Leonis
Placidiæ pia mens operis decus omne pater.
Demovit Dominus tenebras, ut luce creata
His quondam latebris, ſic modò fulgor ineſt.
Anguſtos aditus venerabile corpus habebat,
Huc, ubi nunc populum largior aura capit.
Eruta planicies patuit ſub monte reciſa,
Eſtque remota gravi mole ruina minax.

Hic verò primi duo verſus notandi ſunt, qui leguntur etiam in triumphali arcu S. Pauli, de quibus diximus in noſtro opere de veter. Monim. part. 1. cap. 24. Cæterùm hæc Baſilica poſt breve tempus reſtauranda fuit. Nam cùm Pelagio II. Pontifice Longobardi, totâ vaſtatâ Italiâ, Urbem ipſam obſidione premerent, tantæ, tamque aſſiduæ pluviæ ceciderunt, ut quamplurium, maximarumque ruinarum cauſæ extiterint, & penè omnes univerſale diluvium timuerint. Quapropter ipſe Pelagius hanc ædem iiſdem pluviis, aut re aliâ debilitatam, denuo ædificavit, ut in Pontificali libro, ac dicti Pelagii II. Vita ſcribitur; ibi: *Fecit ſupra corpus Beati Laurentii Martyris Baſilicam a fundamento conſtructam, ac Tabulis argenteis exornavit ſepulchrum ejus.* Quod infraſcripta carmina a Grutero pag. 1173. num. 1. relata indicare videntur.

Præſule Pelagio Martyr Laurentius olim
Templa ſibi ſtatuit, tam pretioſa dari.
Mira fides Claudius hoſtiles inferet iras
Pontificem meritis nec celebrâſſe ſuis.
Tu modò Sanctorum cui creſcere conſtat honores
Fac ſub pace coli tecta dicata tibi.
Martyrium flammis olim Levita ſubiſti,
Jure tuis Templis lex veneranda redit.

In quorum carminum poſtremo vox illa *lex* expungenda videtur, ac *lux* reponenda, ut in Muſivo habetur opere.

Ex ea verò libri Pontificalis enarratione Panvinius, aliique recentiores, qui eum ſequuntur, a Pelagio primùm Eccleſiam hanc ædificatam putârunt; at id in dubium revocari poteſt, nempe, Pelagius ipſe ex integro ne novam Eccleſiam, an tantùm Altare majus, ſive, ut Antiqui vocabant, Confeſſionem extruxerit, Muſivoque opere triumphalem ornaverit arcum? Anſam dubitandi præbet S. Gregorius lib. 3. epiſt. 30. ad Conſtantinam Auguſtam,

gustam, ubi sic: *Sanctæ memoriæ Decessor meus* (id est Pelagius) *ad corpus Sancti Laurentii Martyris quædam meliorare desiderans, etc.* Dixit, *quædam meliorare*, non verò *de novo construere*, ac proinde de simplici tantùm ornatu intellexisse videtur. Quidquid autem de Pelagiana fuerit restauratione, nihil aliud in præsentia reliquum est, præter Musivi operis partem in dicto Arcu triumphali, qui si non tantæ amplitudinis, ejus saltèm formæ erat, ac arcus major ab eadem Galla Placidia in Ecclesia S. Pauli extructus.

Pluriès ego hanc Basilicam S. Laurentii, ut restaurationes, sive nova ædificia distinguerem, adivi, sed præter fidem, difficilem hanc Provinciam expertus sum; nihilominus quæ observaverim, quidve existimaverim, adjiciam, tuoque, Lector, submittam judicio.

Autumo igitur, Basilicam hanc, ut alias ab eodem Constantino ædificatas, Crucis formam habuisse, scilicet, ut pars major Crucis, sive navis major Crucis, Orientem, brachia verò sive navis transversa, Septentrionem respicerent; ac ipsa brachia eo sita fuisse loco, ubi nunc ex una parte Secretarii porta, ex altera verò descensus ad Catacumbas cernuntur.

Quanta autem arcûs magnitudo fuerit, ex duobus suprà relatis postremis carminibus elicitur, nempe:

Martyrium flammis olim Levita subisti,
Jure tuis Templis lux veneranda redit.

Quæ carmina in triumphali arcu sub eodem Musivo opere leguntur: nonnullæ tamen voces desunt, cùm murus sit recisus; & verbum *Levita* duplici V. expressum est, utpote etiam loco verbi *lex* est *lux*, & verbum *venerand*a incipit litera B. quæ apud Veteres aliquando in usu fuit pro V, ut ex variis inscriptionibus apud Gruterum colligitur, demonstratque Dausquius in sua Orthographia sect. 4. Disjecti autem, & recisi pars quanta sit, ex ipsis, quæ desunt vocibus, deprehenditur, ac ut faciliùs id argui valeat, literas, quæ desunt, minusculis, quæ verò supersunt, majusculis expressimus, scilicet:

MARTYRIVM FLAMMIS OLIM LEVVITA SVBISTI
IVRE TVIS TEMPLIS LVX BENERANDA REDIT.

Quare si numerentur literæ, quæ ex utraque arcûs parte deficiunt, charactereque majusculo repræsententur, ferè dimidium arcûs deficere reperiemus, cùm literæ in totum sint 66. exaratâ voce *Levvita* cum duplici VV. ex his literæ triginta desunt; quibus a 66. detractis, ea quæ remanent sunt 36. adeoque paululùm medietatem arcûs excedunt, alterâ ferè medietate disjectâ: hinc arcûs latitudinem, ac per consequens longitudinem Ecclesiæ, quæ excedebat partem illam, hodiernum Presbyterium constituentem, eruere licet. Simile habemus exemplum in Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani, ubi etiam arcus coarctatus est, atque ideo etiam tota Ecclesia; quod ex Musivo, & fenestris deducitur, quæ in facie ejusdem Ecclesiæ sunt, ut in ipsius descriptione in secunda nostra Musivorum operum parte dicturi sumus.

Quare ex ipsius arcûs S. Laurentii restrictione, carminumque mutilatione, validissimum elicitur argumentum, Ecclesiam hanc arctiorem fuisse illâ, quam a Constantino fundatam, restauraverat Galla Placidia, & cùm

eodem

eodem in arcu duæ conſpiciantur feneſtræ, quæ muſivum mutilârunt opus, ejuſdemque magnitudinis,ac aliæ laterales,appareant,etiam conjici valet,eodem tempore, quo laterales fuêre conſtructæ, ædificatas fuiſſe, atque adeo Conſtantini ævo poſteriores eſſe, cùm admodum parvæ ſint, ut demonſtravimus eodem in opere de veter. Monim. part. 1. cap.9. Præterea cùm muſivum opus abſidam reſpiciat,ideo ante illius majorem fuiſſe januam arguitur, ut omnibus in Baſilicis obſervari poteſt, ubi ſtatim ingredientibus muſiva opera ſpectanda ſe præbent. Si igitur janua in arcûs conſpectu erat, Presbyterii conſtructio, quæ nunc viſitur, Pelagii minimè eſt, cùm ante præfatum arcum abſis ſit, atque ideo januam a tergo abſidis fuiſſe prorſus inveriſimile eſt. Item collaterales muri alternato ordine conſtructi ſunt, unus quidem e tophis, alter verò e lateribus, ac proinde Conſtantino, & Pelagio poſteriora tempora redolent. Item murus poſt abſidam tumultuariò conſtructus e diverſa materia conſtat, unde collateralibus muris poſterior cenſendus eſt, ex conjecturis per nos in eodem opere de veter. Monim. part. 1. cap.8. allegatis. Ex dictis igitur jure concludi poſſe arbitror, totum eum ambitum, in quo Presbyterium eſt, elegantiſſimis columnis, capitulis Corinthiis miri operis, zophoris, & epiſtyliis, ac circumquaque lapideis ſedilibus conſpicuum, non a Pelagio,ſed ab Hadriano I. fuiſſe conſtructum, qui egregius Pontifex ad Urbis ædificia reſtauranda ſummopere addictus, etiam iſtius Eccleſiæ aſpectum ex Oriente in Occidentem vertit, ac in eo loco majorem collocavit januam, ſcilicet in medio, ubi ad præſens cernuntur ambones. Quòd Hadrianus Baſilicam in hanc redegerit formam, ex laudato Pontificali libro in ejus Vita deducitur, ubi: *Hic almificus Pater* (nempè Hadrianus) *eandem Baſilicam S. Laurentii Martyris, ubi ſanctum corpus ejus requieſcit, annexam Baſilicæ MAJORI, quæ dudum iſdem Præſul conſtruxerat, ultro, citroque a novo reſtauravit.*

His Pontificibus Honorius III. ſucceſſit, qui Baſilicam hanc non ſolùm reſtauravit, verùm etiam ampliavit, cùm amplificationem, ſeu novam conſtructionem a triumphali arcu coeperit, & ædificium versùs Urbem, videlicet ad Occidentem intenderit in tres diſtinctum naves, quæ columnis miræ, ſed inæqualis magnitudinis, hinc inde fulciuntur. Noſtræ huic conjecturæ novam addimus, nempe ex ipſius Eccleſiæ dimenſione, nam antiqua Hadriani ab arcu uſque ad parietem, retro Cathedram Epiſcopalem,eſt longitudinis palmorum 132. ejus latitudo palm. 93. Recentior verò Honorii ab arcu uſque ad januam eſt longitudinis pal. 189. latitudinis verò 98. Inſuper feneſtræ hac in nova Honorii ſtructura antiquioribus arctiores ſunt, ac muri lateritii humanæ ſalutis annum milleſimum tempus olent.

Sub arcu triumphali Cappella, ſive ut olim denominabatur, B. Laurentii Confeſſio ſita eſt, ubi tam ejuſdem, quàm B. Stephani corpus, marmoreâ arcâ ferreis virgis circumdatâ incluſum jacet. Octo ad eum gradus deſcenſum præſtant; duodecim columnæ elevant fornicem, quarum quatuor anteriores ex marmore viridi, reliquæ ex pario ſunt,indicantque,non eas eſſe, quas inibi laudatus Xyſtus Pontifex appo-

appoſuit, cùm illæ porphyreticæ fuerint. Ad Altaris dexteram in eadem Confeſſione, ac pariete, veluti parva eſt feneſtra, tribus circiter palmis lata, duobus alta, totidemque intra murum porrecta. Super hanc marmor ejuſdem magnitudinis teſſellato opere elaboratum cernitur, in cujus ſummitate, ſive in ſuperiori zophoro duo, in inferiori verò parte quatuor leguntur carmina, quorum characteres Honorii tempora redolent. Cl. Vir Panvinius, aliique Scriptores hæc carmina, omiſſis duobus ſuperioribus, referunt, at mendoſa; ideo integra, puraque exhibeo.

Jam licet officio ſit te præſtantior Aræ,
Tu tamen es cratis celſior ignibus hoc.
Et quamvis mage tu, tamen extitit ille peruſtus,
Uſſit te crates, uſsit & alma fides;
Quæ fervore pari Juſtini pectus aduſsit:
Cujus in hoc ſacro membra manent loculo.

Quibus verſibus S. Juſtini Presbyteri, & Martyris ſepulchrum ibi eſſe collocatum docemur.


Ut autem ipſe oculus aliqua ex his quæ dicimus, pro captu teneat, ut inſtituti, atque propoſiti noſtri eſt, hujus Baſilicæ Tabulam Ichnographicam referimus ſub numero XXVI. In hac igitur A.B. ultimam conſtructionem denotant ab Honorio III. factam; C. D. veterem arcum triumphalem, in quo e poſteriori parte, quæ reſpicit literam E. adeſt muſivum opus Pelagii; E.F.G. antiquiorem Eccleſiam, ubi nunc eſt Cathedra marmorea Epiſcopalis, ac circumquaque ſedilia lapidea; H. aram maximam, quæ Confeſſioni imminet; I. deſcenſum donotat ad Confeſſionem, ubi Beatorum Laurentii, & Hippolyti corpora jacent; K. ambonem pro lectione Evangelii; L. ambonem pro lectione Epiſtolæ. Lectorem hic admonitum volo, æreæ laminæ Inciſorem ordinem, ſive loca ambonum pervertiſſe. Hos ambones in majori forma retulimus in noſtro opere vet. Monim. part. 1. cap. 2. Hæc breviter de tanta Baſilica indicâſſe ſit ſatis; nunc ad alias deſcribendas ſermonem convertamus.

CAPUT VII.

De Seſſoriana Baſilica, ſive Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem.

IN Exquiliis, ac in Seſſoriano Palatio magnus noſter Imperator Conſtantinus aliam ædificavit Baſilicam, cui ab eodem Palatio Seſſorianæ nomen inditum fuit. De hac in Pontificali libro ex ſæpè citata Sylveſtri Vita ſic legitur; *Eodem tempore fecit Conſtantinus Auguſtus Baſilicam in Palatio Seſſoriano, ubi etiam de ligno Sanctæ Crucis D. N. Jeſu Chriſti poſuit, & auro, & gemmis concluſit, ubi etiam & nomen Eccleſiæ dedicavit, quæ cognominatur uſque in hodiernum diem Hieruſalem, &c.* Hæc Baſilica adhuc integra cernitur. Qualis autem ſit ejus amplitudo, & ſtructura, Tabulæ Ichnographica, & Orthographica ſub num. IV. & V. cap. 3. noſtri operis veter. Monim. part. 1. ubi fuſiùs explicantur, ſat docent.

Verùm quæ Conſtantino Baſilicæ hujuſce extruendæ cauſa fuerit, qua decet brevitate, ex Euſebio tranſcribentes enarrabimus. Cùm Religioſiſſimus iſte Imperator adversùs Maxentium Tyrannum, qui Romanæ Urbis Imperium vi occupaverat, bellum inſtrueret, Patris ſui Conſtantii Imperatoris exemplo motus, quem Chri-


A
B
C
D
E
G
H
K
L

appoſuit, cùm illæ
rint. Ad Altaris de
Confeſſione, ac par
eſt feneſtra, tribus c
duobus alta, totiden
porrecta. Super hanc
magnitudinis teſſell
tum cernitur, in cuj
in ſuperiori zophor
verò parte quatuor
quorum characteres
redolent. Cl. Vir P
Scriptores hæc carm
ſuperioribus, refert
ideo integra, purac

Jam licet officio ſit te
Tu tamen es cratis
Et quamvis mage tu
peruſtus,
Uſſit te crates, uſ
Quæ fervore pari Jus
Cujus in hoc ſac
loculo.

Quibus verſibus S. J
& Martyris ſepulch
catum docemur.

Ut autem ipſe oc
quæ dicimus, pro cap
tuti, atque propoſi
Baſilicæ Tabulam Ic
ferimus ſub numero
tur A.B. ultimam c
notant ab Honorio I
veterem arcum triu
e poſteriori parte, q
E. adeſt muſivum o
antiquiorem Eccleſi
Cathedra marmore
circumquaque ſedil
maximam, quæ Co
I. deſcenſum donota
ubi Beatorum Laur
corpora jacent; k.

Christianorum studiosum fuisse constat, indulgentiorem Christianæ Regioni se præbuit. Cùm enim in hujuscemodi gravissimi belli cura Imperator versaretur, reputaretque majori sibi præsidio, quàm armatorum militum ad eam expeditionem faustè conficiendam opus esse, animo secum volvebat, cujusnam sub numinis auspicio bellum gessurus esset; utrum scilicet Deos Romanorum, an Christianorum Deum invocaret, quem a Patre suo Constantino Cæsare cultum animadverterat? Quamobrem præcedentium Imperatorum exempla sigillatim examinabat, quorum cùm aliquos Diis suis fretos, alios divinationibus, & oraculis res prosperas pollicentibus, pessimum rerum, vitæque finem sortitos fuisse cognosceret, Deum Christianorum, quem Constantius Pater Imperii custodem, ac felicitatum omnium Auctorem expertus fuerat, jam tum colere secum constituit. Statim igitur fusis precibus Deum enixè rogavit, ut periclitantis Imperii rebus dexterè occurreret, tantique negotii molem tuendam, prosperandamque susciperet. Hæc autem oranti, flagitantique, visio quædam divina, & inprimis admirabilis apparuit; nam die quadam paulò post meridiem, Sole jam declinante, dum anxiè multa secum de imminentis belli necessitate revolvens sæpiùs ad cælum oculos elevaret, inde auxilium petens, vidisse se, totumque exercitum, fassus fuit, in cœlo Sanctissimæ Crucis signum Sole ipso, cui imminebat, splendidius, inscriptumque hisce verbis, ΕΝ ΤΟΥΤΩι ΝΙΚΑ, scilicet: *In hoc vince*; quo prodigio attonitum, deque eo plurima in animo volutantem nox oppressit, in qua eidem dormienti Christus unà cum Crucis symbolo, quod in cœlo viderat, apparuit, præcepitque, ut Crucis signo ad illius imitationem, quod in cœlo apparuerat, fabricato, eo tamquam præsidio, ubi prælia cum hostibus committeret, uteretur. Paruit illicò Constantinus, convocatisque artificibus jussit, ut auro, lapidibusque pretiosis prædictum exprimerent signum, cujus figuram ipse eos docuit, quam sic fuisse laudatus narrat Eusebius. Hastile oblongum, erectumque auro undique obductum erat, cujus cornu transversum ad formam Crucis conctructum; suprà in fastigio ejus operis corona affixa gemmis, & auro politè circumtexta. In ea salutaris appellationis Salvatoris nota inscripta, duobusque solùm expressa elementis, idest duabus primis literis Græcis nominis Christi, erat P. in medio literæ X. curiosè, & subtiliter inserta, hac forma ☧, quæ Christi nomen compendiosè notat. Ad illius particulæ cornu, quæ in transverso erat per hastile trajecta, velamen quoddam pertenue appensum, mirabili texturâ affixit, quod Crucis mensuram exæquavit. Sub ipsius Crucis insigne ad discurrentis velaminis fimbrias auream ipsius Imperatoris, ac liberorum suorum effigiem ad pectus usque concinnè descriptam apposuit. Hoc autem salutari signo, quod Labarum appellatum fuit, perpetuò exercitui præcedente, Italiam Alpibus superatis, ingressus est, expugnatisque finitimarum Urbium præsidiis, triplici prælio Maxentii copias fudit, ac universam Italiam pristinæ majestati restituit. Cùm verò ad Urbem appropinquâsset, in Pratis Quintiis juxta Pontem Milvium castrame-

ſtrametatus eſt, commiſſoque cum Maxentio certamine, eoque cum equo in Tyberim lapſo, e quodam ponte, quem diſſutilibus, lintribus, tabuliſque dolosè in hoſtes fabricaverat, ſalutaris ſigni virtute, citra civilem ſanguinem, quod ſemper optaverat, egregiam tulit victoriam. Quamobrem Urbem immaniſſimâ Tyrannide liberatam triumphans ingreſſus, fauſtis acclamationibus a Senatu, Populoque Romano exceptus fuit. Inprimiſque Deo Liberatori gratias agens, a dextris imaginum, quas ei Senatus triumphales erexerat, atque etiam in medio Urbis ſupra tropæum, venerabile Crucis ſignum figi imperavit, in quo hæc erant inſcripta.

SALVTARI HOC SIGNO IMPERIVM ROMANVM CVSTODITVR.

Hinc haſtam in Crucis ſignum decuſſatam Imaginis ſuæ, quæ eo loci, ubi Tyrannus Civium proſcriptiones, & cædes imperaverat, ſtatuta fuit, manibus aptavit, eidemque elogium hoc addidit.

HOC SALVTARI SIGNO QVOD VERAE VIRTVTIS ARGVMENTVM EST VESTRAM VRBEM TYRANNICAE DOMINATIONIS IVGO LIBERATAM SERVAVI SENATVI POPVLOQVE ROMANO IN LIBERTATEM ASSERTO PRISTINVM DECVS NOBILITATIS SPLENDOREMQVE RESTITVI.

Senatus quoque in æternam ejus memoriam eximiæ ſtructuræ arcum ad Palatini, Cœliique montium radices in Suburra conſtruxit, quod adhuc viſitur, eidemque Imperatori cum hoc elogio dedicavit.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO. P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R. QVOD. INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS. MAGNITVDINE. CVM EXERCITV. SVO. TAM. DE. TYRANNO. QVAM. DE. OMNI. EIVS. FACTIONE. VNO. TEMPORE. IVSTIS. REMPVBLICAM. VLTVS. EST. ARMIS. ARCVM. TRIVMPHIS. INSIGNEM. DICAVIT.

Intra fornicem a dextris:

LIBERATORI VRBIS.

A ſiniſtris verò:

FVNDATORI QVIETIS.

Hoc autem Crucis miraculo, diviniſque viſionibus Helena Auguſta ejuſdem Conſtantini Mater commota, Sanctiſſimæ Crucis lignum apud urbem Hieroſolymam quærere ſecum ſtatuit, quod tandem poſt aliquot annos reperit, ut narrant Ruffinus lib. 1. cap. 8. Socrates lib. 1. cap. 17. Sozomenus lib. 2. cap. 1. & S. Ambroſius in concione de obitu Theodoſii Imperatoris. Quapropter hic ego inventionis illius hiſtoriam retexere ſuſpendo; illud unum, quod ad rem eſt, enarraſſe contentus, Helenam ſcilicet Sanctiſſimæ Crucis repertæ, & ab ipſa tripartitò diviſæ, unam partem cum titulo ejuſdem Crucis argenteis thecis incluſam in hanc Romanam miſiſſe Urbem, atque in hac Seſſoriana Baſilica collocari imperaſſe, quæ eadem de cauſa a Conſtantino Magno conſtructa, ab illius Matre quandoque etiam Heleniana appellata fuit, ut in actis Xyſti III. Pontificis legitur. Cæterùm adhuc hodie tres ipſius Sanctiſſimæ Crucis particulæ unà cum titulo, & tranſverſa haſta, ſeu, ut Euſebius vocat, cornu dextro & ſiniſtro crucis boni Latronis in

in eadem aſſervantur Baſilica. Quoniam verò Tituli Sanctiſſimæ Crucis meminimus, & in eadem Baſilica adhuc ſervari aſſeruimus, libet modò referre, quomodo olim deperditus, tandem ſub fine XV. ſæculi denuò repertus fuerit.

Vivebat tunc temporis Petrus Gondiſalvus de Mendoza Presbyter Cardinalis Tituli ejuſdem Eccleſiæ, qui cùm illam vetuſtate jam fatiſcentem videret, ut in primævum ſplendorem reſtitueret, ejuſdem muros novâ, & tenui calce obduxit, ac dealbavit, necnon interraſile laquearium picturis, aureiſque exornavit lineis. Dum autem hæc a fabris murariis peragerentur, in ſummitate majoris arcûs, ſive triumphalis, disjecto cujuſdam parvæ feneſtræ muro, ibidem Sacroſanctæ Crucis Titulus repertus fuit. Tota facti ſeries a Stephano Infeſſura, quem penès me in meo librorum cimelio Ms. aſſervo, rerum ſui temporis diligenti Scriptore, rudi quidem ſtylo ſic enarratur: *Die prima menſis Februarii anno* 1492. *venerunt nova de partibus Africanis, dictumque fuit, qualiter Rex Hiſpaniæ habuerit victoriam de Granata, ipſamque cœpit, & dominatus eſt, & eam fuiſſe captam pactis omnibus, & fœderibus. Nam jam diu ante oppreſſerat eam, quibus autem pactionibus, non benè ſcitur apud nos.*

Eadem die miraculum in Urbe fuit. Nam cùm D. Petrus Gondiſalvus de Mendoza, ut dicitur, ſua impenſa faceret incruſtare, & dealbare Eccleſiam prædictam, quando Operarii tetigerunt ſummitatem arcus, exiſtentis in medio Eccleſiæ juxta tectum, ubi adhuc ſunt duæ parvæ columnæ, ſentierunt ibi certum vacuum, cùmque aperuiſſent, invenerunt unam parvam feneſtram, in qua erat una capſula plumbea duorum palmorum, bene clauſa, & ſuper eam erat lapis quidam quadrangularis marmoreus, ubi erant ſculptæ iſtæ literæ, videlicet: HIC EST TITULUS VERÆ CRUCIS, *in qua capſula reperta fuit quædam Tabula parva longitudinis unius palmi, quæ ab uno latere erat comeſa, & vetuſtate corroſa, ibique erant cavatæ, & deinde colore rubeo tinctæ infraſcriptæ literæ, ſive verba:*

HIESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.

Sed illud JUDÆORUM *non erat perfectum, quia illud* R VM *nonniſi ad R. incluſivè remanſerat, & illud VM. ceciderat, ut dixi, quia erat Tabula ab ea parte corroſa, & vetuſtate deficit, & primus verſus erat hìc ſcriptum literis Latinis; ſecundus verò literis Græcis, & tertius literis Hebraicis. Ad quem locum quaſi tota Urbs acceſſit, & Papa Innocentius etiam poſt triduum vidit eam, juſſitque permanere in dicta capſula cum quadam lamina vitrea ſuper Altare in feſtivitate dictæ Eccleſiæ, & eſt omnium æſtimatione illa Tabula, quam Pilatus poſuit in Cruce ſuper caput Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, poſita ibi per Sanctam Helenam Matrem Conſtantini, tempore, quo fuit dicta Eccleſia fabricata.*

Hæc Infeſſuræ narratio Muſivis literis expreſſa legitur in Sacello S. Helenæ eadem in Baſilica conſtructo, ſic:

Sacra ulterior Capella dicta Hieruſalem, quum Beata Helena Magni Conſtantini mater Hieroſolyma rediens anno Domini CCCXX. Dominici Trophæi inſigniis repertis in proprio eam cubiculo erexerit, terraque ſancta Montis Calvariæ navi inde advecta, ſupra

quam

quam Christi sanguis effusus fuit, Redemptionis humanæ pretium: cujusque vigore in cœlestem Hierusalem mortalibus aditus patuit: ad primum usque inferiorem fornicem repleverit: ex quo Sacellum ipsum, & tota Basilica, ac universa Urbs secunda Hierusalem meruit appellari: apud quam & Dominus ad illius robur fidei in Petro iterum crucifigi voluit: ubique unius Dei veneratio, ac fides indeficiens, & Domini precibus, & Petri favore ad ultimum usque Domini judicantis adventum in Urbe sublimi, & valente, ac inde veriore Hierusalem creditur permansura.

Hunc ergo locum Regina ipsa multis Christi, & Sanctorum reliquiis ornavit, & a Beato Sylvestro XIII. Kal. Aprilis cum multiplici peccatorum venia visitantibus indulta consecrari obtinuit. Inde centum ferme labentibus annis Valentinianus Secundus Imperator, filius Constantii Cæsaris, Archadii & Honorii Imperatorum Nepos ex Sorore Galla filia Magni Theodosii Hispani, in solutionem voti sui, ac Matris Placidiæ, & Honoriæ sororis, opere vermiculato eam exornavit. Inde quasi MC. annis evolutis Titulus veræ Crucis ab Helena Romam delatus, qui supra arcum majorem istius Basilicæ in parva fenestra, plumbea theca, muro lateritio clausus tandiu latuerat: musivis tamen literis ab extra id referentibus, quòd illic Titulus staret, quæ jam literæ præ vetustate vix legi poterant. Sedente Innocentio VIII. pientiss. Pontifice anno Domini MCCCCXCII. Pontificatus sui anno VIII cùm bon. mem. R. D. Petrus Gundisalvi de Mendoza nobiliss. Cardinalis S. Crucis in Hierusalem Toletanus Primas, tectum Basilicæ istius, & musivas illas literas fenestræ reparari faceret, Fabris bitumen, quo literæ figebantur, indiscretè diruentibus, aperto fenestræ foramine, contra eorum, & Cardinalis beneplacitum, gloriosus Titulus veræ Crucis, post tot annos ab Helena, Romæ visibilis apparuit.

Super hujusmodi Tituli inventione Summus Pontifex Alexander VI. peculiarem edidit Constitutionem, quæ incipit: *Admirabile*, in Bullario, ac in ordine numer. 4. Ubi eodem modo laudati Tituli inventio describitur, cujus occasione omnibus utriusque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam præfatam ultimâ Dominicâ mensis Januarii cujuslibet anni in ejus rei memoriam a primis Vesperis usque ad occasum Solis ipsius Dominicæ devotè visitassent, omnium peccatorum suorum veniam idem Pontifex benignè concessit, & elargitus fuit.

Non abs re etiam erit, antiquissimi ritûs Auream benedicendi Rosam mentionem facere, qui hac in Basilica quartâ Dominicâ Quadragesimæ celebrari mos fuit; quâ die in eadem habetur Statio. Hujusmodi benedictionis cæremoniam eruditissimus Vir Carolus Cartarius amicus noster, RR. DD. Advocatorum Consistorialium dignissimus Decanus, atque Archivi Apostolici in Adriana Arce, sive Castro S. Angeli Custos, describit in suo luculento Tractatu de Rosa Aurea, vernaculo idiomate exarato, eamque desumpsisse fatetur ex Ms. Lonigi, ubi sic: *Quarta Solis die in Quadragesima, quæ dicebatur Lætare, ex eo quia ea luce Missa incipit per hæc verba:* Lætare Hierusalem, *erat Statio in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem, & Camerarius, quem hodie Camerlinghum Ecclesiæ vocitamus,*

citamus, Cardinalitià dignitate insignitus, præsentabat Pontifici in Cameram Rosam auream balsamo inunctam, muscoque affusam. Hæc camera locus erat in Palatio Apostolico, quò Camerarius, Clericique Cameræ conveniebant sua munera acturi. Summus Pontifex, acceptà Rosà, pretioso indutus Pluviali, Mitràque gemmatà capiti impositâ, solemniter cum omnibus Curiæ ordinibus, ad Basilicam Sanctæ Crucis equitabat, ad quam perventus Missam celebrare solitus erat, prædicans Euangelium, Rosam manu gestans populo ostendebat. Sacris peractis, Camauro Pontificio iterum capiti aptato, pariter equitabat, Rosam auream manu excipiens usque ad Lateranense Palatium, ubi Præfectus Urbis aderat, præstolans, ut Papæ ex equo descendenti inserviret, in cujus obsequii gratificationem Pontifex Rosam auream illi impartiebatur, qui, deosculato sanctissimo pede, discedebat.

Hanc Rosam temporis progressu Romani Pontifices ad Imperatores, Reges, aliosque Proceres, & Magnates, quandoque etiam ad insignes Ecclesias dono transmisere, quæ exempla in unum cumulavit idem Cartarius in præcitato Tractatu, ad quem curiosum Lectorem remitto.

Donaria, quæ a laudato nostro Imperatore huic Basilicæ facta fuère, ut ex præcitato Pontificali libro colligitur, sequentia sunt.

Candelabra aurea, & argentea ante Lignum Sanctum, lucentia secundùm numerum Evangeliorum quatuor, quæ pensaverunt singula libras 30. Pharacanthara argentea 50. quæ pensaverunt singula libras 15. Scyphum aureum purissimum, qui pensavit libras 10. Calices ministeriales aureos quinque pensantes singulos libras singulas. Scyphos argenteos tres pensantes libras octo. Calices ministeriales argenteos decem pensantes libras binas. Patenam auream pensantem libras decem; patenam argenteam auro clusam cum gemmis pensantem libras quinquaginta. Ipsum sanctum Altare aureum, quod pensat libras ducentas, & quinquaginta. Amas argenteas pensantes libras viginti. Et omnia agrorum circa Palatium Ecclesiæ dono dedit. Item possessio Sponsas vià Lavicana præstans solidos ducentos sexaginta & duo. Sub Civitate Laurentium possessio Patras præstans solidos centum & viginti. Sub Civitate Nepesina possessio Anglesis præstans solidos centum quinquaginta. Sub Civitate suprascripta possessio Terega præstans sodidos centum quadraginta. Sub Civitate suprascripta Falisca possessio Herculis, quæ donata est Augusto Constantino, & Augustus obtulit Ecclesiæ Hierusalem præstans solidos 140. Item sub Civitate Falisca possessio Nimphas præstans solidos centum & quindecim. Sub Civitate Juder possessio Angulas præstans solidos 153.

Addere etiam hìc placet novam a nobis de hac Basilica post supradicta exarata factam observationem; nempe quoad antiquam structuram, cùm dictæ Basilicæ exteriores partes ab annexis ædificiis minimè visibiles sint, præterquàm latus, quod Boream respicit, illud delineare feci, ut in Tabula V. nostri operis de Veter. Monimentis parte 1. Hisce non contentus, quadam die rogavi admodum R. P. D. Julium Lucenti, Cisterciensis Ordinis Abbatem, (Cœnobium siquidem a Monachis hujus Ordinis habitatur) ut mihi commodum præstaret singulas exteriores ejusdem Basilicæ partes ri-

mandi, qui petitioni meæ libenter indulsit, ac intra Monasterii claustra introduxit, idemque latus propterea diligenter observavi; animadvertique, arcus, qui superioribus pro fenestris inservientibus subsunt, tumultuario muro, recentis structuræ, fuisse oppletos. Ex hac igitur inspectione animo revolvi, vetustum hoc admodum, ac nobile ædificium, antiquarum Basilicarum more, constructum fuisse, ut undique exteriores partes essent perspicuæ, utque exprimitur in Numismate Basilicæ Æmiliæ, quod Tab. XXI. fig. 4. ejusdem nostri operis de vet. Mon. parte I. retulimus. Hoc igitur admisso, fatendum est, non solùm eos qui intra Basilicam, verùm etiam, qui extra eam, sacra, quæ intus agebantur, vidisse. Scio, Vitruvium dissimilem ab hac Fani Fortunæ construxisse Basilicam, nempe undique muro clausam, cujus rudera adhuc inibi extant, quorumque exempla refert Daniel Barbarus Patriarcha Aquilejensis in suis commentariis ad eumdem Vitruvium lib. 5. cap. 1. Quidquid igitur sit de hac Basilicarum differentia, Architecturæ peritis, ac antiquitatum amantibus examinandum relinquimus, cùm nobis sufficiat, dubitandi ansam præbuisse, ac demonstrâsse, nos ipsos accuratè omnia, ut decet, observavisse.

CAPUT VIII.

De Ecclesia Sanctorum Marcellini & Petri via Lavicana.


Augustam in construendis Ecclesiis munificentiam, in hac quoque, licèt ab Urbe distaret, religiosissimus Imperator noster ostendit. Primò ejus fundatio sic in libro Pontificali, ac Vita Silvestri Papæ describitur: *Eisdem temporibus Augustus Constantinus fecit Basilicam Beatissimis Martyribus Marcellino Presbytero, & Petro Exorcistæ, inter duas Lauros, & Mausoleum, ubi Beatissima Mater ipsius sepulta est Helena Augusta in sarcophago porphyretico, vià Lavicana, milliario ab Urbe Roma tertio. In quo loco, & pro amore Matris suæ, & veneratione Sanctorum posuit dona voti sui.*

Eorumdem Beatorum Martyrum sepulchrum S. Damasus Pontifex, cùm adhuc puer esset, ac de eodem certior fuisset factus, a Dorotheo Carnifice, & horum Martyrum interfectore, (qui tamen postea Christi Fidem amplexus fuit, eò quòd statim cæsorum animas in cœlum ascendisse conspexisset) adultus effectus, his versibus ornavit.

Marcelline tuos, pariter Petre, nosce triumphos.
Percussos retulit Damaso mihi cùm puer essem,
Hæc sibi Carnificem rabidum mandata dedisse,
Sentibus in mediis vestra ut tunc colla secaret;
Nec tumulum vestrum quisquam cognoscere posset;
Vos alacres, vestris manibus mundasse sepulchra,
Candidulo occultè postquam jacuistis in antro,
Postea commonitam vestrâ pietate Lucillam,
Hìc placuisse magis sanctissima condere membra.

Quænam supramemorata fuerit Lucilla in Martyrologio ab Adone relato ad diem secundam Junii narratur: ibi enim legimus, Lucillæ, & Firminæ







D
8
A
6
12
pag 123.
B
E
F
M





TAB·XXVII



pag 123

minæ Christianissimis fœminis Beatos Martyres revelâsse, ut sua corpora e Silva Nigra, in qua Martyrium perpessi fuerant, amoverent, ac in inferiorem partem Cryptæ juxta Sanctum Tiburtium deponerent, quod brevi effectum fuit. Unde eadem Basilica Tiburtii nomen etiam accepit, & Silva Nigra in honorem eorumdem Martyrum, Candida inposterum appellata est. Postmodum verò prædicta Sanctor. Martyrum corpora in Gallias translata fuêre, ut scribit Sigebertus in Chronico ad annum 826. Aimonius de Gestis Francorum lib. 4. cap. 116. & alii. Cæterùm de hac Basilica in Vitis Pontificum, ac præsertim in Hadriano I. hæc habentur: *Cimiterium item Beatorum Petri & Marcellini viâ Lavicana juxta Basilicam Beatæ Helenæ renovavit, & tectum ejus, id est Sancti Tiburtii, & eorumdem Sanctorum Petri & Marcellini noviter fecit, & gradus ejus, qui descendunt ad eorum sanctissima corpora, noviter fecit, quoniam nullus erat jam descensus ad ipsa sancta corpora.* Qua ex authoritate deducitur, eandem Basilicam etiam S. Helenæ nomen acquisivisse. Cur autem illi tale nomen inditum fuerit, ex supracitato libri Pontificalis loco clarissimè apparet, ubi S. Helenam in sarcophago porphyretico, in Mausoleo viâ Lavicanâ, tertio ab Urbe milliario, sepultam fuisse narratur. Hujus verò Mausolei, sive Ecclesiæ SS. Marcellini, & Petri adhuc extant parietinæ, ut in Tab. XXVII. lit.A. videre est: lit.B. ipsius Mausolei Ichnographiam interiorem, lit.C. superiorem denotant, ubi octo majores conspiciuntur fenestræ; lit. verò D. partem interiorem, & exteriorem, demonstrat; EE. atrium Ecclesiæ; F. porticus atrium circumeuntes; G. atrii ingressum; H. verò columnam milliariam præterito anno 1687. ad jactum lapidis a Mausoleo effossam, quam in meo lapidario Museo servo, ubi milliare tertium incisum est: literæ, quæ in ea rudi minervâ insculptæ cernuntur, sic se habent.

IMP. C
D. N. M. AVR
VAL. MAXEN
TIO. P. F. PER
PETVO. INVI
CTO. AVG
III.

Quæ sic explicantur: *Imperatori. Cæsari. Domino. Nostro. Marco. Aurelio. Valerio. Maxentio. Pio. Felici. Perpetuo. Invicto. Augusto.* Sequentes literæ III. indicant milliarii numerum, nempe tertium. Alia non absimilis columna in eadem Tab. lit. I. signata in eodem meo rerum antiquarum Cimelio itidem asservatur, & viginti ab hinc annis viâ Latinâ, in loco, qui olim denominabatur *lo spinaceto*, sive S. Andreæ, reperta fuit. Columna hæc decimum milliare designat, quoniam in hujusmodi ab Urbe distantia fuit inventa, licèt Numerus in ea desideretur.

At quia meminimus nuper sarcophagi, in quo Beatæ Helenæ corpus reconditum fuisse creditur, non incongruum hìc fore puto, si illius referam exemplar, quod perpulcrum admodum est. Iconem vide in Tab. XXVIII. Prototypus illius visitur in Lateranensis Ecclesiæ porticu, quæ Orientem respicit, pluribus locis fractus, atque dispersus, adeo ut novâ reparatione indigeat. Nam Lateranensis Ecclesiæ Canonici Anno D. 1609. Jacobo Bosio conservandæ antiquitatis Viro studiosissimo adhortante, atque adnitente,

hujus sarcophagi fragmentis in unum collectis, ac coaptatis, pristinæ formæ reddiderunt, ac supra eundem in pariete hanc apposuere Inscriptionem.

Divæ Helenæ Augustæ Magni Constantini Matri sepulchralem hanc porphyreticam arcam, jam diu ex ipsius Mausoleo via Lavicana in hanc sacrosanctam Basilicam ab Anastasio Quarto Summo Pontifice ad proprii monumenti usum translatam, & injuria temporum undique diruptam, ac penitus disjectam, ne tantæ Patronæ de eadem Basilica optime meritæ, memoria deperiret, Capitulum, & Canonici restituère anno Salutis MDCIX.

Hujus sarcophagi moles non exiguâ admiratione digna videtur, nam ejus facies in longitudine, videlicet ab A. usque ad B. est palmorum 12. Altitudo verò palmorum 6. ut A. C. Laterum latitudo palmorum 8. ut A.D. operculi altitudo palmi 1. unciarum 5 ½ ut E.F. Reliquum denique operculi ipsius fastigium est palmorum 3. ut F. G.

Inter antiquitatis Amantes, eruditosque Viros maximum oritur dubium, an sepulchrum hoc illud verè sit, in quo Beatæ Helenæ jacuit corpus, præsertim cùm apud Nicephorum lib.8. cap. 31. Langianæ versionis hæc habeantur: *Ingentes quoque ei* (videlicet Helenæ) *post obitum tributi honores, quales scilicet eam decebant, quæ tam piè, sanctèque vixisset. Extra Urbem Romanam sepulta, in Templo rotundo, marmorea urna deposita, atque biennio pòst unà cum urna Constantinopolim deportata est. Princeps ipsa in Imperialia monumenta ædis SS. Apostolorum illata, &c.*

Attamen de hac B. Helenæ corporis translatione Constantinopolim facta, nulla penès antiquos Scriptores expressa fit mentio. Imò in Galliam translatum fuisse, teste Sigeberto, narrat Baronius ad annum 326. num. 62. Laudatus verò Nicephorus in principio sæculi XIV. scripsit, ideoque mille annos, & ultra post Helenæ mortem. Socrates etiam lib. 1. cap. 17. verba Eusebii ἐπὶ τὴν βασιλεύουσαν πόλιν ἀνεκομίζετο, scilicet, *in Regiam Urbem pervectum*, transcribens, ea pro nova Roma, sive Constantinopoli interpretatus est; nam loco earum vocum, βασιλεύουσαν πόλιν, quæ Regiam Urbem sonant, posuit, καὶ τὸ σῶμα αὐτῆς εἰς τὴν βασιλεύουσαν νέαν Ῥώμην διακομισθέν, nempe: *Corpusque ejus novam Romam deportatum.* Hunc Socratis lapsum Valesius in suis annotat. ad cap. 47. lib. 3. Eusebii de Vita Constantini notat, ac meritò, inquit, a Baronio illum reprehendi; cùm Eusebius Regiæ Urbis nomine, Romam semper designare soleat. Ulteriùs idem subdit Valesius, quòd nondum Constantinopolis erat dedicata, proindeque Urbs Regia minimè vocari poterat. Socratis opinionem Cedrenus sequutus fuit, qui etiam addit, Helenam 12. annis ante Constantinum e vivis abiisse, ὃ ἀπετέθη ἐν λάρνακι πορφυρᾷ αὐτός τε καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ Ἑλένη πρὸ δώδεκα ἐτῶν τῆς αὐτοῦ τελευτῆς ἀποθανοῦσα. Hac ratione Helenam mortuam esse oporteret Anno Christi 325. aut certè 326. quo tamen anno Hierosolymam profecta dicitur ab Eusebio, & Ruffino. Addi etiam posset, post Crispi Cæsaris, & Faustæ Augustæ necem Helenam aliquando supervixisse, ut Zosimus lib. 2. testatur. Porrò Crispus occisus est Constantino Augusto VII. & Constantio Cæsare Consulibus anno Christi 326. ut in Fastis Idatii legitur. Mors igitur Helenæ Anno Domini

327.

327. rectè assignari potest, ut Sigonius sentit libro 3. de Imperio Occidentali, quod veritati consonum esse videtur, quoniam anno 326. Helena Ecclesiarum ædificationi intenta in Oriente degebat. In Occidentem verò anno 327. reversam esse, deducitur ex lib. 1. cap. 6. de Gloria Martyrum Gregorii Turonensis, qui floruit sæculo VI. ibi enim narratur, in mari Adriatico exortam fuisse tempestatem, dum Helena Augusta veheretur navi, ac ad eam sedandam, Clavo ab ipsa, quo Christus Dominus Cruci fuit affixus, in mare projecto, tumentes æquoris fluctus illico subsedisse. Dicendum itaque reor, cùm hæc B. Helenæ translatio corporis controversa sit, antiquæ potiùs traditioni, quàm recenti standum esse, videlicet B. Helenam in Italia obiisse, illiusque corpus postea Romam delatum, in porphyretica urna, quæ modò visitur, fuisse sepultum. Esto enim præallegata Nicephori narratio vera sit, fortè corpus ultra hanc majorem, maximamque, aliâ urnulâ, ut mos est, tegebatur, quæ Constantinopolim postmodum translata fuit, relicto in Urbe porphyretico sarcophago; multò enim commodiùs hoc cedebat, ob molis gravitatem, præsertim cùm marmoribus, & quidem pretiosis indiga Constantinopolis minimè sit, ut Augustum hoc Helenæ monumentum maximo cum incommodo evehi ab Urbe oporteret. Satis de B. Helenæ corpore, ac sepulchro diximus; nunc ad nostram Basilicam revertamur.

Hæc laudata Basilica a Magno Constantino donariis ditata fuit, ut ex sæpè citato libro Pontificali, & Vita S. Sylvestri elicitur, videlicet: *Patenam ex auro purissimo pensantem libras triginta quinque. Candelabra argentea auro clusa quatuor in pedibus duodecim, pensantia singula libras ducentas. Coronam ex auro purissimo, quæ est pharus cantharus cum delphinis centum & viginti, pensantem libras* 30. *Calices aureos tres pensantes singuli libras decem, cum gemmis prasinis, & hiacynthinis. Amas aureas duas pensantes singulas libras* 11. *Altare ex argento purissimo pensans libras* 200. *Ante sepulchrum Beatæ Helenæ Augustæ fecit ex metallo porphyretico exculptis sigillis phara canthara viginti ex argento purissimo pensantia singula libras viginti. Item in Basilica Sanctorum Petri & Marcellini donum, quod dedit, tale est: Altare argenteum purissimum pensans libras ducentas. Patenas aureas purissimas duas pensantes libras quindecim. Patenas argenteas duas pensantes singulas libras quindecim. Scyphum aureum majorem pensan. libras viginti, ubi nomen Augustæ designatur. Scyphos argenteos quinque pensantes singulos libras duodecim. Calices ministeriales argenteos viginti pensantes singulos libras tres. Amas argenteas quatuor pensantes singulas libras quindecim. Annis singulis olei nardi pistici libras noningentas, balsami libras centum, aromata, incensum ante corpora Sanctorum Marcellini & Petri libras centum. Fundum Laurentium juxta Formiam cum balneo, & omnes agros a porta Sessoriana via itineraria usque ad viam Latinam, & usque ad montem Galbium. Ipse mons Galbius possessio Augustæ Helenæ præstans solidos mille centum, & viginti. Insulam Sardiniam cum possessionibus omnibus ad eandem pertinentibus præstantem solidos mille, & viginti quatuor. Insulam Mosenum cum possessionibus ad eandem pertinentibus præstans solidos octingentos & decem.*

cem. Insulam Atitiæ cum monte Argentario præstantem solidos sexcentos. Possessio in territorio Sabinensi, quæ cognominatur ad duas Casas, sub monte Lucretio præstans solidos ducentos.

CAPUT IX.

De Ecclesia S. Agnetis extra Urbis mœnia Viâ Nomentanâ.

LOcus iste inter præcipuos, qui Romanæ huic Urbi adjacent, atque in ipsa Urbe visuntur, connumerari facilè potest, cùm ob Sacrum corpus Beatæ Agnetis, cujus vita omnium gentium laudibus, & præconiis effertur, quippe quæ ætatem, & cum ætate Tyrannum vicit, nobilissimumque decus Virginitatis Martyrii laureâ coronavit; tum etiam ob insignis magnificentiæ Templum, a Constantino Magno rogatu filiæ suæ Constantiæ, constructum in celebri Nomentana via, seu, ut alii scribunt, Numentana. De hac eadem Ecclesiâ in Vita B.Sylvestri in Pontificali libro descripta sic legitur: *Eodem tempore fecit* (scilicet Constantinus) *Basilicam Sanctæ Martyris Agnetis, ex rogatu Constantiæ filiæ suæ, & Baptisterium in eodem loco, ubi & baptizata est soror ejus Constantia, cum filia Augusti, a Silvestro Episcopo, ubi donum constituit hoc. Patenam ex auro purissimo pensantem libras viginti. Calicem aureum pensantem libras decem. Coronam, pharum cantharum cum delphinis triginta ex auro purissimo pensantem libras quindecim, patenas argenteas duas pensantes singulas libras viginti. Calices argenteos quinque pensantes singulos libras decem. Pharacanthara argentea 30. pens. sing. lib. 8. Pharacanthara ærea aurichalca 40. Cerostrata aurochalca argento clusa sigillata quadraginta. Lucernam ex auro purissimo lychnorum duodecim super fontem, quæ pensabat libras 15. & donum in reditum circa Civitatem Fidenas omnem agrum præstans solidos centum, & sexaginta. Via Salaria sub Pavetinas usque omnem agrum Sancta Agnes præstantem solidos centum, & quinque. Agrum Muci præstantem solidos octuaginta. Possessio Vicopisonis præstans solidos ducentos & quinquaginta. Agrum Casulas præstantem solidos centum.* Licèt ex narratis, Magnum Constantinum hanc fecisse Basilicam deducatur; nihilominus illius Constructionis præcisum minimè apparet tempus, ut benè animadvertit Eminentiss. Baronius ad annum 324. num. 107.

Hanc eandem Basilicam postea a nonnullis aliis Pontificibus restauratam fuisse narratur in sæpecitato libro Pontificali, ac Vita Liberii, ubi hæc: *Rediens autem Liberius de exilio habitavit in Cimeterio Sanctæ Agnetis, apud Germanam Constantii, ut quasi per ejus interventionem, aut rogatum rediret Liberius in Civitatem.* Et paulò infra: *Hic Liberius ornavit de platinis marmoreis petris sepulchrum Sanctæ Agnetis Martyris.* In Symmacho etiam legitur: *Hic absidam Beatæ Agnetis, quæ in ruinam imminebat, & omnem Basilicam renovavit.* Et in Honorio I. *Eodem tempore fecit Ecclesiam B. Agnetis Martyris milliario ab Urbe Roma tertio, via Numentanâ, a solo ubi requiescit; quam undique ornavit, & exquisivit, ubi posuit multa dona. Ornavit autem sepulchrum ejus ex argento, quod pensan. libras 252. Posuit & desuper Ciborium æreum deauratum miræ magnitudinis. Fecit & Gabatas aureas quatuor pensan.*

ſan. ſing. libras ſingulas. Fecit abſidam ejuſdem Baſilicæ ex Muſivo, ubi etiam multa dona obtulit. Denique in Hadriano etiam I. hæc habentur: *Eccleſiam verò B. Agnetis Martyris, ſeu Baſilicam B. Emerentianæ a novo renovavit*. Hæc Eccleſia habet porticus, ſive naves, ſupra quas tam a dextro, quàm a ſiniſtro latere altera eſt porticus, ſive deambulacrum, ut antiquitus in prophanis erat Baſilicis, de quibus jam diximus in noſtro opere de Veter. Monim. parte 1. cap. 1. ubi exemplum Numiſmatis Marci Lepidi, in quo expreſſa eſt Baſilica Æmilia, retulimus, ut in Tab. XXI. fig.4. Singulæ porticus, ſive naves ſeptem habent columnas, e quibus quatuor in inferiori navi poſitæ, ſunt ex Jaſpide, ſeu, ut alii exiſtimant, ex lapide Portæ Sanctæ vulgò appellato, qui inter pretioſos annumeratur; cui ſententiæ diſcors eſt Martinellus, eas non quidem ex dicto lapide, ſed ex Alabaſtro eſſe in ſuo Opere contendens.

Reliquæ autem ex marmore Janthino ſunt, duabus poſtremis prope januam exceptis, quæ ex marmore ſunt Numidico. Earumdem verò columnarum Architectonicus ordo, partim ex Corinthio, partim ex Latino, ſive compoſito ordine eſt, præter duo capitula prope januam, quæ ſunt ex ordine Jonico. Quæ verò ſuperiorem porticum columnæ conſtituunt, partim ex eodem Janthino, partim verò ex Græco, ſive Pario, necnon reliquæ duæ ex Numidico marmore; capitula tamen ex ſupradictis, Corinthio ſcilicet, & Latino ſunt ordinibus. Cur autem lapides iſti diſparis ſint ſtructuræ, cauſam allegat ſæpe laudatus Baronius ad annum 324. num. 103. nempe, quòd non patiebatur tarda molimina vehemens ille ſpiritus, quo Conſtantini animus exæſtuabat; ſummâ enim eum celeritate, addit, ædificium ipſum confici voluiſſe.

Carmina nonnulla acroſticha Sanctæ Conſtantiæ pietatem indicantia, antiquiori in abſide hujus Eccleſiæ olim legebantur, quæ Gruterus pagina 1161. num. 9. refert.

Antequam tamen ea deſcribamus, Lectorem monitum eſſe cupio, aliquando Conſtantiam, aliquando verò Conſtantinam Sanctam iſtam appellari, ut notant laudatus Baronius ad annum 524. num. 108. Henſchenius ad diem 18. Februarii, & Du Cange in familiis Bizantinis familiâ 1. Carmina verò hæc ſunt.

C *onſtantina. Deum. Venerans. Chriſtoque. Dicata.*
O *mnibus. Impenſis. Devota. Mente. Paratis.*
N *umine. Divino. Multum. Chriſtoque. Juvante.*
S *acravit. Templum. Victricis. Virginis. Agnes.*
T *emplorum. Quæ. Vicit. Opus. Terrenaque. Cuncta.*
A *urea. Quæ. Rutilat. Summi. Faſtigia. Tecti.*
N *omen. Enim. Chriſti. Celebratur. Sedibus. Iſtis.*
T *artaream. Solus. Potuit. Qui. Vincere. Mortem.*
I *nvectus. Cœlo. Soluſque. Inferre. Triumphum.*
N *omen. Adhuc. Referens. Et. Corpus. Et. Omnia. Membra.*
A *Mortis. Tenebris. Et. Cæca. Nocte. Levata.*
D *ignum. Igitur. Munus. Martyr. Devotaque. Chriſto.*

MX.

▭ x. *Opibus. Nostris. Per. Sæcula. Longa. Tenebis.*

○. *Felix. Virgo. Memorandi. Nominis. Agnes.*

Nullos labores, nullasque omisimus diligentias, pro hujus insignis Basilicæ antiquis indagandis monimentis, quorum nonnulla adhuc supersunt, nempe in Ecclesiæ tectis, ubi multæ visuntur antiquæ tegulæ, in quibus literatæ sunt rotæ, literæ scilicet in gyrum dispositæ, ac ante tegularum coctionem sigillo quodam impressæ, de quibus disseruimus suprà in Cap. III. occasione Vaticanæ Basilicæ; earundemque rotarum emblemata etiam retulimus in Tab. VI. Propterea, ut quid certi ex hujusmodi venerandis antiquitatibus decerpere valeamus, tectum ascendi, diligenter tegulas ferè omnes perscrutavi, quas singulas emblemata continere inspexi, sed a temporis diuturnitate ita coinquinata, ut quadam tartari specie eædem literæ obductæ sint; nihilominus adhibitâ diligentiâ, quæ ex illis eruere mihi licuit, hìc in curiosorum simul, ac eruditorum gratiam refero.

Primus versus exteriorem, secundus autem interiorem continet peripheriam, & cùm abbreviatæ sint voces, prout expressæ sunt, sub oculos pono; deinde illarum explicationem tentabo. Sic igitur se habent:

OP DOL EX PR AVGG NN FIG TERENTIANA AELI VICTORIS

Epigraphen hanc ita interpretor: *Opus doliare ex prædiis Augustorum nostrorum Figulina Terentiana Æli Victoris.*

Ne in hisce jejuna legentis remaneat curiositas, aliquantisper a brevitatis scopo divertam, earundem vocum enunciando explanationem.

Fictilium vasorum opus, quod a figulis elaboratur, duplex erat genus, alterum rude, alterum verò diligenti minervâ compaginatum. Primum, hoc est, rudi minervâ fabrefactum, crassum etiam erat. Hocce opus magna respiciebat vasa, præcipuè dolia ad vina continenda, quæ plurium cadorum capacia erant, & adhuc hodie in Pontificio, aliisque Magnatum Urbis viridariis visuntur; unumque incredibilis magnitudinis me vidisse recordor, quod omnibus illud videre cupientibus patens est, nempe in aluminis fodina prope Forum Claudii, vulgò *la Tolfa*, triginta cadorum capax, tantæque altitudinis, ut per scalam decem, vel duodecim graduum ad illius os ascendere oporteat.

Alterum verò opus, quod diligenti, ac subtili minervâ erat constructum, ad vasa minoris capacitatis, atque gestatu facilia tendebat. Horum generale nomen erat *Urnarum*; quare si ad aquæ usum urnæ erant, Aquariæ, si ad continendos cineres, Cinerariæ, si verò ad ossa, Ossuariæ appellabantur. Diversarum tamen inter se etiam erant specierum, sive formarum, ut hac in Urbe ob earundem multitudinem facillimè distingui possunt.

Ex dictis igitur elicitur, quod quando de tegulis, ac magnis lateribus agebatur, hujusmodi fictilia, Opus doliale, aut doliare Veteres nominabant, quia ad similitudinem operis doliorum, scilicet, rudi, & crassâ minervâ constructa erant.

Quo verò ad hujusmodi laterum, ac tegularum magnitudinem, duplex illorum mensura erat, una major, altera minor dicebatur; prima duos pedes,

des, secunda unum pedem cum dimidio in qualibet laterum facie æquabant, cùm lateres isti quadrati essent; secus verò de tegulis, quæ oblongæ; unde in longitudine, prima, in latitudine verò secunda mensura illis competebat. Et hæc satis dicta sint quoad explicationem doliaris operis.

Sæpe in hujusmodi emblematibus, quæ in fictilibus operibus reperiuntur, impressa legitur abbreviatè, vel per extensum, *ex prædiis*, quæ vox denotat locum illum, in quo fictilia elaborata erant. Etiam abbreviatè, vel per extensum figulina vox legitur, quæ emptoribus, & quibusvis aliis officinam, ubi fictilia fabricabantur vasa, indicabat. Hæc præmittere duxi ad dissipandam omnem dubii nebulam, quæ ex hujusmodi literatis oriri posset emblematibus. Redeat nunc unde discesserat oratio, ad narrationem nempe eorundem emblematum, quæ in laudatæ Ecclesiæ S. Agnetis tegulis reperimus, ac sequentia sunt.

OPVS DOLIARE EX PREDIS AVG N C COMIN SABINIANI.

Nempe: *Opus doliare ex prædiis Augusti nostri Caii Comini Sabiniani*. De hac familia Cominia vetus extat Inscriptio apud Gruterum paginâ DCCCCLXIX. num. 11. Sequitur alia tegulæ Inscriptio.

OPVS DOLIAR DOM AVGG NN FIG FAORNIAN CALVENTI MAXIMA.

Quæ per extensum reddita sic sonant: *Opus doliare Dominorum Augustorum nostrorum figulina Faorniana Calventi maxima*. Variæ apud Gruterum Inscriptiones leguntur de hac familia Calventia. In hac Inscriptione vocem *maxima* noto, quam vocis figulinæ adjectivum puto, unde in hac Calventi officina tres figulinæ diversæ magnitudinis formabantur. Non absimiles figulinas vidi cum epigraphe: *Domitiana major*, & *Domitiana minor*, unam nempe duorum pedum magnitudinis, alteram verò sesquipedis. Quidquid sit de hac conjectura, aliis examinandam rem relinquo, cùm modò mihi nulla suppetat ratio. Restat, quòd narrem in medio peripheriæ expressum videri Virum stantem: modò ad quartam tegulam.

In hac igitur legitur.

OP DOL EX PR GRAVS AVG N SERVI MATI RESTITVTI.

Inscriptionem hanc sic interpretor: *Opus doliare ex prædiis Graus Augusti nostri servi Mati Restituti.* Vox *Graus* est nomen proprium prædii; altera vox *Mati Restituti* in Gruteriana Inscriptione pag. DCXLVII. num. 5. legitur, *Mattoni Restituti*; ex hoc infero, ultimam literam vocis *Mati*, quæ difficilis lectu est, esse T.

In quinta tegula sequens Inscriptio visitur: OPVS DOLIARE EX PL EDISTI; scilicet *Opus doliare ex prædiis Lucii Edisti*: in circumferentiæ medio stat Leo gradiens.

Sexta tegula hanc, quæ sequitur, continet epigraphen.

OPVS DOL EX FIG PONTI
CLIANA EX PRED CAES

Nempe: *Opus doliare ex figulina Ponticliana ex prædiis Cæsaris*.

In medio Bovinum cernitur caput.

Aliam quoque invenimus tegulam posterioris sæculi, quæ sequentibus characteribus ad longum notata est.

REG D N THEOD
RICO FELIX ROMA.

Quæ literæ sic integrum reddunt sen-

ſenſum : *Regnante Domino noſtro Theodorico felix Roma*.

Duæ ſimiles tegulæ ad meas pervenerunt manus; unam amico dono dedi; alteram penès me ſervo, quæ habet: *Regnante Domino noſtro Theodorico bono Romæ*. Mirificè Rex iſte Urbem ornavit, ut teſtantur Caſſiodorus, Fernandes, & Sigonius.

Hæc ſunt, quæ ex tegulis Borealis, & Auſtralis partium decerpere potuimus; multa alia fortaſſe in tegumentis medianæ navis erant, quæ ob periculoſi aſcensûs difficultatem penè inacceſſibilia omiſimus.

CAPUT X.

De Eccleſia S. Conſtantiæ, ejuſque Muſivis operibus.

LAudandæ ſemper memoriæ Conſtantinus Imperator piis filiæ ſuæ Conſtantiæ precibus indulgens, non ſolùm Baſilicam in honorem Beatæ Agnetis, verùm etiam Baptiſterium prope eandem Baſilicam fecit, ut in ſupracitata Vita Sancti Sylveſtri indicatur. Ubinam autem ipſa Baſilica fuerit, in dubium revocari minimè poteſt, cùm adhuc extet, ut ſuprà jam demonſtravimus. Oritur tamen dubium de Baptiſterio, ad quod decidendum circumvicina ædificia luſtrare oportet. Nam cùm antiquitùs Baptiſteria ſeorſim ædificarentur ab Eccleſiis, nullum ædificium profectò inveniemus, quod aptiùs ad Baptiſterii uſum inſervire potuerit, quàm S. Conſtantiæ Eccleſiam, eidem Baſilicæ proximam.

Eccleſia hæc, quæ rotundæ eſt formæ, interiorem porticum duplici columnarum ordine diviſam habet, itaut binæ columnæ ſuſtentent arcum, atque ita duodecim interiorem, totidemque aliæ exteriorem circuitum forment, omnes verò ex lapide Numidico, ordineque Jonico ſunt. In parietis ambitu duodecim viſuntur loculamenta. Ut autem hujus Eccleſiæ conſtructio meliùs concipiatur animo, ſubjectâ Tabula XXIX. exteriorem, interioremque Orthographiam referimus. Prima enim figura interiùs repræſentat ædificium, cujus diameter eſt palmorum 109. ac fornix, qui columnis in gyrum diſpoſitis imminet, indicatur lit. A. Eleganti Muſivo opere olim fuiſſe ornatum, credibile eſt; modò autem partim Muſivo opere, partim verò picturâ in locum (ut puto) dilapſi Muſivi ſuffectâ renidet. Quid autem hoc Muſivum referat Tab. XXX. oſtendit. Vides in hac varias vites, varioſque pampinos, & uvas, & in fornicis medio mulierem, in angulis verò quoſdam genios, qui omnes ad vindemiam ſe exercent; aliqui enim currum uvis onuſtum ad calcatorium ferunt, ut literis AA. alii uvas in calcatorio conculcant, vinumque exprimunt, ut lit. BB.

Redeamus ad Tab. XXIX. figur. 1. in qua literæ B. C. D. tria alia magna loculamenta denotant. In eiſdem loculamentis, B. C. duæ ſunt laterales januæ, quæ in contiguam vineam ingreſſum præbent. D. loculamentum eſt, magnumque continet e porphyrite Mauſoleum, eiſdem vitibus, pampinis, uviſque, ac geniis, ut fornix, ornatum, cujus exemplar habes in Tabula XXXI. Mauſoleum hoc amplitudine ferè Mauſoleo B. Helenæ æquale eſt, quod in Eccleſia SS. Petri & Marcellini retulimus. Alia janua, per quam hodie in Eccleſiâ patet ingreſſus, in alio loculamento

TAB·XXIX

Ortographia interior

fig. 1


A

A

B

C

fig. 2



Ortographia exterior

fig. 3



fig. 4




mæ, interiorem porticum duplici columnarum ordine divisam habet, itaut retulimus. Alia janua, per quam hodie in Ecclesiã patet ingressus, in alio loculamento

A

B

B

A





TAB·XXXI



pag. 130.

fig 1

DOMINVS PACEM DAT

pag. 131.

fig 2

lamento excisa est, quod supradicto D. e conspectu opponitur. In loculis, sive loculamentorum fornicibus B. C. duo sunt Musiva opera rudi elaborata minervâ, quæ Constantini Magni tempora præseferunt, cùm anteriori ævo constructa affabrè delineata, ac depicta cernantur. Eorumdem Musivorum exempla vide sub Tabula XXXII. in qua figurâ 1. Christus exprimitur, qui stans, ac si benediceret, dextram elevat, sinistrâ verò explicat volumen, in quo hæc: *Dominus pacem dat*. Post quæ monogramma ☧ scilicet Christus notatur. Vir quidam est a sinistris Christum inclinatus aspiciens, ac manibus extremitatem voluminis tenens. Ex altera autem parte vir alius paulò erectior, & veluti admirabundus adstat, habetque in fimbriis pallii hoc monogramma I. Hinc inde a tergo horum virorum duo tuguriola, ac totidem attolluntur palmæ. At ante Domini pedes quatuor stant oves. Quid autem omnes hæ figuræ significent, aperiamus. Habemus in Evangelio Joannis cap. 14. Christum discipulos consolaturum dixisse: multas in domo Patris mansiones esse, seque rursus illos assumpturum; Thomæ autem Apostolo, se esse viam, veritatem, & vitam; Philippo verò, Patrem in se videri; Promisisse præterea, eosdem plane accepturos, quidquid suo petiissent nomine, seque eis a Patre alium missurum Paracletum; postremò pacem Discipulis sub hisce reliquisse verbis: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Pictor igitur, ut omnia hæc ob oculos poneret, neque hac de re ullus dubitationi locus relinqueretur, epigraphen addidit: *Dominus pacem dat*. Hinc certò colligere possumus, eos viros, qui Christo Domino ab utroque latere venerabundi assistunt, Thomam, & Philippum Apostolos repræsentare, oves verò reliquos Discipulos, seu quoscumque Fideles Christi verbum audientes. Tuguriola quoque promissas a Christo in domo Patris mansiones, tandemque geminas palmas Judææ symbolum esse; ni tamen a Musivario ad ornatum solummodo, & ad libitum potiùs, quàm ad rem ullam significandam expressas dicamus.

Secunda in figura ejusdem Tabulæ Christum videre est supra globum, videlicet Mundum, insidentem, ut Mundi ipsius Dominum decet; sinistrâ librum clausum tenet, dexteram autem ad virum quemdam quadantenus inclinatum extendit, veluti ipsum amplexatus, qui tamen actus dignosci minimè potest, cùm Viri illius pallium manus tegat. Hanc ego figuram alterius jam explicatæ complementum esse putarem, adeò ut in ea quidem Dominus pacem Apostolis ore relinquens exprimatur, in hac verò ipse actus amplexûs, quo nihil ad pacis collationem exprimendam est opportunius.

Tam ad dexteram, quam ad sinistram Jesu palmæ sunt, quas licèt ad Musivarii placitum depictas fuisse haud temerè credi valeat, ut suprà jam diximus: attamen si illis aliquam explicationem dare velimus, exponerem palmas has Judæam Regionem, in qua Christus Dominus vitam egit, innuere. Palma enim Judææ symbolum est, ut ex Vespasiani, & Titi Nummis videre est, ubi mulier quædam veluti lacrymans sub eadem arbore cum epigraphe *Judæa capta*, expressa cernitur. Ubi eruditissimus Antonius Augusti-

nus suis in Dialogis hanc arborem Judææ attribui solere ostendit, eo quia Phœniciæ, quæ palmis abundat, proxima est Judæa. De hisce palmis etiam disseruimus suprà, cùm de Tribuna S. Petri sermo fuit.

Hæc de ornamentis antiquo in hoc ædificio hodie extantibus. Superest modò, ut quæstionem etiam, quæ apud Antiquarios insurgit, referamus, videlicet: Templum ne hoc a Constantino constructum, an potius a superstitionis labe expiatum, mox in Mausoleum filiæ suæ conversum fuerit? Primam opinionem Nardinus, aliique recentiores Scriptores sequuntur. Secundam autem Andreas Fulvius, Marlianus, Lucius Faunus, & alii antiquiores, moventurque ad hoc asserendum ex Musivis indicatis operibus vindemias repræsentantibus, unde Templum hoc falso Numini Baccho dicatum fuisse arbitrantur. Alii verò e contra nihil hujusmodi Musiva opera eorum opinioni officere autumant, quia apud antiquos Christianos mos fuit hisce etiam emblematibus sua Templa, Ecclesiasque ornare, ut Bosius in sua Roma Subterranea ostendit, ejusdemque sectator Aringhius in Roma etiam Subterranea lib. 6. cap. 45. Tom. 2. ac nos in nostro opere de Veter. Monim. par. 1. cap. 27. exposuimus. In hac opinionum varietate quid sentiam si proferre opus sit, longè a recentiorum sententiis feror. Nam si ejusdem Templi structura, columnæ, capitula, & bases sedulò observentur, perelegans reperietur Architectura, & columnæ, aliaque, cùm marmore, tum symmetria uniformia, quæ ævo Constantini repugnant, eò quia eâ tempestate plurimum veteris decoris, ac venustatis Architecturæ perierat, ut fabricæ ipsius tempore excitatæ sat docent. Etenim si supramemoratam Sessorianam Basilicam ab ipso Constantino constructam inspiciamus, columnæ, capitula, & bases dispares sunt. Hujus causa fuit, quia Constantinus profana ædificia demolitus, ex eorum ruinis nova, veroque Deo dedicanda Templa excitavit. Id etiam in ædificatione triumphalis arcûs eidem Imperatori dicati, cujus elegantiores Statuæ, similiaque anaglyphica opera e Trajani arcu desumpta fuisse fama est, factâque inter ea collatione, temporis diversitas evidentissimè apparet, factum ostendimus in dicto nostro opere de Veter. Monim. parte 1. cap. 2.

Quod verò de Sessoriana Basilica, deque arcu dictum est, etiam dicendum videtur de Basilicis S. Pauli in via Ostiensi, & S. Laurentii in Agro Verano, quæ licèt hodie illæ non sint, quæ a Constantino ædificatæ fuère, attamen longè majorem ex eorundem cæmentis partem, in novam fabricam fuisse conversam credibile est, & columnas præcipuè, quæ inter se, ut in Sessoriana Basilica, dispares sunt.

Præterea a recentiorum sententia etiam maximè me avertit operum Musivorum diversitas. Ea enim, quæ in fornice conspiciuntur, pereleganti minervâ compacta sunt, alia verò, quæ in januarum lunulis extant, planè rudi opere sunt elaborata. Quapropter quàm apertissimè hæc operum Musivorum varietas temporum diversitatem ostendit. Puto igitur, Templum hoc, sive Baccho, sive alii falso Numini sacrum olim fuisse, postea verò a Constantino in Baptisterium, ac deinde in ipsius filiæ sepulchrum conversum.

Variæ

Variæ ſunt conjecturæ, quæ me ad hoc credendum inducunt. Prima eſt, quòd animadverto, non caſu, ſed in alicujus rei ſymbolum illas figuras in Tab. XXX. & XXXI. a Conſtructore delineatas fuiſſe. Nam ibi varii pueri alati cernuntur, qui nil aliud repræſentant, niſi Genios, pro Numinibus a cœca Gentilitate habitos, quorum Geniorum infinitus erat numerus, ut narravimus in noſtro opere de Veter. Monim. parte 1. cap. IX. ibique etiam oſtendimus (quod pro ſecunda conjectura ſit) Proceres, & Magnates, Templis ad recondenda cadavera uſos fuiſſe. Quare a veritate alienum eſſe minimè cenſeo, ſi hoc nobile Templum ab aliquo Imperatore in ſuo prædio conſtructum, locique Genio, ſcilicet Baccho dicatum fuiſſe, aſſeram, quia ibi fortaſſe vineæ erant, ſicque ad bonum vinum, bonamque colligendam vindemiam, Genii uvas, racemoſque, & ſimilia manu tenentes fuère expreſſi; quorum nonnulli, ut numeris 1. 2. 3. 4. 5. 6. e collo ſinguli pendulam habent bullam, quæ puerilis nobilitatis inſigne erat, ut docet Plinius libro 33. cap. 1. Quapropter mea confirmatur conjectura, quòd pro Proceribus, Magnatibuſque locus iſte conſtructus fuerit. Itidem in eadem porphyretica arca, ac in latere ſignato litt. A. B. C. obſervo, quod ibi tres ſunt ollæ, quæ nil aliud denotant, niſi ollas illas, quæ Oſſuariæ appellabantur, in quibus cineres, & cadaverum crematorum oſſa reponebantur. Mos iſte in aliqua magna arca varios defunctorum cineres, variis in vaſibus poſitos recondendi, ſatis elicitur e veteri Furiorum ſepulchro, in monte Tuſculano detecto anno 1665. quod ipſemet oculariter vidi, in quibus diverſæ erant arcæ, e lapide piperite conſtructæ, quas intra aliæ parvæ pariter erant. Has omnes deſcripſit, ac delineavit Kircherus in ſuo Latio cap. 3. Ex quo colligo, quod magna arca non unum, ſed plura ejuſdem familiæ cremata cadavera in ſe contineret. Habebat etiam idem Furiorum ſepulchrum in januæ ſummitate ipſius familiæ Genios expreſſos, ut laudatus Kircherus obſervavit, quæ omnia conjecturas noſtras firmant.

Non obſtat, quòd ab aliquo rerum antiquarum minùs erudito aſſeri valeat, in Tab. XXX. lit. C. D. nonnullas cerni cruces, nam huic objectioni reſponderi poſſe autumo, ſignum illud non crucem, ſed quatuor denotare elementa, quod apud Ægyptios frequens ſymbolum erat, ut oſtendit nuper citatus Kircherus in ſuo OEdipo Ægyptiaco To. 2. par. 2. c. 4. & alibi.

Præterea, ut a recentiorum ſententia declinem, moveor, quia Conſtantinus deceſſit anno 337. S. Conſtantia verò anno 354. & ſic poſt Patris obitum anno decimo ſeptimo, quo anno imperabat in Oriente Conſtantius. Unde inferre neceſſe eſt, prædictam arcam non ſolùm paulò ante Sanctæ Conſtantiæ obitum, ſed longè anteriùs fuiſſe ſculptam, nempe iis in ſæculis, in quibus bonæ florebant artes, ut ipſa cælatura demonſtrat.

Denique ſatis, ſuperque in mea firmor ſententia, dum reputo, omnino eundem eſſe opificem, tam Muſivi operis, quàm etiam arcæ marmoreæ, ut ex figurarum uniformitate deduco, qua de re cùm operis Muſivi, & arcæ imagines utpote elegantiores, alia tempora ſapiant, quàm Conſtantini,

neque

neque Templum, neque arca Auctorem Constantinum agnoscunt. Quibus omnibus addo, quod si eodem elaborata fuissent tempore, a veritate alienum videretur, Constantinum, dum Baptisterium ædificaret, eodem tempore pro filiæ suæ cadavere recondendo sarcophagum excitasse. Unde tam ipsum ædificium, quàm arcam haud unquam inter Magni Constantini Cæsaris opera reponendam esse necessariò fatendum est.

Hanc porphyreticam arcam Mausoleum illud esse puto, de quo in supradictis actis B. Agnetis a S. Ambrosio relatis fit mentio. In actis verò Ms. Cod. Vallic. quæ Aringhius refert in sua Roma Subterranea lib. 4. cap. 25. Tom. 2. hæc habentur: *Porrò B. Constantia in Sancta Virginitate permanens, transacto tempore hyemis, & inchoato tempore veris, hoc est XII. Kalendas Martias, paratas intravit ad nuptias; corpus verò ejus in pretioso labro porphyretico sepultum est, & ibidem ipsa a Patre, & fratribus Ecclesia columnis, & Musivo de lapidibus decorata, in ejus honorem fabricata est*. Quæ auctoritas mirum in modum conduceret ad probandum, nostrum Imperatorem eandem Ecclesiam, ac porphyreticum labrum construxisse, ex præcitatis verbis: *in ejus honorem fabricata est*. Sed Grammaticorum est usus vocibus tenaciter adhærere: at mitiùs cum Oratoribus Historicisque agendum; quandoque enim isti figuratè loquuntur, ut ostendimus in nostro opere de Vet. Monim. part. 1. cap. 27. ubi vox *fecit* frequens in Pontificali libro, pro ædificare semper accipienda minimè est; imò sæpe pro restaurare, vel dedicare intelligenda venit. In præsenti enim casu vocem *fabricata*, pro restaurata sumendam, arbitror. Quibus addenda quæ paulò inferius idem Aringhius habet, & judicio meo prætermitti minime debent, scilicet hanc arcam porphyreticam in Lateranum Paulo II. Summo Pontifice jubente fuisse deportatam, ut ejusdem Pontificis sepulturæ inserviret. Interim verò cùm inde extraheretur, in ipso itineris progressu, antequam ad destinatum locum pertingeret, Pontificem diem extremum clausisse, & Sixtum Papam IV. antiquitati Urbanarum rerum servandæ intentum, re infectâ, eandem in pristinum locum reducendam curasse, ut narrat Platina in ejusdem Pauli II. Vita, illamque esse, quæ hodie non absque ingenti omnium admiratione, cùm ob antiquitatis meritum, tum ob operis elegantiam visitur.

Quoniam istius Ecclesiæ nuper interiores descripsimus ornatus, sub silentio præterire minimè censemus alios amovibiles ornatus in eadem olim extantes, nempe quædam marmorea candelabra, quæ Martinellus in sua Roma Sacra eo loco, in quo S. Agnetis describit Ecclesiam, sex fuisse asserit, & hac in eadem Ecclesia extitisse; deinde ad dictam S. Agnetis Ecclesiam fuisse translata, quorum bases trigonales erant, in quibus aves sub facie humana, puerique uvas decerpentes, & arietum capita insculpta cernebantur. Hodie tamen ex his quinque tantùm extant; tria videlicet in Ecclesia S. Agnetis, quorum altitudo est palm. 9. cum tribus quartis, & duo in præfata S. Constantiæ. Horum altitudo est palm. 8. cum dimidio. De iisdem candelabris meminit etiam Philander in annot. ad Vitruvium

lib.

lib. 3. cap. 2. & cùm ob ornatum admodum pulchra sint, eorundem exemplar pono in dicta Tab. XXIX. sub fig. 3. & 4. Quare cùm fatendum sit, candelabra ista, ex anaglyphicis operibus, uniformitatem cum tota fabrica habere, fatendum etiam est, eodem tempore, & in ejusdem fabricæ usum fuisse constructa. Si igitur pro dictæ fabricæ usu elaborata esse concedantur, videtur etiam dicendum, Templum hoc fuisse non ad Baptisterii, in quo candelabra minimè requiruntur, sed ad Templi usum fabricatum. At veritatem hanc accuratiùs indagemus.

Narratum hucusque est de interioribus hujus Ecclesiæ partibus, atque ornatibus, modò superest pauca de exterioribus indicare; quamobrem extimam quoque partem delineandam curavimus, putantes antiquitus quartam fuisse januam in loculamento, ubi nunc prædicta arca est locata, Urbemque respicit. Hanc deducimus conjecturam ex eo quòd in exteriori ejusdem loculamenti parte ædificium quoddam quadratum attollitur, quod fig. 2. indicatur lit. A. idemque in januæ tympano superinstructum existimabamus. At aliter se res habet, nam ne minimum quidem januæ vestigium invenimus; imò novum, quod modò ferè dirutum est, muro antiquo, veluti tunica, superædificatum fuisse observavimus. Id autem qua de causa factum fuerit, indagare haud potuimus, cùm veterem murum nullâ reparatione indigere exploraverimus.

Ulteriùs Lucius Faunus in suis Antiquitatibus Urbis, structuram Ecclesiæ describens, præter vigintiquatuor columnas, interiorem porticum, sive navem formantes, alias exteriores fuisse numero quadraginta narrat Corinthii ordinis, quæ æqualiter dispositæ circumabientem porticum sustentabant, ac unicam tantùm suo tempore erectam stetisse, cùm aliarum, præter vestigia, nihil reliquum esset.

Hæc autem exterior porticus meam etiam firmat conjecturam, scilicet quòd ædificium hoc alicui falso Numini dicatum esset, proptereaque repugnat, quòd pro Baptisterio constructum fuerit, cùm nullum Baptisterium, similem porticum habens, descriptum inveniam.

Nolo hic pro Dissertationis coronide sub silentio præterire, me omnem in indagando adhibuisse diligentiam, ut si fieri valeret, ex figulinis deducerem tempus, quo hoc nostrum ædificium esset constructum, propterea ad idem Templum me contuli, tectumque ascendi, ad diligenter omnes perquirendas tegulas, quæ antiquissimæ sunt, si in illis aliquod literarum adesset emblema, ex quo optatum tempus arguere valerem. Non unum, sed plura adinveni emblemata, sed malis avibus, cùm nullam ex eisdem probabilem conjecturam deducere potuerim. Nihilominus ea, quæ illinc desumpsi, hîc per extensum subjicio, licèt literæ in gyrum, sive rotæ formam sint dispositæ; abbreviaturasque supplere tentavi. Reliqua, si cupis, benigne Lector, tuæ curiositati, ac eruditioni relinquo.

OP DOL EX PR DOM AVG N FIGLINA GENIANAS.

Quas sic lego: *Opus doliare ex prædiis Domini Augusti nostri figlinas Genianas*; deest tamen litera S. in extremo vocis *figlinas* a temporis edacitate corrosa; in medio circuli visitur caput galeatum.

In

In ſecunda tegula infraſcriptæ literæ in orbicularem formam, ut dixi, expreſsæ cernuntur, nempe:

OP DOLI EX PR DOMINI N AVG EX FIGLIN FAVRIANIS.

In medio cernitur vir quidam dexterâ veluti baculum tenens. Licèt hoc emblema explicatione indigere non videatur; nihilominus ad omne tollendum dubium ſic literas illas legendas eſse puto.

Opus doliare ex prædiis Domini noſtri Auguſti ex figlinis Favrianis.

Tertia tegula habet.

OPVS DOLIARE EX PRÆDIS AVGG NN FIG C TERTIN.

Sic emblema iſtud legendum puto: *Opus doliare ex prædiis Auguſtorum noſtrorum figulina Caii Tertini.* Hoc Tertini nomen expreſsum reperio in inſcriptione a Grutero relata pagina DLXIII. num. 7. quam Lugduni in Xenodochio S.Laurentii idem Gruterus extare aſserit, & ſic ſe habet.

ΧΑΙΡΕ
ΝΙΚΑCΙ

MEMORIAE. PERENNI. QVIETI. AETERNAE
TERTINIAE. VICTORINAE FAEMINAE
RARISSIMAE. STOLATAE QVONDAM
SPIRITO. INCOMPARABILI. TERTINIVS
SEVERIANVS. LEG. II. AVG. CVM. PATERNIA
VICTORINA. ET. TERTINIA. TERTINA
FILIS P. C. ET. S. AS. D.

ΥΓΕΙΑΙΝΕ
ΝΙΚΑCΙ

Alia tegula ſequens continet emblema, quod ſi totum legi potuiſset, utique ab illo aliquam notitiam decerpſiſsem, nihilominus ea, quæ viſuntur, ſub oculos pono.

OPVS DOLIA . . . . . FAVSTINÆ AVG . . . . VLP . . . .

Duas fuiſse Fauſtinas in hiſtoriis reperio, nempe, Majorem, & Minorem, illam Antonini Pii uxorem, iſtam ejus filiam.

Sequitur alia tegula cum hac epigraphe.

FL. CORINTHI EX PRAED. DN IMP.

Scilicet: *Flavii Corinthi ex prædiis Domini noſtri Imperatoris.*

In medio eſt Cervus gradiens.

Similis alia tegula eſt cum mutila inſcriptione, videlicet:

OPVS DOLIARE EX PRAEDIS DOMINI N. AVG.

Opus doliare ex prædiis Domini noſtri Auguſti.

Conſideratione dignum videtur ſequens emblema.

COSS AMB SVLP.

Quod ſic explico: *Conſulibus ambobus Sulpitiis.* Quando iſti ambo Conſules fuerint, in faſtis minimè reperio. Quare dubium hoc aliis examinandum relinquo.

Duos lateres ſimilibus Inſcriptionibus notatos obſervavi in Cochleæ fornice, per quam ad tectum aſcenditur. Primus later ſequentes continet literas, veluti in ſemicirculo inſcriptas, nempe:

DOM LVCI DO.

Quas ſic explico: *Domitiæ Lucillæ doliare.* Quænam fuerit Domitia hæc, ignoro; in medio viſitur lepus currens.

Se-

Secundus habet.

VALEAT QVI FECIT
CN DOM.

Scilicet: *Valeat qui fecit Cneus Domitius*. OEdipus non sum, aliis divinandum relinquo Domitium istum.

Omnes istæ tegulæ tempora Constantino anteriora sapiunt, at cùm amovibiles sint, objici valet, in tecti refectionibus ex aliis locis desumptas, isthic fuisse positas, ideo examen penès Lectorem esto.

CAPUT XI.

De Ecclesia Sanctorum quatuor Coronatorum.

PRæter suprà relatas Ecclesias, quarum constructione, atque ornatu pietas, & magnificentia Constantini Imperatoris enituit, quarumque in Libro Pontificali, & apud alios Auctores certa mentio est, aliæ quædam sunt in hac eadem Urbe, de quibus, vel antiqua traditio, vel quædam subobscura indicia supersunt; ideo earum notitias, qualescumque sint, sub oculis pono, fidem penès Pancirolum, Ecclesiarum Urbis historiam describentem, relinquens.

Inter Ecclesias, de quibus dubitatur, an a piissimo Imperatore constructæ fuerint, meritò hæc Sanctorum quatuor Coronatorum venit annumeranda, cùm laudatus Pancirolus in suis Thesauris absconditis Romanæ Civitatis Reg. 2. Eccles. 22. hanc Ecclesiam a Constantino ædificatam, sive potiùs restitutam fuisse testetur. Præter hanc notitiam, aliam minimè adinveni.

CAPUT XII.

De Ecclesia Sanctorum duodecim Apostolorum.

EX quadam Inscriptione, olim in hac Ecclesia extante, Auctor est idem Pancirolus in Reg. 7. Eccles. 5. istud ædificium a Magno Constantino constructum apparuisse; at quæ in Inscriptione continebantur, minimè refert; & Hadrianus Papa in Epist. ad Carolum Magnum de Imaginibus, hanc Basilicam a Pelagio Summo Pontifice inceptam, & a Joanne ejus Successore perfectam fuisse tradit. Quapropter cùm historia in obscuro posita sit, aliis eam e tenebris eruendi curam relinquimus.

CAPVT XIII.

De Basilica S. Sabinæ.

AN a nostro Imperatore constructa hæc fuerit Ecclesia, dubium etiam redditur. Pancirolus enim in Reg. 9. Eccles. 8. opinionem affirmativam tuetur; at si benè Inscriptionem, palmaribus literis Musivo opere expressis, in eadem Basilica adhuc extantem, examinemus, a quodam Petro Urbis Presbytero, qui tempore Cœlestini I. vixit, nempe circa annum Christi 426. ædificatam fuisse dicendum est, quod & verissimum esse censeo, ut ostendi in opere de Vet. Monim. parte 1. cap. 21.

CAPVT XIV.

De Ecclesia S. Laurentii in Pane & Perna.

ECclesiis superioribus, de quarum Fundatore dubitatur, hanc etiam adjicit Pancirolus in Reg. 2. Eccles. 48. qui piè credit, eam a Magno Constantino ædificatam supra memoriam Martyrii ejusdem Sancti, quæ postea Cappella Furni denominata fuit. Cur autem in Pane & Perna fuerit appellata, si verba sint, uti sonant, interpretanda, utraque vox Latinum callenti sermonem nullatenus est ignota, panis præcipuè, perna verò eam Suis partem significat, quæ coxa dicitur, & tum hanc denominationem accipit, cùm a Sue dissecta est, ac ne tabescat, atque esui aptior sit, conditur sale. Hæc autem denominatio, cùm ejus origo ignoretur, dura videri potest. Ideò Pancirolus ait, nonnullos existimasse, non Panis Pernæ, sed Panisperna ex cujusdam Familiæ cognomine vocitatam fuisse. In Raspono verò lib. 3. cap. 4. suæ Lateranensis Basilicæ vocatur Panis, & Pernæ.

Porrò Frater Franciscus Gonzaga in Historia de origine Religionis Franciscanæ part. 2. in Provincia Romanâ Monast. 2. ejus denominationis originem sic exponit: *In altera Exquilini, Bifidatique Montis parte, qui non ipsam naturam, sed Tullum Hostilium Romanorum Regem (si Tito Livio auris accommodanda veniat) sui auctorem habuit, vbi Olympiades Thermæ, quæ & ab aliquibus Novatianæ dictæ sunt, Apollinisque Templum, ac Decii Imperatoris Palatium præextiterant, strenuusque Christi Athleta Laurentius, in craticula assatus, glorioso Martyrio coronatus fuit, Ecclesia quædam in ejusdem Sancti Martyris honorem a Fidelibus Christianis constructa est. Quæ tandem a Longobardis postea ad terram dejecta, a pientissimo quodam Santulo Hursino Presbytero, sub eodem prorsus titulo, reædificata extitit, cui & Panis Pernæ cognomen a sequenti eventu evenit. Laborabat siquidem, dum forte fortunà ædificaretur, Vrbs Roma maximà Panis penurià, cùmque, Latomis, cæterisque Cæmentariis conquerentibus, ac cæpti operis desertionem, nisi sibi de Pane provideretur, minitantibus, anxius Presbyter cunctas domos lustraret, in cujusdam paupercule mulieris, nomine Pernæ, furnum, Ecclesiæ contiguum, quem adhuc sub eadem cernere licet, incidit, ibique derelictum, magnæque quantitatis, atque excellentissimæ albedinis Panem, ad nullum tamen spectantem, invenit. Quem tamen acceptum, atque in partes divisum, operariis distribuit. Quibus omnibus optime refectis, tantum residui fuit, ut ad aliquot dies illis sufficerit. Quod miraculo (ut par erat) tribuens, ipse Santulus voluit, ut præfata Ecclesia D. Laurentii Panis Pernæ in posterum appellitaretur.* Hæc Gonzaga. Nec aspernanda est Martinelli conjectura in sua *Roma Ricercata*; qui hanc *Panis Perna* denominationem derivatam fuisse censet a voce *Perpenna*, seu *Perpena*, quæ Nobilis Familiæ Romanæ agnomen erat, ut in variis Inscriptionibus apud Gruterum, & alios videre est. Quare aut locus ab ipsa Familia, aut ipsa Ecclesia, a proprio ex eadem Familia fundatore, denominationem desumpsit, ut videtur innuere particula *in*, scilicet *in Perpenna*, nunc *Pane*

Per-

Perna; primam enim syllabam *per* in *pan*, ex aliquo vulgi errore, corruptam fuisse, nonnullis exemplis demonstrare hic nititur. Insuper in quodam antiquissimo Ordine Romano Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ de Rotunda de hac eadem Urbe, idem locus de Palyperno denominatus legitur. Has ego narratiunculas in gratiam Lectoris apposui, ut eas pro libito accipiat.

CAPUT XV.

De Ecclesiis S. Mariæ in Ara Cœli: Sancti Chrysogoni trans Tyberim: S. Petri in Monte Aureo: S. Sebastiani: & S. Marcelli.

ECclesiæ S. Mariæ in Ara Coeli, S. Chrysogoni trans Tyberim, S. Petri in Monte aureo, S. Sebastiani, & S. Marcelli inter Ecclesias a sæpe laudato Magno Constantino hac in alma Urbe constructas annumerantur, a Tobia Corona in suo Tractatu de Sacris Templis parte 1. capite 23. Italico idiomate descripto. At quia nullam adducit auctoritatem, fidem propterea penès ipsum Auctorem relinqui volo.

CAPUT XVI.

De Sacrario Vaticanæ Basilicæ.

ULtra superiùs relata Ædificia a nostro Cæsare constructa, Turrigius in suis Cryptis Vaticanis pag. 46. & 47. Templum numerat rotundum, quod nunc pro Sacrario Vaticanæ Basilicæ inservit, & antiquitùs Apollinis fuit Templum: postea a Paulo I. Sanctissimo Pontifice in divini cultûs honorem consecratum, ut narravimus suprà in descriptione ejusdem Vaticanæ Basilicæ sub num. 155. & lit. d. Deinde idem Turrigius pag. 179. in dubium revocat, Templum ne illud revera falso huic Numini dicatum fuerit, an aliud eidem proximum? Quomodocumque res se habeat pag. 185. asserit, in Ms. quodam in Archivo ejusdem Basilicæ asservato hoc notatum reperiri; *Nunc Sacristia Templum Rotundum fuit a Magno Constantino extructum, in quo B. Gregorius Papa Primus recondidit brachium S. Andreæ Apostoli, &c.* Quidquid verò de hac re sit, aliis illam e tenebris eruendam relinquo.

CAPUT XVII.

De Basilica Sanctorum Petri & Pauli, ac Joannis Baptistæ in Civitate Ostiensi.

TEmporis edacitatem omnia consumere nulla res magis testatur, quàm inclyta, atque antiquissima Civitas Ostiensis ad Tyberis ostia sita, de qua sic Festus: *Ostiam Urbem ad exitum Tyberis in mare fluentis, Ancus Martius Rex condidisse, & fœmineo appellasse vocabulo fertur.* De hac item Sextus Aurelius ita fatur: *Ancus Martius Rex Ostiam Coloniam maritimis commeatibus opportunam, in Ostia Tyberis deduxit.* Et accuratiùs Isidorus lib. 5. cap. 1. originum, ejus fundatorem, & usum ita describit: *Ancus Martius Urbem in exitu Tyberis condidit, quæ & peregrinas merces exciperet, & hostem terreret, quam ab ipso situ Ostiam appellavit.* De hac quoque meminit Ovidius ubi ait:

Ostia contigerat qua se Tyberinus in alvum
Dividit, & campo liberiore natat.

Civitas hæc duodecim millia passuum in Meridiem ab Urbe distans a Saracenis destructa, nunc penè ruinis sepulta jacet, habitatoribusque viduata remanet propter cœli inclementiam, cùm omnes, licèt numero pauci essent, aliò commigraverint, itaut ab antiqua eorum Civitate ferè milliario remoti sint. In hac ergo Romani Imperii celebri Civitate Religiosissimus Imperator Constantinus pietatis suæ testimonia reliquit, ibidem Ecclesiam ædificans, ut sequentibus verbis in Pontificali libro, Beatique Sylvestri Vita narratur: *Eodem tempore fecit Basilicam Constantinus, ex suggestione Sylvestri, in Civitate Hostiensi, juxta portum Urbis Romæ, BB. Apostolorum Petri & Pauli, & S. Joannis Baptistæ.* Non leve autem hic posset oriri dubium, videlicet, Constantinus ne, an S. Gallicanus, qui sub Constantino vixit, Basilicæ hujus fuerit Constructor: ita enim in actis Martyrii ipsius Sancti apud Mombritium legitur: *Hic primus in Ostiensi Urbe instruxit Ecclesiam, & dicavit officia Clericorum.* Unde alterutrum dicendum videtur, nempe, vel quòd Auctor libri Pontificalis omnia Sacra Ædificia, tempore Constantini constructa, ipsi Constantino, non autem propriis Ædificatoribus, attribuerit, vel quòd duæ fuerint Ecclesiæ, una quidem a Constantino, altera verò a Gallicano constructa. Cui quidem postremæ opinioni libens subscribo, cùm aliam jam tum fuisse Ecclesiam, quando Constantinus suam ædificavit, minimè implicet. Hac in eadem Urbe S. Monicam obiisse S. Augustinus Confessionum lib. 9. cap. 11. his verbis testatur: *Audivi etiam postea, quòd jam cùm Ostiis essemus cum quibusdam amicis meis maternà fiduciâ colloquebatur* (Monica scilicet) *quodam die de contemptu vitæ hujus, & bono mortis, ubi ipse non aderam; illisque stupentibus virtutem fœminæ, quam tu dederas ei, quærentibusque, utrum non formidaret tam longè a sua Civitate corpus relinquere? Nihil, inquit, longè est Deo, neque timendum est, ne ille non agnoscat in fine sæculi, ut me resuscitet. Ergo die nono ægritudinis suæ, quinquagesimo & sexto ætatis suæ, & tricesimo & tertio ætatis meæ anima illa religiosa, & pia corpore soluta est.*

In feralibus autem totius Urbis ruinis loci quoque memoria periisset, ubi sacrum prædictæ Beatæ Monicæ jacebat corpus, nisi ipsa in somniis cuidam, nomine Andreæ, retulisset, ut Bollandus in actis Sanctorum ad diem quartam Maii fusè demonstrat. Cæterùm de hac eadem Ecclesia nil aliud referre valemus, cùm inter tot, ac tam graves hujusmodi Urbis casus, ejus penitus interciderit memoria.

Quibus autem Donariis Augustus noster hanc ditaverit Ecclesiam, sic in dicta B. Sylvestri Vita narratur: *Eodem tempore fecit Basilicam Constantinus ex suggestione Sylvestri in Civitate Hostiensi, juxta portum Urbis Romæ, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Sancti Joannis Baptistæ, ubi & donum obtulit, patenam argenteam pensantem libras triginta, calices argenteos decem pensantes libras quinque. Amas argenteas duas pensantes singulas libras decem. Phara argentea triginta pensantia singula libras quinque. Scyphos argenteos duos pensantes singulos libras novem. Patenam*

nam argenteam chrismalem singularem pensantem libras decem, pelvim ex argento ad Baptismum pensantem libras viginti. Insulam, quæ dicitur Assis in territorio Portuensi, & Hostias possessiones omnes maritimas usque ad digitum Solis præstantem solidos trecentos. Possessionem Græcorum in Territorio Ardeatino præstantem solidos octuaginta. Possessio Quiriti territorio Hostiensi præstans solidos trecentos, & undecim. Possessio Balneolum territorio Hostiensi præstans solidos quadraginta duos. Possessio Nunsula præstans solidos triginta.

CAPVT XVIII.

De Ecclesia S. Joannis Baptistæ Albanensis Civitatis.

PArem fortunam penè sortita est Albanensis Civitas, ac Ostia, cùm Alexandri III. temporibus ferè excidium passa fuerit a factiosis, qui impii Ænobarbi fovebant partes: deinde ab Honorio III. ex nobili, eximiaque Sabella Gente fuit refecta. In ea igitur antiquissima Civitate idem Augustus Ecclesiam ædificavit, ut in supracitato libro Pontificali, ac B.Sylvestri Vita hujusmodi verbis describitur: *Eodem tempore fecit Basilicam Augustus Constantinus in Civitate Albanensi, videlicet S. Joannis Baptistæ.* Qualis autem ejus structura fuerit, referre minimè valemus, cùm illius destituamur historiâ, nullaque omnino veteris hujus Ecclesiæ vestigia supersint; nam ea, quæ hoc ævo cernitur Ecclesia, magnam minimè redolet antiquitatem, ut ipsi muri, totaque ædificii architectura testantur; cùm ii ex topho sint, istaque solitis tribus porticibus, seu navibus careat; ideò a cæteris verè antiquis Ecclesiis diversissima est. Insuper ejusdem denominatio, quæ D.Pancratii est, longè distat ab antiqua, quæ S. Joannis Baptistæ erat. Igitur cùm de antiqua illa Constantiniana, præter memoriam, nil aliud supersit, ideo donaria ab eodem Cæsare huic Ecclesiæ facta, narrare contenti sumus, quæ in eodem Pontificali libro, ac citata B.Sylvestri Vita sic referuntur: *Patenam argenteam pensantem libras triginta. Scyphum argenteum deauratum pensantem libras duodecim, calices ministeriales decem pensantes singulas libras tres. Amas argenteas duas pensantes singulas libras viginti. Possessio Laurentina cum adjacentibus campestribus præstans solidos quadraginta. Possessio Molas præstans solidos quinquaginta. Possessio Albanensis cum Lacu Albanensi præstans solidos ducentos, & quinquaginta. Massam Muci præstantem solidos centum septuaginta. Omnia sceneca deserta, vel domos intra Urbem, Albanensi Sanctæ Ecclesiæ donum obtulit Augustus Constantinus. Possessiones Horti præstantes solidos viginti. Possesio Tyberii Cæsaris præstans solidos octuaginta. Possesio Mauritanas præstans solidos quinquaginta. Massam Nemus præstantem solidos ducentos & octuaginta. Possesio Armatiani in Territorio Carano præstans solidos centum & quinquaginta. Possesionem Statilianam præstantem solidos septuaginta. Possesionem Medianę præstantem solidos triginta.*

CA-

CAPUT XIX.

De Ecclesia Apostolorum in Urbe Capua, quæ Constantiniana denominata fuit.

EAdem prorsus, immo fortasse graviora infortunia, ac supramemorata Ostiensis, & Albanensis Urbes, Capuana Civitas passa fuit; nam Gensericus Vandalorum Rex anno 455. eam cæpit, atque demolivit. Eâ deinde ab Ostrogothis occupatâ, atque his pulsis a Narsete restauratâ, iterum Saraceni vastaverunt. Tandem a Longobardis sub triginta Ducibus delata anno 840. & in Monte Trifico, ab eo loco duobus millibus passuum, in quo sita erat, a Landulpho Seniore stirpis Longobardicæ, veterisque Capuæ Gastaldo, & Comite, sub nomine Sicopolis ædificata, nec multò post, ob multa commorantium facinora, igni tradita est; quam ut ab ea calamitate liberarent, Lando Comes, Landulphus Episcopus, cæterique fratres Landulphi filii, ut Erchempertus scribit, novam Capuam, quæ hac tempestate extat, anno 856. condiderunt. Quare de antiqua Capua cùm nihil aliud præter memoriam supersit, propterea de magnifica Basilica a nostro Imperatore constructa, quæ Constantiniana appellata fuit, id solùm, quod in sæpecitato Pontificali libro, ac B. Sylvestri Vita scriptum invenimus, referre valemus, nempe: *Eodem tempore fecit Beatissimus Constantinus Augustus intra Urbem Capuam Basilicam Apostolorum, quam cognominavit Constantinianam*. Paulò post donaria eidem Basilicæ ab eodem Imperatore attributa, recensentur, videlicet: *Patenas argenteas duas pensan. singulas libras viginti. Scyphos argenteos tres pensantes singulos libras octo. Calices ministeriales 15. pensantes singuli libras duas. Amas argenteas duas pensantes singulæ libras 10. Candelabra ærea in pedibus denis pensantia singula libras 180. Pharacanthara ex argento triginta, & donum, quod obtulit, possessionem in territorio Menterno. Massam Statilianam præstantem solidos trecentos & quindecim. Possessionem in territorio Cajetano præstantem solidos octuaginta quinque. Possessionem Paternum territorio Suessano præstantem solidos centum quinquaginta. Possessionem ad centum territorio Capuano præstantem solidos sexaginta. Possessionem in eodem territorio Suessano Gauronicam præstantem solidos quadraginta. Possessionem Leonis præstantem solidos quadraginta.*

CAPUT XX.

De Basilica Apostolorum, & Martyrum, seu S. Restitutæ Neapoli.

NEapolis totius Italiæ clarissima Civitas, Neapolitanique Regni Caput, Civium multitudine, Nobilitateque inclytâ facilè omnes alias superans Civitates, Emporium est celeberrimum, ac Provinciæ Terræ Laboris primaria, quæ ob cæli temperiem, loci amoenitatem, ædificiorumque pulchritudinem, non immeritò Italiæ Paradisus, naturæque miraculum appellari valet. Olim Parthenopea audit, variis deinde temporum, casuumque vicissitudinibus succubuit, ut plures antiquorum ædificiorum reliquiæ, epitaphia, Statuæ, cyppi, columnæ,

mnæ, aræ, & marmora miris pretiosa sculpturis demonstrant. Nonnullorum verò ædificiorum tantùm superest memoria, vel eorundem facies adeò est immutata, ut propriis in locis ipsa quæsita non inveniantur ædificia. Pro certo tamen habemus, Christianissimum Imperatorem eandem hanc Urbem insigni structurâ celeberrimam reddidisse, ut e libro Pontificali, ac sæpecitata B. Sylvestri Vita sequentibus verbis docemur: *Eodem tempore fecit Basilicam Beatissimus Constantinus Augustus in Vrbe Neapolitana, cui obtulit & dona hæc: Patenas argenteas duas pensan. singulas libras viginti quinque. Scyphos argenteos duos pensan. singulos libras decem. Calices ministeriales* 15. *pensan. singulos libras duas. Amas argenteas* 2. *pensan. singulas libras quindecim. Phara argentea* 20. *pensan. singula libras octo. Phara ærea* 20. *pensan. singula libras decem. Fecit autem & formam Aquæductùs per milliaria octo; fecit verò & forum in eadem Civitate, & donum obtulit hoc: Possessionem Machari præstantem solidos centum quinquaginta; possessionem Cymbrianam præstantem solidos centum & quinque; possessionem Hyrclinam præstantem solidos* 108. *possessionem Affilas præstantem solidos* 150. *possessionem Ninfulas præstantem solidos* 90. *Possessionem Insulam cum Castro præstantem solidos* 80. In cujus autem Sancti honorem hæc Basilica fuerit dicata, ne ullum quidem ibidem legitur verbum; quare aliis ex Auctoribus est expiscandum. Quamplurimis verò omissis, unicum hunc tantùm sat referre ducimus tamquam postremum, omniumque foecundiorem. Is est Bartholomæus Chioccarellus, qui anno 1643. de Episcopis Neapolitanis luculentum edidit tractatum, ibique omnium, qui de hujusce Basilicæ denominatione tractârunt, refert auctoritates, quarum duas tantùm, utpote Scriptorum cæteris antiquiorum, recensere non inutile arbitramur, ut cui adhærere satiùs existimet, quisque deligat.

Prima Adonis Episcopi Viennensis est, qui floruit anno 879. Is enim in suo opere de sex Mundi ætatibus in sexta ætate, Constantinum Neapoli Ecclesiam miro opere in Sanctorum Apostolorum, & Martyrum honorem exornâsse narrat.

Secunda verò auctoritas est Joannis Diaconi Neapolitani, qui anno 870. floruit; is in suo Manuscripto Chronico, quod non solùm Neapoli, verùm etiam in inclyta Vaticana Bibliotheca asservatur, ubi de Zosimo Episcopo agit, de Constantino Imperatore sic fatur: *Quique inter alias constructas Ecclesias etiam in Vrbe Neapoli Basilicam fecit, asserentibus multis, quod Sancta Restituta fuisset.*

Ulteriùs dubitandi etiam remanet ansa; Constantinus ne ipse, an Helena ejus Mater, hanc construxerit Ecclesiam, cùm in ejusdem Altari aureis literis, Musivo opere expressis, hæc habeantur.

Lux Deus immensa postquam descendit ad ima
Annis trecentis completis, atque peractis,
Nobilis hoc Templum Sancta construxit Helena,
Hìc benè quanta datur venia vix quisque loquatur,
Sylvestro grato Papa donante Beato,
Annis datur Clerus jam instaurator Parthenopensis
Mille trecentenis undenis, bisque retensis.

Quâ

Quâ Inſcriptione clarè docemur, Helenam Eccleſiam hanc excitaſse, quod, ut credibile eſt, contigit anno 324. quo ipſo Romam venit, ubi ſimul cum Conſtantino Romanæ Synodo interfuit, vel anno 326. cùm Româ diſcedens Hieroſolymam petiit; tunc enim illam veniſse Neapolim traditio eſt,& Inſcriptiones a Neapolitanis eo tempore appoſitæ in tabulis marmoreis adhuc extantibus id teſtantur; quarum altera in Montaneæ ſedili ſic ſe habet.

Piiſſimæ, ac Venerabili Dominæ
noſtræ Helenæ Auguſtæ Matri Domini noſtri Victoris ſemper Auguſti Conſtantini, &
Aviæ Dominorum noſtrorum Beatiſſimorum Cæſarum
Ordo, & Populus Neapolitanus.

Altera verò apud Jeſuitarum Collegium ſic.

Piiſſimæ, ac Clementiſſimæ
Dominæ noſtræ Auguſtæ
Helenæ Matri
Domini noſtri Victoris
Semper Auguſti Conſtantini, & Aviæ
Dominorum noſtrorum
Cæſarum Beatorum
Uxori Divi Conſtantini
Ordo Neapolitanus,
& Populus.

At cùm ex graviſſimorum Scriptorum auctoritate Conſtantinum ejus Eccleſiæ Fundatorem accipiamus,Helenæ verò in Neapolitanam Urbem adventus apud probatos Scriptores minimè inveniatur, dicendum eſt, vel Matris, & Filii nomen aliquando confundi ſolitum, vel Inſcriptionem apertum errorem continere, & præcipuè, cùm eo tempore, quo Eccleſia iſta erecta eſt, appoſita nullatenus fuerit, ſed ferè mille annis tranſactis, & fortè ab antiquarum rerum imperito exarata.

His ſubdit inde præcitatus eruditiſſimus Chioccarellus, temerè vulgò jactari ſeptem Neapoli erectas a Conſtantino Eccleſias fuiſse, nempe Sancti Georgii ad Forum, S.Januarii ad Diaconiam, SS. Joannis & Pauli, S. Andreæ ad Nidum, S. Mariæ Rotundæ, & S. Mariæ ad Coſmedin. Id autem verum eſse nequaquam poteſt, cùm unicam tantùm Eccleſiam Neapoli Conſtantinum fundâſse, dubium non ſit, & quarumdam ex illis ſeptem Baſilicis, certus alius Fundator poſt ejuſdem Conſtantini tempora, habeatur. Hic brevi a nobis tradita ea ſunt, quæ ex citato Chioccarello de hac Baſilica Conſtantiniana expiſcavimus. Alia plura deſiderantes ad ipſos Cives, tamquam de re propria inſtructiores, remittimus.

CAPUT XXI.

De Eccleſia B. Mariæ in Gallia.

Pietatem, Religionem, atque Auguſtam magnificentiam non ſolùm in hac noſtra Italia, verùm etiam in Gallia Magnus Conſtantinus oſtendit. Hujus rei teſtem locupletem Gregorium Turonenſem habemus, qui de Gloria Martyrum, & Confeſsorum lib. 1. cap. 9. ſic fatur: *Maria Virgo glorioſa Genitrix Chriſti, ut ante partum, ita Virgo creditur & poſt partum, quæ, ut ſuprà diximus, Angelicis choris canentibus, in Paradiſum, Domino præcedente, translata eſt. Cujus Baſilica ab Imperatore Conſtantino admirabili opere fabricata renidet; ad quam adductæ columnæ, cùm præ magnitudine levari non*

non possent, eò quòd esset circuitus earum sedecim pedum, ac diebus singulis casso labore fatigarentur, apparuit artifici Sancta Virgo per visum, dicens: Noli mœstus esse; ego enim tibi ostendam qualiter hæ queant elevari columnæ, & ostendit ei, quæ aptarentur machinæ, qualiter suspenderentur trocleæ, atque funes extenderentur, illud addens: Conjunge tecum tres pueros de scholis, quorum hoc adjutorio possis implere. *Quod cùm ille evigilans, quæ præcepta fuerant, coaptàsset, vocatis tribus pueris ab scholis erexit summà velocitate columnas. Præstitum est popolis spectare miraculum admirandum, ut quod multitudo virorum fortium levare nequiverat, tres puerili absque virtute perfecti operis sublevarent. Hujus festivitas sacra mediante mense undecimo celebratur. Nam in Oratorio Marciacensis domus, Arverni territorii, ejus reliquiæ continentur.* Arverni nomen est Populi, sive Regionis, cujus Caput est Claromons Urbs in Galliis celeberrima.

CAPUT XXII.

De Ecclesia S. Mariæ in Vulturella, sive Mentorella, Tyburtinæ Diœceseos.

PRo Sacrarum Ædium, a nostro Christianissimo Imperatore in Occidente constructarum, coronide hic Ecclesiam S. Mariæ in Vulturella, aliàs *della Mentorella*, Tyburtinæ Diœceseos annectimus; licèt de certa ejus fundatione non constet, nec apud Auctores, quos viderim, ulla Constantini Magni hac de re mentio habeatur; attamen Rev. P. Athanasius Kircherus a Constantino constructam asseruit, peculiaremque librum composuit, cui titulus: *Historia Eustachio-Mariana*. Quapropter, ut nostræ consuetudinis est, priùs, quæ a Kirchero narrata sunt, brevi referemus, mox quid ipsi hac de re sentiamus, explicare tentabimus.

Primum igitur, ac præcipuum argumentum Kircheri desumptum est ex antiqua quadam in illis partibus, ubi Ecclesia sita est, traditione, fuisse scilicet hoc Ædificium a Constantino Magno constructum. Hanc historiam in scriptis redegit quidam Factorius, Poli Oppidi, haud longè ab eadem Ecclesia distantis, Archipresbyter. Quod scripsit hic Italico idiomate Latinitate a nobis donatum sic sonat: *In hoc loco certa traditio est, admirabilem illam inter cervi cornua Salvatoris apparitionem Sancto Eustachio venanti accidisse. Quare pro certo etiam habetur, quòd in tanti facti, ac portentosi eventus memoriam gloriosissimus Imperator Constantinus ædificàrit Ecclesiam hodie* de Mentorella *appellatam, illamque in honorem Genitricis Salvatoris, Sanctissimus Pontifex Sylvester primus dedicaverit.*

Hanc Factorii narrationem prolixiùs prosequitur, & oratorio stylo Kircherus amplificat, proque ea confirmanda conjecturam educit ex quadam prægrandi lignea tabula, quæ in eadem Ecclesia cernitur, præter alias figuras amplissimè insculptas, nonnullas habens imagines, nempe S. Sylvestrum cum Diacono, Subdiacono, atque Acolytho, seu aliis Ministris, veluti Altare consecrantem. In altera verò parte Cervi inter cornua Salvatorem expressum referebat. Nimis autem ab instituto nostro discedere cogeremur, si tam diffusam Kircheri de hujus-

hujusmodi tabulæ narrationem, explicationemque prosequeremur, satis, ac satius sit Inscriptionem ejusdem Tabulæ referre, quæ sic se habet.

MENO CE
XXIIII D
EDICATI
O BEATE MAR
IE X VVL VILLA.

Hanc ita Kircherus interpretatur. *Mense Octobris die 24. dedicatio Beatæ Mariæ in Vult. villà*. Nos autem sic: MILLENO CENTENO XXIIII. DEDICATIO BEATAE MARIAE IN VVLTVRIS VILLA. Animadvertendum enim est, sextam literam non esse D. ut exponit Kircherus, sed E. atque ideo *diem* eâ literâ denotari non posse.

Quòd verò hæc tabula duodecimum sæculum oleat, non solum e rudi opificio deducitur, sed ex ipsius opificis nomine, quod tale est.

MAGISTE
R GVILIEL
MVS FECIT
OC OPVS.

Nomen enim Guillelmi tempore Caroli Magni in Italiam illatum fuit, proptereaque Constantini Cæsaris ævo prorsus inauditum.

Si autem ipsius Ecclesiæ muros, & constructionem spectes, nulla alia tempora indicare videntur, nisi ea, quæ decimum sæculum respiciunt, nam arcus in acutum angulum desinunt, & fama fert, olim prope hanc Ecclesiam Monachos habitasse, quos quidem ego Benedictinos fuisse putaverim, ex Monasterio Sublacensi, septem circiter milliaria ab hac Ecclesia distanti, qui Monasticam vitam rigidiori observantiâ, veluti in Eremo ducere cupiebant.

Hæc igitur Ædificia sunt, quæ Magnus Constantinus in Occidente construxit, sed alia fortasse plura ædificavit, quæ vel ob Scriptorum defectum, vel ob eorundem notitiam apud omnes jam oblivioni traditam, seu potiùs mihi prorsùs latentem, in obscuro jacent, nec ulla sui reliquerunt vestigia. Nihil enim tempori impervium est, nihil vetustati non penetrabile, nihil quod obnoxium longævæ ætatis edacitati non sit. Modò autem ex Occidente ad Orientem transitum faciamus.

CAPUT XXIII.

De Ecclesia Sepulchri Domini, sive Dominicæ Resurrectionis, Martyrion appellata, Hierosolymis.

MAjestatem, cultumque Christianæ Religionis ubique Gentium ampliandi studiosissimus Constantinus, non solùm in Occidente, ubi Religionis ipsius firmissima, primariaque est constituta sedes; verùm etiam in Oriente, præsertim verò in Palæstina mirifica hujusce studii, animique testimonia reliquit. Ibi enim tria augustissima excitavit Templa, ut Eusebius in Oratione de Laudibus Constantini cap. 9. juxta Valesii versionem his testatur verbis: *In Provincia Palæstina apud Civitatem, quæ Hebræorum Regia quondam sedes fuit, in ipso Urbis meditullio, ad locum Dominici Sepulchri, Basilicam immensæ amplitudinis, & Ædem Sacram in honorem Sanctæ Crucis omni magnificentiæ genere exornavit. Et monumentum Servatoris sempiternà memorià dignum, illiusque trophæa contra mortem erecta, ornamentis, quæ dicendo exprimi ne-*

nequeunt, decoravit. Cumque tria elegisset loca tribus sacris, & mysticis speluncis honorata, singula magnificis ædificiis ornavit. Ei quidem speluncæ, in qua Deus primùm apparuit, congruum honorem impendens: in altera autem ultimæ illius Assumptionis in montis vertice illustrans memoriam: in illa verò spelunca, quæ inter utramque media est, Servatoris nostri certamina, & victoriam extollens. Has omnes speluncas Imperator magnificè exornavit, salutare Crucis signum universis hominibus prædicans. Prima autem Basilica, quam in PalæstinæProvincia Constantinus erexit, sacra fuit Sepulchro Domini, cujus occasione operosis, sumptuosisque ædificiis ea loca illustravit, in quorum uno humani generis Restitutor occubuit, in altero verò Sacratissima Crux a Judæis defossa fuit. Hæc de re testimonium habemus ejusdem Eusebii in Vita Constant. lib. 3. cap. 26. & seqq. ubi sic: *Impii quondam homines, seu potius universum Dæmonum genus, impiorum hominum operâ, venerandum illud immortalitatis monumentum tenebris, atque oblivione penitus involvere studuerant. Illud, inquam, monumentum, ad quod olim Angelus e Cœlo delapsus admirabili luce radians, saxum revolverat ex animis eorum, qui verè saxei erant, & qui viventem Christum inter mortuos adhuc jacere arbitrabantur: felicem nuncium afferens mulieribus, & incredulitatis lapidem a mentibus earum removens, ut opinionem de vita ejus, qui ab illis quærebatur, adstrueret. Hanc igitur salutarem speluncam, impii quidam, ac profani homines funditùs abolere in animum induxerant; stultè admodum opinati, se hoc modo veritatem esse occultaturos. Itaque non sine summo labore, plurimâ humo aliunde advectâ, aggestâque, totum locum opplevère. Quem cùm mediocri altitudine extulissent, & lapide constravissent, sub hac tanta congerie sacram speluncam obtexerunt.*

Dehinc, perinde ac si nihil amplius ipsis superesset, supra illud solum, infaustum prorsus animarum sepulchrum extruerunt, obscuram mortuorum simulacrorum cavernam in honorem lascivi Dæmonis, quem Venerem vocant, ædificantes. Ubi execranda sacrificia super profanis, & impuris altaribus offerebant. Id enim, quod instituerant, ita demum se perfecturos esse opinabantur, si impuris hujusmodi sordibus salutarem Speluncam obruissent.

Miseri enim illud intelligere non poterant, fieri omnino non posse, ut qui de morte victoriam retulisset, hoc ipsorum facinus occultum relinqueret: quemadmodum nec fieri potest, ut Sol supra terras radians, & consuetum in cœlo cursum peragens, totius generis humani notitiam subterfugiat. Quippe Servatoris nostri potentia longè præstantiori luce resplendens; nec ut Sol corpora, sed animos hominum illustrans, totum jam terrarum orbem radiis implebat. Sed nihilominus ea, quæ impii, ac profani homines adversùs veritatem machinati fuerant, longo temporis spatio permanserunt.

Nec ullus ex Præsidibus, aut ex Ducibus, aut ex ipsis etiam Imperatoribus, qui ad tantum scelus evertendum idoneus foret, inventus est, præter unum Deo omnium Regi acceptissimum Principem. Qui divino animatus spiritu, cùm supramemoratum locum, omnibus purgamentis, ac sordibus ab adversariis fraudulenter obstructum, & oblivioni penitus traditum esse

indignè ferret, nec improbitati eorum, qui id moliti fuerant, cedendum esse arbitraretur, Dei Adjutoris sui Numine invocato, purgari præcepit: ratus, eam maximè soli partem, quam Adversarii contaminassent, suà operà, ac ministerio divinà frui magnificentià oportere. Simulatque hoc ab Imperatore præceptum est, continuò opera illa, ad fraudem comparata, e sublimi ad solum dejecta sunt; & ædificia, ad decipiendos homines constructa, cum ipsis statuis, ac dæmonibus diruta sunt, ac dissipata.

Neque tamen hìc conquievit Imperatoris alacritas; sed præterea tolli ruta cæsa, & quàm longissime extra fines regionis projici mandavit. Quod itidem præceptum, protinus executioni mandatum est. Hucusque verò progressus Imperator, nequaquam sibi satisfecit. Sed divino quodam æstu incitatus, jussit, ut loco altissimè effosso, solum ipsum, utpote Dæmonum piaculis contaminatum, simul cum egesta humo quàm longissimè exportaretur.

Nec mora; istud quoque, ut jussum erat, impletum est. Postquam aliud solum, locus scilicet, qui in imo erat, apparuit; tunc verò ipsum augustum sanctissimumque Dominicæ Resurrectionis monumentum, præter omnium spem, refulsit; & Spelunca illa, quæ Sancta Sanctorum verè dici potest, Resurrectionis Servatoris nostri quandam expressit similitudinem, cùm post situm, ac tenebras, quibus obtecta fuerat, rursus in lucem prodiit, & miraculorum, quæ ibi quondam gesta fuerant, historiam iis, qui ad spectandum confluxerant, manifestissimè videndam exhibuit; rebus ipsis, quæ omni voce clariùs sonant, Servatoris nostri resurrectionem testata.

His ad hunc modum gestis, confestim Imperator emissis constitutionibus, & liberali sumptu suppeditato, circa salutarem Speluncam Deo dignum Templum regali magnificentià exstrui jubet.

Hisce traditis, prædicti Templi ædificationem, atque structuram luculentissimè idem Eusebius describit, quæ cùm apud eundem videri possint, libens prætereo; atque eò libentius, quia de hoc, quod hodie extat, Templo, apud recentes dubitatur Scriptores, an illudmet sit, quod a Constantino constructum fuit. Horum opiniones in unum collegit, ponderavitque Fr. Franciscus Quaresmius in sua elucidatione Terræ Sanctæ Tomo 2. lib. 5. cap. 5. quem, si plura cupias, Lector, adi. Ita quoque si recentis Templi Ichnographiam, Orthographiam, & Scenographiam desideres, eas apud Fr. Bernardinum Amicum reperies, in ejus tractatu Italico idiomate descripto, inscriptoque: *Trattato delle Piante, ed Imagini de' Sacri Edificii di Terra Santa*, cap. 22. & apud Joannem Zuallardum in Hierosolymitano itinere itidem Italicè descripto lib. 3.

Silentio tamen prætereundum Architecti tam magni Templi nomen non est, cùm a B. Hieronymo in Chronico ad annum 30. Constantini Imperatoris, fuisse dicatur Eustathius Presbyter Constantinopolitanus. In hujus autem Templi ędificatione decennium insumptum fuit. Nam a Macario jussu Constantini inceptum, a Maximo verò (qui ambo Hierosolymorum Episcopi fuère) absolutum perhibetur, atque inter eos decē annorum spatium intercessit.

Templum hoc ab ejus Fundatore Constantino Basilica Constantiniana a Scriptoribus quamplurimis denominatur. Cyrillus vero Hierosolymitanus

nus Antistes in Catech. 14. Μαρτύριον, hoc est, *Testimonium*, videlicet Christi Resurrectionis testem, ac monumentum, illud appellat. Ut autem magis conjici valeat, quanta istius inclyti Templi venustas, & magnificentia, quantus splendor, quantave ipsius Christianissimi Imperatoris in Sacra Ædificia liberalitas fuerit, epistolam ad Macarium Hierosolymorum Episcopum datam, ne Eusebium adire cogaris, hîc posui, nempe: *Tanta est Servatoris nostri gratia, ut nulla sermonis copia ad præsentis miraculi narrationem sufficere videatur. Nam sacratissimæ illius passionis monumentum, sub terra jam pridem occultatum tot annorum spatio delituisse, quoad communi omnium hoste sublato, famulis ejus in libertatem vindicatis affulgeret, omnem reverà admirationem superat. Nam tametsi omnes quotquot ubique terrarum sapientes habentur, in unum coacti aliquid pro hujus rei dignitate dicere instituerint, ne ad minimam quidem ejus partem aspirare posse mihi videntur. Quippe hujus miraculi fides, omnem humanæ rationis capacem naturam tantum excedit, quantum humanis divina præcellunt. Quocirca hic unus mihi, ac præcipuus semper est scopus, ut quemadmodum veritatis fides novis quotidie miraculis inclarescit, sic etiam mentes omnium nostrum ad Sanctissimæ Legis observantiam cum omni modestia, & concordi alacritate incitentur. Quod quoniam omnibus perspectissimum esse confido, illud tibi inprimis persuasum velim, nihil mihi antiquiùs esse, quàm ut sacrum illum locum, quem Dei jussu turpissima adjectione simulacri velut gravi quodam pondere exoneravi, & qui ab initio quidem Dei judicio sanctus fuit, postea verò multò sanctior effectus est, ex quo Dominicæ passionis fidem in lucem protulit, eum, inquam, locum fabricarum pulchritudine exornemus. Decet itaque prudentiam tuam, singula ad opus necessaria ita disponere, & curare, ut non modò Basilica ipsa omnium, quæ ubique sunt, pulcherrima; sed & reliqua membra ejusmodi sint, ut omnes, quantumvis eximiæ singularum Urbium fabricæ, ab hac una facilè superentur. Ac de parietum quidem substructione, & elegantia Draciliano amico nostro agenti vices Præfectorum Prætorio, & Præsidi Provinciæ scias a me curam esse commissam. Jussit siquidem pietas nostra, ut artifices, & operarii, & quæcunque ad hoc opus necessaria esse ex prudentia tua cognoverint, protinus instante illorum sollicitudine dirigantur. De columnis verò, & marmoribus quæcunque, & pretiosiora, & utiliora esse ipso aspectu judicaveris, cura, ut ad nos perscribas; ut cùm ex literis tuis cognoverimus, quot, & qualibus opus sit, ea undique possint comportari. Æquum est enim, ut qui præ totius orbis locis maximè admirabilis est locus, pro dignitate sua exornetur. Porrò cameram Basilicæ utrum laqueatam, an alio quopiam operis genere faciendam censeas, certior a te fieri velim; nam si laqueata fiet, auro quoque poterit exornari. Restat igitur, ut Sanctitas tua supramemoratis judicibus quamprimum significet, quot operariis, & artificibus, & sumptibus opus erit, utque ad me celeriter referat, non modò de marmoribus, & columnis, sed etiam de lacunaribus, si hoc opus venustius esse censueris. Divinitas te servet, frater carissime.* Vides ex hac Epistola, Lector, quanta fuerit Imperatoris nostri Religio, & munificentia.

Plura alia de ejusdem Templi magnifi-

gnificentia addit laudatus Eusebius, quæ brevitatis gratiâ omittuntur, cùm apud eundem legi possint.

CAPUT XXIV.

De Ecclesia Nativitatis Domini apud Bethlehem.

CErtasse inter se diceres Helenam matrem, & filium Constantinum in nostra augenda, confirmandaque Religione; adeò in eis par pietas, & munificentia, cæteræque Christiani animi dotes eminebant! Testantur hoc præter alia, duo illa Templa, quæ Beata Helena, Sacra Palæstinæ loca invisens, ut extruerentur a filio, curavit. Unum quidem in Bethlehem, alterum in Monte Olivarum, ut scilicet non mortis tantummodo, sed etiam Nativitatis, & Ascensionis Dominicæ loca perennibus, atque amplissimis monumentis illustrarentur. Quam ædificationem sub annum 326. accidisse, deducitur ex Baronio eodem anno num. 37. De primo igitur ædificio nunc sermo est, de quo laudatus Eusebius in ejusdem Imperatoris Vita lib. 3. cap. 43. paucis contentus, hæc narrat: *Dei amantissima Augusta Deiparæ Virginis partum eximiis monumentis ornavit, sacram illam speluncam omni cultus genere illustrans. Nec multò post Imperator eandem Domini Nativitatem regalibus donariis honoravit. Variis ex auro, & argento monumentis, velisque acu pictis, Matris suæ cumulans magnificentiam.* Socrates verò libro 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. Eusebii brevitatem sectatus, sic fatur: *Mater verò Imperatoris, posteaquam ædificasset novam Hierusalem, apud Bethlehem quoque in spelunca, in qua Christus secundùm carnem natus est, alteram Ecclesiam, priore illa haudquaquam inferiorem, extruxit.* Pauca hæc ex antiquis hisce Scriptoribus haurire potuimus. At supralaudatus Quaresmius in sua Elucidatione Terræ Sanctæ Tomo 2. lib. 6. cap. 6. & seqq. Peregrinat. 2. ejusdem Ecclesiæ statum copiosè describit. Ipsius verò ædificii Ichnographiam, Orthographiam, & Scenographiam affert præfatus Fr. Bernardus Amicus cap. 1. & seqq. necnon Joannes Zuallardus; quos cupidus Lector, si velit, adeat.

Hæc de hujus Ecclesiæ fundatione, nunc ad Musiva opera, successivè eadem in Ecclesia elaborata, descendimus, illorumque exemplar in annexa Tabula XXXIII. referimus, descriptionemque apponimus breviori, quo fieri potest, stylo.


Omni tempore erga locum hunc maxima fuit Fidelium devotio, nam Sanctus est, & Domus Dei, Portaque Cœli jure asseri valet; quoniam in eo humani generis Redemptor, mortali carne assumptâ, primò lucem vidit; ad ista enim Orientalia loca Fideles ipsi accedentes, sacram hanc invisunt Ædem, summoque honore eam venerantur. Narratorum certus est testis pulcherrimum Musivum opus duodecimo sæculo sub Imperio Emmanuelis Magni Imperatoris Porphyrogenneti Comneni extructum. Hujus pulcherrimi Musivi copiam nobis fecit Reverendissimus Pat. Fr. Bernardus Joseph a Jesu Maria Commissarius, Procuratorque Generalis totius Franciscanæ Familiæ Terræ Sanctæ in hac Curia Romana, cui nos adstrictos esse fatemur, ob peculiarem illam curam, quæ ei


C
A


C
SCA AGNES
SCA PUDENTIANA
SCA PRAXEDIS






E


A
SCA MARIA
SCS IOHANNIS
CH
SCA PRAXEDIS
MR
CH
SCA PUDENTIANA


B
SCS IOHANNIS
SCS ANDREAS
SCS IACCOBUS


SCS PETRUS
SCS PAULUS
D

ei fuit, ut ex illis longinquis sibi transmitteretur partibus, ad hoc nostrum ditandum opus. Hic animadvertendum est, ejusdem Musivi delineationem ex sinistra ingredientium esse parte, nam cùm huic dextera respondens (nonnullis Inscriptionibus exceptis) simillima sit, a nobis omittitur. At in quo inter se, quoad Inscriptiones, differant, infrà narrabimus. Laudatus Quaresmius in sua Elucidatione Terræ Sanctæ Tomo 2. lib.6. cap. 13. Peregrinat. 2. idem describit Musivum, ideò ab eodem Auctore nos narranda desumpsimus. Omittimus tamen, characteres, eodem in Musivo expressos, ut jacent, referre, cùm illis Impressor careat, eosque efformare nimia esset impensa; quare curiosum Lectorem ad eundem Quaresmium remittimus, cùm nobis hæc tantummodò indicâsse sufficiat. Devenimus modò ad ejusdem Musivi operis descriptionem.

Sacratissima hæc Ecclesia, prout sæpecitatus narrat Quaresmius, olim pulcherrimis picturis, scripturisque exornata erat, quas pro majori parte edax devoravit tempus, & Infidelium barbaries, odiumque in Christianam Religionem consumpsit. Infra tamen Ecclesiæ fenestras variæ elegantes figuræ, opere Musivo constructæ, ac in columnis, & inter fenestras aliæ icones cernuntur appictæ, quas anno 1626. ipse Quaresmius sic ferè descripsit.

In ostiis Ecclesiæ duæ leguntur scripturæ, quârum una Arabicis, altera Armenis verbis, & characteribus efformata est; prima est in parte dextera, & Aquilonari, in qua legitur Evangelium in Missa, quæ ex Arabico in sermonem Latinum conversa hunc facit sensum: COMPLETA FUIT HAEC PORTA DEI AVXILIO DIEBUS DOMINI NOSTRI REGIS OMNIPOTENTIS, ET MAGNIFICI IN VIGESIMO PRIMI MENSIS ANNI DCXXIV. Altera, scilicet Armena in læva, & Meridionali parte, ubi in Missa Epistola legitur, quæ in Latinum versa sic sonat: ANNO DCLXXVI. ACCOMMODATA FVIT PORTA SANCTAE MARIAE OPERA PATRIS ABRAHAM, ET PATRIS ARACHELI SVB REGNO ERMAN FILII ETVM CONSTANTINI CHRISTVS DEVS AVXILIETVR ANIMABVS IPSORVM. AMEN. Quinam fuerint supradicti Reges, reperire nequaquam potui. Supra hanc portam interiori parte arborem fuisse effigiatam idem narrat Quaresmius, in cujus ramis appicti erant Prophetæ cum suis de Christo Prophetiis: & in primis Prophetæ figura est manus suas tabellis imponens, in quibus hæc expressa leguntur.

Joel 3. 18. IN ILLA DYE
STILLABV
MONTES
DVLcEDI
NEM COL
ES FLVEN
LAC ET MEL.

Amos 8. 9. IN DIEBVS
OCCIDET
SOL ME
RIDIE ET
TENEBRE
ERVNT IN
DIE LV
MINIS

Deinde alterius Prophetæ alia sequebatur figura, schedulam tenens cum hac Inscriptione.

Nahum

Nahum 1. 15. ECCE SVP MONTES
PEDES EVANGELIZANTIS
ET ANNVNTIANTIS PACE

In superiori hujus sententiæ parte alicujus Prophetæ visitur caput, ac inferiori parte ejusdem Prophetæ pes; super caput legitur:

EZECHIEL

Ad pedem verò,

IHEASPPHA

Successivè est Balaam cum sequenti Inscriptione.

Num. 24. 77. ORIETVR STELLA
EX IACOB ET
GETHDI

Altera est tabella, in qua hæc expressa cernuntur.

Micheas 5. 2. EXTERV
BTLEEP
FRAΛEG
DIE CON
TORIS
ET EGSS
EI9 AB INI
TIO ETER
NITATIS.
E CELo REX
ADVENIET
P·.·.· SECLA
·.·.·- RVS

Antiquum Baptisterium, quod in Australi est parte, Græcam hanc habet Inscriptionem.

ΥΠΕΡ ΜΝΗΜΗϹ ΚΑΙ Α
ΝΑΠΑΥϹΕωϹ ΚΑΙ ΑΦΕ
ϹΕωϹ ΑΜΑΡΤΙωΝ *ω. *Ν. *Ι.
ΚϹ * ΓΗΝΟϹΚΙ ΤΑ ΟΝΟΜΑΤΑ.

* ΓΙΝΩΣΚΕΙ.

Quæ in Latinum versa idioma sic sonat.

Pro memoria, & quiete, & remissione peccatorum O. N. I.

Dominus agnovit nomina.

Literæ enim asterisco * obsignatæ ipsa denotare nomina videntur.

Supranarratorum Musivorum operum exemplar minimè adduximus, quia ex illis partibus transmissum non fuit. At modò ad supranarratæ tabulæ explanationem devenimus. In sinistra ingredientium parte ad Aquilonem tendente immediatè supra columnas circa trabes, incipiendo a principio Ecclesiæ, & usque ad extremitatem navis progrediendo, Regum figuræ Judaici populi, celebriumque Virorum sunt, ex quibus Salvator noster secundùm carnem descendit, quorum fit mentio in Evangeliis Matthæi, & Lucæ. Hæ figuræ e capite usque ad pectus depictæ sunt, ut in præfata tabula videre est a littera A. usque ad litteram B. Nonnullæ præter diadema caput coronatum habent. Quod Veteres Heroum capita coronis, diadematibus, circulis, sphæris, sive umbellis ornare consueverint, demonstrat citatus Quaresmius lib. 5. cap. 8. Peregrin. 5. pag. 377. & nos fusiùs in nostro opere de Veter. Monim. parte 1. cap. 14. de Coronis, &c. Supra has figuras usque ad fenestras in quadratis spatiis sunt figurati arcus veluti porticus, in quorum medio visitur suggestum, sive pluteus, cujus in medio stat liber Cruce insignitus, ut indicat litera C. Quid per hunc librum demonstretur, minimè ambigendum esse reor; Evangeliorum enim librum designat, cùm apud Christifideles codex iste, sive volumen semper fuerit maxima in veneratione habitus, ut fusiùs etiam diximus in eodem nostro opere Veter. Monim.

Monim. parte 1. cap. 16. ubi inter cætera ostendimus, volumen illud, dum Concilia haberentur, in medio Concilii apponi consuevisse. Prope suggestum, quod & Altare denotare autumo, ex uno latere candelabrum cum cereo, ex altero verò thuribulum, humi jacent. Horum situs cùm diversus sit ab illo, qui ad præsens in Ecclesiis observatur, nam nunc super Altaria candelabra ponuntur, inquirendi occasionem præbet, ad Musivariine hæc placitum expressa fuerint, an juxta antiquum morem. Quæstionem hanc Joannes Baptista Thiers in suo Tractatu, Gallico idiomate conscripto, cui titulus, *Dissertations Ecclesiastiques*, examinat, ostenditque cap. 19. morem hunc superimponendi candelabra Altaribus nonnisi post decimum sæculum introductum fuisse, quod multis etiam probat auctoritatibus.

Hoc eodem in loco literâ C. signato, Græcis characteribus infrascripta leguntur verba.

✠ Η ΑΓΙΑ CΥΝΟΔΟC Η ΕΝ
ΑΓΚΥΡΑ ΤΗC ΓΑΛΑΤΙΑC ΤωΝ
ΙΒ. ΕΠΙCΚΟΠωΝ. ΠΡΟΤΗC ΕΝ
ΝΙΚΑΙΑ. ΟΙΚΟΜΕΝΙΚΗC CΥΝ
ΟΔΟΥ ΓΕΓ ΝΕΝ ΧΡ ΝΤω ΕΝ
Τω ΔΙΟΓΜω ΚΑΤΕΚΗΝωC
ΡΟΥΚΛΗ ΗΚ ΝΙ ΕΡΗΤΕΙ.

ΟΦΕΛ
ΟΝΔΕ
ΧΘΗΝ
ΑΙCΠ
ωCω
ΡΙCΕΝ
ΗCΥΝ
ΟΔΟC

Ambæ hæ Inscriptiones a suggesti lateribus sunt.

ΠΕΠΑΥ
CΘΑΙΔ
ΕΑΥΤΟ
ΥCΠΑ
CΥCΤΗ
CΙΕΡΑ
ΤΗΚΙΟΛ
ΙΤΟΡΓ
ΙΑC

Supradicta Græca Inscriptio latinè reddita hæc declarat.

✠ *Sancta Synodus duodecim Episcoporum coacta Ancyræ, Galatiæ Urbe, ante OEcumenicam Synodum Nicænam celebrata est propter Sacerdotes, & Clericos, qui in persecutione a fide defecerunt, & idolis immolarunt, utrum deberent suscipi; & ita definivit Synodus, sed jussit eos ab omni Sacerdotali officio cessare.*

Hæc Synodus celebrata fuit anno Christi 314. sub Sanctissimo Pontifice Sylvestro I. eo tempore, quo persecutio contra Fideles orta cessaverat. Orientales propterea Episcopi pacem Fidelibus reddere curantes, ad lapsorum instantiam, qui tormentorum exciderant metu, ut ipsos reciperent, hoc celebrârunt Concilium, de quo Baronius, Panvinius, Labbeus, necnon laudatus Quaresmius, hoc eodem in loco, fusiùs agunt.

Proximè huic quadrato aliud non multùm absimile sequitur, ut litera D. indicat. In hujus porticûs intercolumniis, ac ab utroque latere suspensa cernuntur vela, quæ nobis in mentem revocant vela illa expressa in Palatio Theodorici Gothorum Regis, delineata in Musivo opere, quod adhuc cernitur in Ecclesia S. Apollinaris Ravennæ; nam Reges ad fiduciam denotandam, quam ipsi in propria potentia habebant, & in justitia, quam exercebant, non valvis, sed velis tam exteriores, quàm interores occludebant januas, ut ex Vita Silverii Beatissimi Pontificis, a Bibliothecario descripta, colligitur, ubi narrat, a Bellisario tunc Romæ degente Pontificem accitum fuisse, ac ad primum, & secundum velum retinuisse omnem Clerum. Per primum igitur, & secundum velum ipsas januas intelligendas puto, ut censet etiam Alemannus in notis ad Procopium pag. 103. ubi illos, qui velis Principi proximioribus insistebant, Silentiarios denominatos fuisse asserit, a servato silentio ob Principis vicinitatem.

Morem hunc velis ornandi januas, ex Gentibus ad Fideles, nempe ad Ecclesias transisse colligo ex nonnullarum Ecclesiarum propilæis, ubi in columnarum summitatibus ferrea cernitur virga, per quam nonnulli excurrunt annuli, e quibus vela pendebant. Similes virgas ferreas cum annulis habemus in Ecclesiis S. Mariæ in Cosmedin, S. Praxedis, S. Alexii, S. Cosmati, S. Clementis, & forsan in aliis antiquis. Fuerunt quandoque inter columnas suspensa vela, quod ad ornatum factum fuisse judico, ut in porticu S. Georgii ad Velum aureum, & in Zaccharie Sanctissimi Pontificis Vita apud Bibliothecarium legitur: *Hic in Ecclesia Apostolorum pendentia vela inter columnas ex palleis sericis fecit*. Et in vita Leonis IV. *Fecit vela alba holoserica pendentia inter columnas majores dextrà, levàque numero quadragintaduo &c.* Hæc de velis apud nos Latinos dicta sufficiant, licèt multa alia de iisdem afferi possint, si laudatus Bibliothecarius excurratur. At quia agitur de Musivo opere in Orientalibus partibus extructo, atque a Græcis, ut ipsæmet Inscriptiones Græco idiomate, Græcisque characteribus exaratæ indicant, non abs re erit opinari, ambo præmemorata vela denotare illa, quæ in Græcorum Ecclesiis suspenduntur ad ostium Protheseos, sive βορειοκλίτος, seu μέρος, ac ad alterum oppositum ostium νοτείον μέρος a Græcis appellatum, ut apud Goar in suo Rituali Græcorum pag. 13. videri potest. E velis modò ad alia in eodem quadrato expressa, transitum faciamus. In hujus quadrati medio sub arcu, ut in altero quadrato, cernitur suggestum, sive Altare, super quo est codex, ac a lateribus candelabrum, & thuribulum, in loco verò literâ D. signato infrascripta legitur Græca epigraphe.

Η ΑΝΤΙΟΧΕΙΑ
✠ ΑΓΙΑ ϹΥΝΟΔΟϹ Η ΕΝ ΑΝΤΙ
ΟΧΕΙΑ ΤΗϹ * ϹΥΡΑϹ ΤωΝ ΑΓ ΕΠΙ
ϹΚΟΠωΝ ΠΡΟΤϹ ΕΝ ΝΙΚΑ ΟΙΚȣ
ΜΕΝΙΚΗϹ ϹΥΝΟΔȣ ΓΕΓΟΝΕΝ ΚΑ
ΤΑ ΠΑΥΛȣ Τȣ ϹΑΜΟϹΑΤΕωϹ
*ΨΗΛΟΝ ΑΝΟΝ ΤΟΝ ΧΝ ΔΟΓΜΑ
ΤΙϹΑΝΤΟϹ ΤȣΤΟΝ Η ΑΓΙΑ ϹΥΝΟΔΟϹ
ωϹ ΚΑ ... ϹΑΝ
ΚωϹ ... ΤΑ Α
ΦΡ ... ΠΕΒ
ΟΝΗ ... ΑΛΛ
ΕΤΟ

* fortè ΣΥΡΙΑΣ
* ΨΙΛΟΝ

Quam sic in Latinam linguam vertit laudatus Quaresmius.

ANTIOCHIA.

✠ *Sancta Synodus triginta trium Episcoporum habita Antiochiæ, Urbe Syriæ, ante OEcumenicam Synodum Nicænam, coacta est contra Paulum Samosatenum, qui Christum purum hominem fuisse asserebat. Hunc Sancta Synodus malè sentientem damnavit.*

Plura super hoc eodem Concilio, & aliis infra narrandis notavit sæpè laudatus Quaresmius, ideò curiosum Lectorem ad illum remittimus.

Aliud quadratum tertio se offert loco, parùm ab aliis dissimile; itidem in medio habet pulpitum, sive Altare cum codice, ac candelabro, & thuribulo; a lateribus loco velorum sunt duo Cherubin, super quorum caput binæ pendent ardentes lampades, quæ non sine mysterio expressæ fuêre. Quid per Cherubin denotetur, ostendit Eusebius Episcopus Gallicanus, aliàs Emissenus, qui floruit sæculo quinto, in Homilia 5. in Natali Apostolorum, exponens, duos illos Cherubin, qui super Testamenti arcam erant positi, ac mutuò se respiciebant, versis in propitiatorium

tiatorium vultibus, ſcientiæ denotare plenitudinem, nempe ſcientiam illam, quæ in utroque eſt Teſtamento; Cherubin enim Hebraicè ſcientiæ plenitudo interpretatur. Quòd autem duo Cherubin mutuò ſe reſpiciant, amborum Teſtamentorum inter ſe concordiam ſignificant; nam idem ambo teſtantur, idem dicunt, & prædicant. Plura apud eundem Auctorem de iiſdem Cherubin, ac apud Sanctum Eucherium Lugdunenſem Epiſcopum, ſive alium Auctorem in Comment. in libros Regum lib. 3. necnon apud Lorinum in Commentar. Num. cap. 7. verſ. 89. Quid autem per lampadas indicetur, diximus in Cap. 21. noſtri operis Veter. Monim. parte 1.

In area ſignata lit. E. ut in aliis quadratis Inſcriptio legitur Græcis characteribus, eodemque idiomate, ut ſequitur.

ϹΑΡΔΙΚΗ
✻ Η ΑΓΙΑ ϹΥΝΟΔΟϹ Η ΕΝ ϹΑΡ
ΔΙΚΗ ΤωΝ ΡΜ ΕΠΙϹΚΟΠωΝ
ΓΕΓΟΝΕΝ ΔΙΑ ΤΟΥϹ ΑΓΙΟΥϹ ΑΘ
ΑΝΑϹΙΟΝ ΤΟΝ ΑΛΕξΑΝΔΡΙ• ΜΕ
ΛΕΤΙΟΝ ΑΝΤΙΟΧΙΑϹ ΠΑΟΥΛ ΚωΝϹ
ΤΑΝΤΙΝȣΠΟΛΕΟϹ ΑΠΟ * ΚΑΤΑϹΙΝ
ΕΝ ΤΟΙϹ ΙΔΙΟΙϹ ΑΥΤ̈ ΘΡΟΝΟΙϹ ΗϹΑΝ
ΓΑΡ ΑΡΙΑΝΕ
ȣΤΟΙ
ΥΠΟ ξ•ω
Τ•Ν ΘΕΝ
ΤΕϹ
* ΚΑΤΑΣΤΑ

Quæ latinè ab eodem Quareſmio verſa ſic ſe habet.

SARDICA.

✠ *Sancta Synodus centum quadraginta Epiſcoporum habita in Urbe Sardica, celebrata eſt ad reſtituendos in ſuas Sedes Sanctos Athanaſium Alexandriæ, Meletium Anthiochiæ, & Saulum Conſtantinopoleos Antiſtites, qui ab Arianis expulſi fuerant.*

Quartum ſequitur quadratum, quod aliquam cum ſecundo habet ſimilitudinem, nam in hoc itidem pendentia vela ſunt; ſuper velis, ac columnarum epiſtylio quoddam cernitur loculamentum, cujus in medio ſtat candelabrum cum cereo ardente, & ab utraque parte phiala: ſuper loculamentum viſitur veluti arcus, in cujus medio ſtat calix, & prope calicem quidam cernuntur orbiculi, veluti tot panes. Quid per iſta hieroglyphica denotetur, divinari admodum difficile eſt; attamen aliquam explanationem tentabo, poſtquam Inſcriptionem in quadrati medio contentam retulero. In loco igitur deſignato literâ F. ut in aliis ſimilibus delineamentis, hæc legitur Græca Inſcriptio.

ΓΑΝΓΡΑΙϹ
✻ ΑΓΙΑ ϹΥΝΟΔΟϹ Η ΕΝ ΓΑΝ
ΓΡΑΙϹ ΤΗ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙ Τω ΙΕ Ε
ΠΙϹΚΟΠωΝ ΓΕΓΟΝΕΝ ΚΑΤΑ ΕΥΣΤΑ
ΘΙȣ Τȣ ΕΡΑΙΤΙΚȣ ΦΑϹΚΟΝΤΟϹ ΜΗ
ΔΥΝΑϹ ΘΑΙΤȣϹ ΕΝ ΓΑΜω ΗΚΡΕΟ
ΦΑΓȣΝΤΑϹ ϹωΘΗΝΑΙ ΤȣΤΟΝ
ωϹ ΚΑΚωϹ ΦΡΟΝΗϹΑΝΤΑ Η ΑΓΙΑ
ϹΥΝΟΔΟϹ ΜΑΤΙ
ΑΝΕΘΕ ϹΕΝ

Quæ in antiquum Romanum verſa ſic ſonat.

GANGRÆ.

✠ *Sancta Synodus quindecim Epiſcoporum in Gangrenſi Metropoli coacta, celebrata eſt contra Euſtathium hæreticum, qui docebat, eos, qui in nuptiis carnem comedebant, ſalvari non poſſe. Hunc Sancta Synodus, ut malè ſentientem anathemate percuſſit.*

Hieroglyphica ſuperiùs expreſſa, quæ in annexa tabula ob illorum parvitatem vix dignoſci valent, nihilominus in exemplari ab Oriente tranſmiſſo, ſummâque curâ delineato, apprimè efformata ſunt, ut candelabra cum cereis accenſis, phialæ, calices, & panes internoſcantur. Hujuſmodi ergo myſte-

myſteria ad præcitatas nuptias tendere autumo, nam præfatus Hæreſiarcha Euſtathius, inter alias ſuas impias aſſertiones, nuptias damnabat, Virumque cum Uxore dormientem execrabatur, edentes carnes culpabiles eſſe jactabat, itemque contemnendas eſſe Agapas a Fidelibus fieri ſolitas, & alia ſimilia deliramenta, ut apud Baronium anno 361. num. 55. quæ maximam connexionem cum luminibus, phialis, calicibus, panibuſque habere dignoſcuntur.

Ad quartum quadratum quintum accedit, quod ut alia antecedentia efformatum eſt, in columnis, quæ vitineæ ſunt, differens, velaque ad ornatum a columnarum capitibus pendentia; in medio pariter habet pulpitum cum codice, ac a lateribus candelabrum, & thuribulum; in medio, ubi eſt expreſſa litera G. ſequens legitur Græca Inſcriptio.

ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ

✠ ΑΓΙΑ CΥΝΟΔΟC Η ΕΝ ΛΑΟΔΙ
ΚΕΙΑ ΤΗC ΦΡΥΓΙΑC ΤωΝ ΚΕ ΕΠΙ
CΚΟΠωΝ * ΓΕΓωΕΝ ΔΙΑ ΜΟΝΤ
ΑΝΟΝ ΚΕΚΑΙΛΟΙ ΠΑC ΕΡΕCΕΙC * Τȣ
ωC ΑΙΡΕΤΙΚΟΥC ΚΑΙ ΕΧΘΡȣC
ΤΗC ΑΛΕΘΕΙΑC Η ΑΓΙΑ CΥΗΟΔΟC
ΑΝΕ ΘΕΜΑΤΙ
CΕΝ

* ΓΕΓΟΝΕΝ
* τȣ́τȣς

Quæ Latio donata ſic ſe habet.

LAODICEA.

✠ *Sancta Synodus vigintiquinque Epiſcoporum Laodiceæ, Urbe Phrygiæ coacta, celebrata eſt ob Montanum, & reliquas hæreſes. Hos ut Hæreticos, & veritatis hoſtes Sancta Synodus anathemate feriit.*

Ultimum ſequitur quadratum, ab aliis diverſum, cùm tres tantùm columnas contineat, ac diverſæ architecturæ, & formæ. Duo inſuper viſuntur ſuggeſtus, quorum alter a lateribus thuribula, alter verò candelabra habet, utpote etiam codices eis ſuperimpoſiti cernuntur; ſolita verò Inſcriptio, literâ H. notata, ſic ſe habet.

ΚΑΡΤΑΓΕΝΑ

✠ Η ΑΓΙΑ CΥΝΟΔΟC Η ΕΝ ΚΑΡ
ΤΑΓΕΝΙ ΤΗC ΑΦΡΙΚΗC * ΕΠΗ Τȣ
ΑΓΙΟΥ * ΚΥΠΡΙΑȣ ΤωΝ Ν ΕΠΙCΚΟ
ΠωΝ * CΥΝΙΘΡΥΘΗ ΕΠΙ * ΚΑΘΑΙΡΕ
ΟΕΙ. ΝΑΥΑΤȣΤȣ ΤΟ ΑΜΕΤΑΝΟ ΗΤ
* ΟCΗCΑΤΟC ΤΟΥΤΟΝ Η * ΑΓΙ CΥΝΟΔΟC
...... * ΟC ΕΡΕΤΙΚΟΝ * ΑΠΕΒΑ.....

* ΕΠΙ
* ΧΥΠΡΙΑΝΟΥ
* ΣΥΝΗΘΡΟΙΣΘΗ
* ΚΑΘΑΙΡΕΣΕΙ
* ΟΖΗΣΑΝΤΟΣ
* ΑΓΙΑ
* ΩΣ ΑΙΡΕΤΙΚΟΝ
* ΑΠΕΒΑΛΕ

Quæ ſic in Latinam tranſlata linguam ſonat.

CARTHAGO.

✠ *Sancta Synodus quinquaginta Epiſcoporum ſub Sancto Cypriano Carthagine Africæ Urbe celebrata, coacta eſt contra Novatum, qui pœnitentiæ remedium peccantibus adimebat. Hunc Sancta Synodus, ut hæreticum, rejecit.*

Hucuſque, quæ hac in Aquilonari parte in annexa tabula expreſſa obſervatione digna cenſuimus, explicavimus; modò ad alteram meridionalem, cujus delineatio, ut diximus, minimè tranſmiſſa fuit, cùm aſſeratur, quòd præfatæ Septentrionali ſimillima ſit, ſolummodo in Inſcriptionibus differens, ideò hujuſmodi aſſertioni quieſcere cogimur, & Inſcriptiones in eadem Meridionali parte contentas, referre ducimus, quas ex laudato Quareſmio deſumimus.

Primum igitur quadratum OEcumenici Nicæni Concilii deſcriptionem continet, ut ſequitur.

✠ Η ΑΓΙΑ ΣΥΝΟΔΟΣ Η ΕΝ
ΝΙΚΑΙΑ ΤωΝ * ΤΙΗ ΑΓΙωΝ
ΠΡωΝ ΚΑΤΑ ΑΡΕΙΟΥ ΤΟΥ
ΔΟΓΜΑΤΙΣΑΝΤΟΣ ΚΤΙΣ
ΤΟΝ ΤΟΝ ΥΟΝ ΚΑΙ ΛΟΓΟΝ
ΤΟΥ ΘΥ. ΣΥΝΗΘΡΟΙΣΘΗ ΕΠΙ
* ΚωΝΣΤΑΝΤΗΝΟΥ ΤΟΥ
ΜΕΓΑΛΟΥ ΒΑΣΙΛΕωΣ
ωΡΙΣΕΝ ΤΕ Η ΑΓΙΑ ΣΥΝΟΔΟΣ
ΚΑΙ ωΜΟΛΟΓΗΣΕΝ ΤΟΝ ΜΟΝΟΓ
ΕΝΗ ΥΟΝ ΚΑΙ ΛΟΓΟΝ ΤΟΥ ΘΥ ΔΙꙋ
ΤΑ ΠΑΝΤΑ ΕΓΕΝΕΤΟ ΣΥΝΑΙΔΙΟ
Ν ΚΑΙ ΟΜΟΟΥΣΙΟΝ Τω ΠΡΙ ΓΕΝΝΗ
ΘΕΝΤΑ ΟΥ ΠΟΙΗΘΕΝΤΑ ΚΑΙ ΑΝ
ΕΘΕΜΑΤΙΣΕΝ ΑΡΕΙΟΝ.

* ΤΙΗ.
* ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ

Quæ pariter latinè versa hunc refert sensum.

✠ *Sancta Synodus 318. Sanctorum Patrum Nicææ celebrata contra Arium, qui Verbum, & Filium Dei creaturam asserebat, & acta est tempore Magni Constantini Imperatoris. Definivit autem Sancta Synodus, & confessa est, Verbum, & Unigenitum Filium Dei, per quem omnia facta sunt, coæternum, & consubstantialem Patri, genitum esse, non autem factum. Et anathema in Arium intorsit.*

Secundum quadratum Constantinopolitanæ Oecumenicæ Synodi gesta refert his verbis.

✠ Η ΑΓΙΑ ΣΥΝΟΔΟΣ Η ΕΝ
ΚωΝΣΤΑΝΤΙΝꙋΠΟΛΕΙ
ΤωΝ ΡΝ ΑΓΙωΝ ΠΡωΝ ΚΑΤΑ
ΜΑΚΕΔΟΝΙꙋ Τꙋ ΠΝΕΥΜΑ
ΤΟΜΑΧꙋ Τꙋ ΒΛΑΣΦΗΜΗΣΑΝ
ΤΟΣ ΕΙΣ ΤΟ ΠΝΑ ΤΟ ΑΓΙΟΝ ϗ ΑΠΟΛΙ
ΝΑΡΙꙋ Τꙋ ΕΙΠΟΝΤΟΣ ΜΗ ΕΙ
ΛΗΦΕΝΑΙ ΤΟ ΝΚΝ ΝꙋΝ ΑΝΘΡω
ΠΕΙΝΟΝ ΣΥΝΗΘΡΟΙΣΘΗ ΕΠΙ
ΘΕΟΔΟΣΙꙋ Τꙋ ΜΕΓΑΛΟΥ
ωΡΙΣΕ ΔΕ Η ΑΓΙΑ ΣΥΝΟ
ΔΟΣ ϗ ωΜΟΛΟΓΗΣΕΝ ΤΟ
ΠΝΑ ΤΟ ΑΓΙΟΝ ΤΟ ΕΚ Τꙋ ΠΡΟΣ
ΕΚΠΟΡΕΥΟΜΕΝΟΝ ΚΥΡΙΟΝ
ϗ ζωΟΠΟΙΟΝ ΟΜΟꙋΣΙΟΝ τω
ΠΡΙ ϗ τῶ Υῶ ΣΥΝΠΡΟΣΚΙΝꙋ
ΜΕΝΟΝ ΤΕ ϗ ΣΥΝΔΟΞΑ
ΖΟΜΕΝΟΝ ζ * ΑΝΕΘΕΜΑΘΙΣΕ
ϗ ΑΠΟΛΙΝΑΡΙΟΝ.

* ΑΝΕΘΕΜΑΤΙΣΕ.

Quæ Latinis tradita sic loquitur.

✠ *Sancta Synodus Constantinopolitana 150. Sanctorum Patrum contra Macedonium Pneumatomachum, qui blasphemiis suis Spiritus Sancti Divinitatem violavit; & contra Apollinarium, qui dixit, mentem humanam non fuisse a Domino assumptam, collecta est sub Magno Theodosio. Definivit autem Sancta Synodus, & confessa est, Spiritum Sanctum procedentem ex Patre Dominum, & vivificantem, consubstantialem esse Patri, & Filio, & cum iis simul adorari, & glorificari; & Apollinarium quoque anathemate percussit.*

Tertium quadratum Oecumenici Ephesini Concilii acta designat sic.

✠ Η ΑΓΙΑ ΣΥΝΟΔΟΣ Η ΕΝ ΕΦΕ
Σω ΤΟ ΠΡΟΤΕΡΟΝ ΤωΝ Σ. ΑΓΙ
ωΝ ΠΡω ΚΑΤΑ ∴ * ΣΤΟΡΙΟΥ
Τꙋ ΔΙΕΛΟΝΤΟΣ ΤΟΝ ΧΝ ΕΙΣ ΔΥ
Ο ΥΠΟΣΤΑΣΕΙΣ ϗ ΜΗ ΟΜΟΛΟΓΗ
ΣΑΝΤΟΣ ΤΗΝ ΜΡΑ ΤΟΥ ΚΙ ΘΚΟΝ
ΣΥΝΗΘΡΟΙΣΘΗ ΕΠΙ ΘΕΟΔΟ
ΣΙΟΥ ΤΟΥ ΜΙΚΡΟΥ
ωΡΙΣΕ ΔΕ Η ΑΓΙΑ ΣΥΝΟΔΟΣ
ϗ ωΜωΛΟΓΗΣΕΝ ΤΟΝ ΥΝ ΤΟΥ
ΘΥ ΤΟΝ ΜΟΝΟΓΕΝΗ * ΚΑΤΕΝΤΟΝ
ΤΑ ΕΚ ΤωΝ ꙋΝωΝ ΣΑΡΚωΘΕΝ
ΤΑ ΕΚ ΠΝΣ * ΑΠΑ ϗ ΜΑΡΙΑΣ * ΗΣ
ΠΑΡΘΕΝΟΥ ϗ ΕΝΑΝΘΡωΠΗ
ΣΕΤ/Ν ΚΑΘΥΠΟΣΤΑΣΙΝ ΕΚω
ΟΙΝ ϗ ΤΗΝ ΤΕΚΟΥΣΑΝ ΑΥΤΟΝ
ΘΚΟΝ ϗ ΑΝΕΘΕΜΑΤΙΣΕ ΝΕΣΤΟΡΙ
ΟΝ *

* ΝΕΣΤΟΡΙΟΥ.
* ΚΑΤΕΛΘΟΝΤΑ.
* ΑΓΙΟΥ. * ΤΗΣ.

Quæ in Latinum versa idioma hæc referunt.

✠ *Sancta Synodus Ephesina priùs ducentorum Sanctorum Patrum sub Theodosio Juniore, coacta est contra Nestorium, qui Christum in duas personas dividebat, & Matrem Domini Dei parentem non fatebatur. Definivit autem Sancta Synodus, & confessa est, Unigenitum Dei de cœlis descendisse, & incarnatum fuisse de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & humanatum fuisse secun-*

ſecundùm unionem hypoſtaticam, & eam, quæ ipſum peperit, Deiparam eſſe, & Neſtorium anathemate percuſſit.

Quartum quadratum Chalcedonenſem Oecumenicam Synodum deſcribit, ſic loquens.

✠ Η ΑΓΙΑ cΥΝΟΔΟc Η ΕΝ
ΧΑΛΚΗΔΟΝΙ ΤωΝ ΧΑ ΚΑ
ΤΑ ΕΥΤΥΧΟΥc ϗ ΔΙΟcΚΟΡΟ
Υ ΤωΝ ΑΡΝΗcΑΜΕΝωΝ ΕΙΝΕ ΔΥ
Ο * ΦΥcΕΗΘ ΕΝ Τω ΧΟ ΟΤΗΝΤΕ ΘΕΙ
ΑΝ ϗ ΑΝΙΝΝ. cΥΝΗΘΡΟΙcΘΗ ȣ
ΠΙ ΜΑΡΚΙΑΝΟΥ ΚΕ ΠΟΥΛ
ΧΕΡΙΑc
ωΡΙcΕΝ ΔΕ Η ΑΓΙ cΥΝΟ
ΔΟc ϗ ωΜΟΛΟΓΗcΕΝ ΔΥ
Ο ΦΥcΕΙc ΕΝ Τω Χω ΘΕΙΑΝ
ΤΕ ϗ ΑΝΘΡωΠΙΝΗΝ ΕΝ ΜΙΑ
ΥΠΟcΤΑcΕΙΑ cΥΝ ΧΥΤωc
ϗ ΑΔΙΑΙΡΕΤωc ΚΑΙ ΑΝΕΘΕΜΑ
ΤΙcΕΝ ΕΥΤΥΧΗ ΚΑΙ ΔΙ
ΟcΚΟΡΟΝ.

* ΦΥΣΕΙΣ.

Quæ Latinè tranſcripta ſic ſonat.

✠ *Sancta Synodus Chalcedonenſis* DCI. *Patrum contra Eutychen, & Dioſcorum, qui negabant duas naturas eſſe in Chriſto, Divinam videlicet, & humanam, coacta eſt ſub Marciano, & Pulcheria. Definivit autem Sancta Synodus, & confeſſa eſt duas naturas in Chriſto, Divinam ſcilicet, & humanam in una perſona, ſine confuſione, ac diviſione, & anathemate feriit Eutychen, & Dioſcorum.*

Quintum quadratum, quintum Oecumenicum Concilium refert his verbis.

✠ Η ΑΓΙΑ ΠΕΜΠΤΗ cΥ
ΝΟΔΟc ΤωΝ ΕΚΑΤΟΝ Εξ
ΗΚΟΝΤΑ ΤΕcΑΡωΝ ΕΠΙc
ΚΟΠωΝ Η ΓΕΝΟΜΕΝΗ ΚΑΤΑ
ΤωΝ ΟΜΟΦΡΟΝωΝ ΝΕcΤ
ΟΡΙΟΥ ΕΤΙΤΕ ΚΕ ωΡΙΓΕΝ
ΟΥc ΤΟΥ ΦΗcΑΝΤΟc * ΠΡΟΥ
ΠΑΡξΗΝ ΚΕ ΑΠΟΚΑΤΑcΤΑc
ΙΝ ΨΥΧωΝ cΥΝΗΘΡΟΙcΘΗ
ΕΠΙ ΙΟΥcΤΙΝΙΑΝȣ ΜΕΓΑΛȣ
ΕΒΕΒΑΙωcΕ ΔΕ Η ΑΓΙΑ cΥΝΟ
ΔΟc ΚΕ ΕΚΥΡωcΕ ΤΑc ΠΡ
Ο ΑΥΤΗc ΚΕ ωΜΟΛΟΓΗcΕ Τ
ΗΝ ΜΗΤΕΡΑ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΘΕΟΤ
ΟΚΟΝ * ΑΝΤΕΜΑΤΙcΑcΑ Ν
ΕcΤΟΡΙΟΝ ΚΕ ΤΟΥc ΟΜΟΦ
ΡΟΝΑc ΑΥΤω ΚΕ ωΡΙΓΕΝΗΝ
ΤΟΝ ΕΙΡΗΚΟΤΑ * ΠΡΟΥΠΑΡ
ξΗΝ ΚΕ ΑΠΟΚΑΤΑcΤΑcΙΝ
ΨΥΧωΝ

* ΠΡΟΥΠΑΡΞΙΝ.
* ΑΝΑΘΕΜΑΤΙΣΑΣΑ.
* ΠΡΟΥΠΑΡΞΙΝ.

Quæ pariter Latio donata hunc facit ſenſum.

✠ *Quinta Synodus* CLXIV. *Epiſcoporum, quæ habita eſt contra ſectatores Neſtorii, & contra Origenem, quæ aſſeruit animas hominum exiſtere ante corpora, & omnes poſtremò ſalvatum iri. Coacta eſt ſub Magno Juſtiniano. Hæc autem Sancta Synodus approbavit, & confirmavit alias Synodos ante ipſam habitas, & confeſſa eſt Matrem Domini Dei parentem, atque anathemate feriit Neſtorium, & qui cum ipſo ſentiunt, & Origenem, qui dixit, animas exiſtere ante corpora, & eas poſtremò ſalvatum iri.*

Ultimum denique quadratum ſextam pariter Synodum ſic refert.

✠ Η ΑΓΙΑ ΕΚΤΗ cΥΝΟΔΟc
ΗΓΕΝΟΜΕΝΗ ΚΑΤΑ ΤΑ cΕΡΓΙȣ
ΚΕ ΚΥΡΟΥ ΤωΝ ΦΡΟΝΗcΑΝ
ΤωΝ ΕΝ ΘΕΛΗΜΑ ΚΑΙ ΜΙΑΝ Ε
ΝΕΡΓΕΙΑΝ ΕΠΙ ΤωΝ ΔΥΟ * ΟΥcΙΟΝ
ΤΟΥ ΧΡΙcΤΟΥ cΥΝΗΘΡΟΙcΘΗ
* ΤΟΥ ΧΡΙcΤΟΥ cΥΝΗΘΡΟΙcΘΗ
ΕΠΙ ΚωΝcΤΑΝΤΙΝΟΥ ΤΟ
Υ ΕΓΓΟΝΟΥ ΗΡΑΚΛΕΙΟΥ
ΕΒΕΒΑΙωcΕ ΔΕ Η ΑΓΙΑ cΥΝ
ΟΔΟc ΚΕ ΕΚΥΡωcΕ ΤΑc ΠΡΟ
ΑΥΤΗc * ΟΜΟΛΟΓΗΑcΑ ΤΑ Φ
ΥcΙΚΑ ΙΔΙωΜΑΤΑ ΤΗc ΘΕΟΤΗ
ΤΟc ΚΑΙ ΑΝΘΡωΠΟΤΗΤΟc ΤΟΥ
ΧΡΙcΤΟΥ Η ΓΟΥΝ ΔΥΟ ΘΕΛΗΜΑ
ΤΑ ΚΕ ΔΥΟ ΕΝΕΡΓΕΙΑc ΚΕ Α
ΝΕΘΕΜΑΤΙcΕ * cΕΡΠΟΝ ΚΥΡΟΝ

* ΟΥΣΙΩΝ.
* Tria iſta verba videntur abundare.
* ΟΜΟΛΟΓΗΣΑΣΑ.
* ΣΕΡΓΙΟΝ. ΚΑΙ.

Quæ itidem in vetuſtum Romanum tranſlata ſermonem ſic ſe habet.

✠ *Sexta Sancta Synodus habita contra Sergium, & Cyrum, qui unicam voluntatem, & unam operationem in duabus Chriſti ſubſtantiis ineſſe ſentiebant,*

tiebant, collecta est sub Constantino Heraclii nepote. Approbavit autem Sancta Synodus, & confirmavit alias Synodos ante ipsam habitas; & confessa est naturalia idiomata Divinitatis, & Humanitatis Christi, id est, duas voluntates, & duas operationes: atque anathemate percussit Sergium, & Cyrum.

Hæc breviter de Musivis operibus, Inscriptionibusque in utraque parte navis majoris hujus inclytæ Ecclesiæ extantibus dicta sint. Modò ad alia, ab eodem Quaresmio descripta, quorum licèt exemplar minimè accepimus, attamen illorum relationem cum explicatione, ut hactenus fecimus, omittere noluimus.

Primo loco se offert sequens Inscriptio, quæ aliam Sacram refert Synodum non Græcis literis, ut præcedentes exarata, sed majoribus Latinis valde abbreviatis, & non parùm a temporis edacitate corrosis, ac deficientibus, veruntamen ex superstitibus plenè dignoscitur Oecumenicæ Synodi septimæ mentionem facere. Quonam verò loco ista expressa sit, Quaresmius silet. Illius tamen tenor, qui scitu est dignus, sequens est.

SCA SYNOD' NIENA. II.
CCC. LXVII. PATRV CONTRA IMPVGNATORES.
SCARV YMAGINV COGREGATA SVB CONSTANTINO. ET YRENA
MATRE EI⁹. DECREVIT
AVT SCA. SYNODVS VT
SCOR YMAGINES OB
IPSOR VENERATIONE.
HONORENR QVE ADMODV SEE CRVCIS SIGNVM
PPCCRVCIFIXI RECENTIA
RANT. ANATHEMATIZAN oooV
COSTANTINS. IMPIISSIM
RES: ANVSTASIV ETIA. ET O
NTS ATQ NICITVT.·.·
TINOPOLITAA.·.·
CESNOIC.·.·
RVYM.·.·

Ut autem omnis, has abbreviatas dictiones legendi, cura tollatur; en accipe quæ supradicta refert Inscriptio.

*Sancta Synodus Nicæna II. trecentorum sexaginta septem Patrum, contra impugnatores Sacrarum Imaginum sub Constantino, & Irena Matre ejus. Decrevit autem Sancta Synodus, ut Sanctorum Imagines, ad ipsorum venerationem, honorentur, quemadmodum Sanctæ Crucis signum, propter Christi Crucifixi * recentiam, venerantur, anathematizavit Leonem, & Constantinum impiissimos Imperatores, Anastasium etiam, & Constantinum, atque Nicetam Patriarchas Constantinopolitanos.*

* *reverentiam.*

Nonnullas literas immutavimus, alias verò supplendo divinati fuimus, quod Quaresmius, propter difficultates, facere omisit.

In Ecclesiæ capite, ac fornice magnæ Cappellæ, dextrâque parte est Angelus Gabriel Virginem salutans, quæ in opposita læva parte cernitur. In ipso arcu imagines David, & Abraham cum seqnentibus Inscriptionibus sunt, quas magna in parte temporis devoravit voracitas. Quæ supersunt hic infrà cernes.

SCS GABRI
HLIS
X P· PhA
AVE MARIA GRATIA PLENA
·.·.EC-

.·. ECCE ANCILLA
SCDM VER.·.·.
ABRAhAM.

Dextera in parte ejuſdem Cappellæ Apoſtoli ſedentes adhuc viſuntur, & ut opinatur Quareſmius, olim etiam Spiritûs Sancti adventus in die Pentecoſtes ſuper Deiparam Virginem, Sanctoſque cernebatur Apoſtolos: nulla ſub iis figuris legitur Inſcriptio.

In læva verò parte cernuntur Chriſti Apoſtoli, Sanctæ Dei Genitricis cadaver ad tumulum in feretro deferentes, cum infraſcriptis notis.

COMES hOSTIS ET INRETATIS
ET GRECIS IMPERITABAT
hIC ECCLESIAM c DOCEBAR
SEFREM FERTVR FECISSE TV
AVTEM.

Quid per has denotetur notas Quareſmius, licèt eſſet in facie loci, explicare omiſit. Ego autem abſens, & Inſcriptionem mutilam, ac erratam exiſtimans, illius ſenſum exponere, nec audeo, nec valeo, ideò ad aliam tranſeo.

Præſentatio Domini ſequitur, nempe, Virgo Maria offerens Filium ſuum in Templo poſt ſuam Purificationem ſecundum legem, ut infra docet Græca ſcriptura.

* ΕΤΕΛΗῶΘΗ ΤΟΝ ΠΑΡΟΝΕΡΓΟΝ ΔΙΑ ΧΡΟΣ
εΦΡΑΙΜΑ * ΗϹΤΟΡΙΟΓΡΑΦȣ ΜȣϹΙΑΓΟΡΟϹ
ΕΠΙ ΤΗϹ ΒΑϹΙΛΕΙΑϹ ΜΑΝȣΗΛ ΜΕΓΑΛȣ
* ΒΑϹΙΛΕϛ ΠΟΡΦΥΡΟϹ ΓΕΝΝΗΤȣ Τȣ ΚΟΜΝΗΝΟΥ
ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΑϹ ΗΜΕΡΑϹ τȣ̃ ΜΕΓΑΛΟϹ ΡΗΓΟϹ ΙΕΡΟ
ϹΟΛΥΜωΝ ΚΥΡȣ ΑΜΜΟΡΙ
ΚΑΙ ΤΟΥ ΤΗϹ ΑΓΙΑϹ ΒΗΘΛΕΕΜ ΑΓΙωΤΑΤȣ
ΕΠΙϹΚΟΠȣ ΚΥΡȣ ΡΑȣΛΙΝΕΤὸϛ * Λ. ΧΟΖ
ΙΝΔΙΚΤΗΟΝ Β

* ΕΤΕΛΕΙΩΘΗΤΟ.
* ΙΣΤΟΡΙΟΓΡΑΦΟΥ.
* ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗΤΟΥ.
* Χ. Χοζ.

Quæ latinè reddita ſic ſe habet.

Abſolutum eſt hoc opus per Ephræm pictorem, & Muſivi operis artificem, ſub Imperio Emmanuelis Magni Imperatoris Porphyrogennetæ Comneni, & in diebus Magni Regis Jeroſolymorum Domini Ammorii, & ſanctiſſimi Epiſcopi Sanctæ Bethleem Domini Raulineti A. 677. Indict. 2.

Supradicti anni 667. utpote etiam anni 676. & 624. qui in hujus Muſivi operis explicatione reperiuntur expreſſi, quænam ſupputatio ſit, multis per me factis diligentiis, reperire minimè potui. Animadverti tamen, hujus Inſcriptionis tranſlationem ad prototypi ſenſum minimè factam eſſe, nam ex Græcis characteribus XOZ. literâ X. ſi Scapulæ ſtandum ſit, numerum 600. ſignificat, ut interpretatus fuit Quareſmius; ſi verò Amerotium ſequamur, millenarium denotat, cum hac tamen diſtinctione, quòd ſi numerus magno charactere, ſcilicet X. exprimatur, tunc millenarium; ſi verò charactere, ut dicitur, *corſivo*, ſcilicet *x*, numerum 600. indicat. Igitur in hac Inſcriptione potiùs An. 1076. interpretarer, quàm 677.

In horum igitur characterum interpretatione valde dubito, ſæpecitatum Quareſmium non ſolùm in illorum aberraſſe interpretatione, verùm etiam in tranſcriptione unum pro altero expreſſiſſe; quod fortaſſe accidit, quia characteres aut malè ſunt efformati, aut longâ temporis ſerie quodam velamine obducti, ſive in aliqua parte mutili, ſive in eminentiori loco poſiti, ita ut diſcerni minimè poſſint. Ex his igitur cauſis tranſcribens illos divinare coactus fuit. Hæc indicare duximus, quia Emmanuel Porphyrogennetus Comnenus Imperii ſceptrum aſſumpſit anno 1143. qui minimè cum ſupradicto anno 677. concordat. Diu quiſnam Ammorius Rex Hieroſolymorum fuerit,

fuerit, perquisivimus; at illum reperire minimè potuimus; cogitavimus tamen, fuisse Almericum Comitem Ascalonensem, qui in Regno Hierosolymitano Balduino III. anno 1163. successit, regnavitque per annos decem: inquisivimus etiam, quo tempore Bethlemitanam Ecclesiam præmemoratus Raulinetus rexerit, eundemque etiam haud reperivimus, cùm destituamur historiâ, licèt Fratres Sammarthani in sua Gallia Christiana, in fine Episcoporum Autissiodorensium, Bethlemitanæ Ecclesiæ fundationem, cum Episcoporum catalogo ponant, quorum primus est Regnerius, qui vixit anno 1223. non tamen primus in Episcopatu, sed primus, quem ex historiis ipsi Auctores potuerint reperire. Modò iterùm eò se conferat, unde noster sermo discessit.

In dextero cornu, & Aquilonari Ecclesiæ, depictum cernitur ingens Palatium, sive solium quibusdam columnis innixum: ibi porta est, ubi Christus, & discipuli ejus cum Thoma, cui ostendens lateris vulnera dixit, ut sequitur.

IANVIS CLAVSIS
IN GI
FER DI TV
VM
hVC

Sequitur Ascensio Domini: ubi Virgo Maria, & Discipuli aspicientes in cœlum visuntur, & sequens legitur scriptura.

ASCENSIO
✠ VIRI GALILEI QD STATIS
ASPICIENTE IN CELVM
HIC IHS QASVTSE SIC VE
NI EX QEADMODV VIDSTS
EVS

In cornu sinistro, & meridionali Ecclesiæ sunt aliqua non contemnenda fragmenta. Et primò in fornice Meridiem versùs Magorum est Adoratio, & Angelus eos ducens per aliam viam in regionem suam: item mulier versans vas aquæ super infantem; estque ibi tabula hac cum Inscriptione.

ECCE VIRGO
CONCIPIET
ET PARIET FI
LIVM ET VOCA
BITVR NOMEN

EIVS EMM
ANVEL

In hoc ipso cornu ex Orientali parte primò cernitur Samaritana mulier vas dimittens in puteum, & loquens cum Christo, sequenti cum Inscriptione.

LOQVITVR CV SAMARITANA
IOA
ChI
M.

Suprà effigies ferè collapsa sedentis ad pulpitum, cui innixus liber. Ad effigiem scriptum.

S. IOh. EVVANGELISTA
In libro:

IN PR
INCI
PIO e.

In sedentis gremio etiam quasi intextum videtur.

IN PR CIP
IO ER VE

Infrà Christi Transfiguratio coram Moyse, & Elia, Petro, Jacobo, & Joanne depicta est, cum solenni ingressu Domini in Jerusalem, ac ramis palmarum, cum sequentibus literis.

TRANS FIGV RATIO DNI
HE IHS CHS
LIAS MOI
SE
S
RAMIS PALMARVM
IHS XPS

In oppoſita verò Occidentali parte Chriſti in horto captura delineata eſt, hæcque duo dumtaxat leguntur verba: PETRVS . IVDÆORVM : ſuperiùs hinc inde alii duo Evangeliſtæ .

In hujus partis angulo ſequens eſt ſcriptum, pictorem fortè, vel auctorem operis indicans.

* ΝΗϹθΗΤΙ
ΚθΤΟΝ Δ
ΛΟΝ * ϹΟΥ
Z N III.
*M
* ΚΕ ΤΩΝ ΔΟΥΛΩΝ

* Videntur nomina propria.

Memento, Domine, ſervorum tuorum N.N.an. III.

Hæc, quæ de tam inclyta Eccleſia variis ex auctoribus excerpere potuimus, breviter in unum collegimus, tibique, curioſe Lector, expoſuimus.

CAPUT XXV.

De Templo Aſcenſionis in Monte Oliveto, ſive Olivarum.

NArravimus ſuprà, B. Helenæ ſuaſionibus noſtrum Imperatorem, præter Dominici Sepulchri Templum, duo alia maxima, ſumptuoſaque in Palæſtina excitâſſe ædificia, quorum unum jam deſcripſimus, nempe Bethleemiticum, ubi Mundi Auctor in lucem prodiit. Modò ſupereſt, ut de altero, ubi Mundum reliquit, in Monte Oliveto, ſive Olivarum, erecto, aliqua perſtringamus. Templum hoc inter ſacra Palæſtinæ loca inclytum, venerandumque eſt, cùm ex hoc loco idem noſtræ ſalutis Auctor Jeſus Chriſtus in cœlum, videntibus Diſcipulis, aſcenderit, perenneque ſuæ Aſcenſionis teſtimonium reliquerit; impreſſa nempe ſacrorum pedum veſtigia, quæ neque ulla temporis, aut hominum injuriâ deleri, neque etiam ornatûs gratiâ tegi unquam potuère; nam quidquid eis ſuperimponebatur, arcanâ, & mirabili quadam vi longiùs excutiebatur: præterea pars ea tecti, quæ rectâ lineâ ſacris veſtigiis, pavimento inhærentibus, oppoſita, ſive perpendicularis eſt, ex qua ſcilicet Chriſtus Dominus cœlum petiit, neutiquam fornice obduci potuit, adeò ut inane, & apertum id ſpatii relictum fuerit. Qua de re Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus, qui obiit anno 386. in Cathecheſi 14. *Stat*, inquit, *ad hodiernum uſque diem Mons Olivarum, qui aſcendentem in nube oculis Fidelium modò commonſtrat, & portam, quà aſcendit in cœlum, indicat*. Idem teſtatur Severus Sulpicius, ſeu, ut alii vocant, Sulpicius Severus, qui in principio V. ſæculi floruit; is in Sacræ Hiſtoriæ lib. 2. ſic de ſancto iſto loco fatur: *Baſilicam in loco Dominicæ Paſſionis, & Reſurrectionis, & Aſcenſionis conſtituit*, (nempe Conſtantinus). *Illud mirum, quòd locus ille, in quo poſtremum inſtiterant divina veſtigia, cùm in cœlum Dominus nube ſublatus eſt, continuari pavimento, cum reliqua ſtratorum parte, non potuit. Siquidem quæcumque applicabantur, inſolens humana ſuſcipere terra reſpueret, excuſſis in ora apponentium ſæpe marmoribus. Quin etiam calcati Deo pulveris adeò pe-*

perenne documentum est, ut vestigia impressa cernantur. Et cùm quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat: & eadem adhuc sui speciem, velut impressis signata vestigiis, terra custodit. Et Paulinus Nolanus ejusdem Sulpicii synchronus, in Epist. 11. ad eundem Severum in unum convenit, idemque affirmat, scilicet: *Mirum verò inter hæc, quòd in Basilica Ascensionis locus ille tantùm, de quo in nube susceptus ascendit, captivam in sua carne ducens captivitatem nostram, ita sacratus divinis vestigiis dicitur, ut nunquam tegi marmore, aut paviri receperit, semper excussis, solo respuente, quæ manus adornandi studio, tentavit apponere. Itaque in toto Basilicæ spatio solus in sui cespitis specie virens permanet, & impressam divinorum pedum venerationem calcati Deo pulveris perspicua simul, & attigua venerantibus arena conservat, ut verè dici possit: Adoravimus, ubi steterunt pedes ejus.* His accedit Adamannus, sive Adamnanus apud Bedam lib. 5. Histor. cap. 18. Adamannus refert suam decerpsisse narrationem ex S. Arculpho, quem illum fuisse reor, quem Sammarthani fratres in Gallia Christiana Episcopum Metensem, & antequam Ecclesiæ infulas susciperet, Austrasiæ Ducem fuisse, vixisseque anno 630. scribunt.

Hæc de præsenti miraculo, modò de illius Ecclesiæ fundatione breviter aliqua attingere ducimus. Laudatus Eusebius in præcitata Vita Constantini libro 3. capite 43. sic ait: *Præterea Imperatoris quidem Mater in memoriam Ascensionis Christi omnium Servatoris, in monte Olivarum sublimia extruxit ædificia, in ipso montis vertice sacram erigens ædem cum Templo. Hìc porrò Servatorem omnium Christum, arcanis mysteriis Discipulos suos in ipsa spelunca initiasse, verax testatur Historia. Imperator verò hoc etiam in loco, variis ornamentis, ac donariis summum omnium Regem veneratus est.* Præterea Quaresinius in sua Elucidatione Terræ Sanctæ lib. 4. cap. 9. Peregrinat. 9. hodiernum Templum illud antiquum minimè esse, ab Helena erectum, arbitratur; cùm illud a Persis dirutum fuerit, istud a Modesto Hierosolymorum Episcopo a fundamentis ædificatum, totumque concameratum. Idem ulteriùs Quaresmius varias Scriptorum traditiones examinat, quorum alii in pulvere, alii verò in lapide sua Christum Dominum reliquisse vestigia scripsêre: quæritque, an hoc ipsum perpetuum miraculum fuerit, necne? Quare ego ab hac declinare quæstione consultissimum esse reor, tum quia brevitati addictus sum, tum quia ipse Quaresmius pluribus eam est prosecutus. Quapropter hæc de Olivetano Templo dicta sufficiant.

CAPUT XXVI.

De Ecclesia in Valle Mambre in Palæstina Provincia.

Triginta ferè milliariis ab Hierosolymis, Vallis admodum fertilis, & amoena, quæ Mambre vocitatur, distat, sic a quodam hujus nominis Viro denominata, ut aliqui arbitrantur. Dicitur etiam Vallis Hebron, fortasse per antonomasiam, quia inter cæteras valles, quæ sunt circa Hebron, primas tenet, omnesque antecellit. Fuit etiam dicta juxta Quercum,

cum, quia frequentibus, & densis erat consita quercubus. Hanc, quam præclarissimi Patriarchæ Abraham, Isaac, & Jacob suis cum Uxoribus, aliisque Viris habitârunt, ob istorum Patriarcharum egregios, atque sanctissimos mores inclytam, illustriorem etiam reddere studuit noster Constantinus, magnæ amplitudinis æde ibi constructâ, locoque priùs ab omni profanæ superstitionis, & idololatriæ labe purgato. Porrò sæpecitatus Eusebius in ejusdem Constantini Vita libro 3. capite 53. hujus Basilicæ ædificationem sic tradit: *Locus ille, qui ad quercum Mambre vocitatur, in quo Abrahamum habitâsse comperimus, fertur a superstitiosis quibusdam hominibus omni modo contaminari. Nam & simulacra omni digna exitio juxta illam arborem erecta esse, & aram proximè extructam, & impura sacrificia assiduè illic peragi, ad nos relatum est. Quod quoniam & alienum a temporibus nostris, & ipsius loci sanctimoniâ indignum videtur, sciat gravitas vestra, mandatum a nobis esse per literas Acacio viro perfectissimo, comiti, & amico nostro, ut sine ulla dilatione, & simulacra omnia, quæ memorato in loco reperta fuerint, igni tradantur, & ara funditus evertatur: utpote omnes, qui post jussionem nostram impium aliquid admittere in eo loco ausi fuerint, debito supplicio afficiantur. Quem quidem locum puro Basilicæ ædificio exornari præcepimus, ut idoneus sanctis Viris consessus efficiatur.* De eodem hoc Templo Nicephorus differit lib. 8. cap. 30. & Quaresmius in Elucidatione Terræ Sanctæ Tomo 2. lib. 6. cap. 3. quare calamum sisto.

CAPUT XXVII.

De Ecclesia Sanctæ Sophiæ Constantinopoleos.

QVanta piissimi, ac Religiosissimi Imperatoris Constantini Magni cura fuerit in Religione Christiana sacris, ac munificentissimis ædificiis illustranda, satis, superque hactenus demonstratum esse crediderim, Ecclesiarum tam in Occidente, quàm in Palæstina constructarum enarratione, quæ validissima, luculentaque Augustæ pietatis testimonia esse possunt. At si ad ea, quæ infrà dicturi sumus, animum convertamus, nihil, aut parùm in aliis sacris ædificiis ipse Imperator allaboravit, cùm numero, magnificentiâ, ornatu, atque divitiis illustriora in Regia Orientis Urbe, quam Imperii sui constituit Sedem, ædificaverit.

Ab Augustissimo propterea S. Sophiæ Templo, tam per Orientem, quàm per Occidentem celeberrimo, initium sumimus. In ejus autem descriptione plurimum temporis, & laboris insumere deberemus, nisi nos longè præcessisset eruditissimus DuCange in sua Constantinopoli Christiana lib. 3. pag. 5. ubi fusè Basilicam hanc, illiusque describit partes, & ichnographiam, necnon interiorem, exteriorémque prospectum exhibet. Quamobrem ea, quæ ex hujusmodi celebri delibavimus Viro, accipe.

Tam in Oriente, quàm in Occidente inclytum, augustissimumque Templum hoc a nostro Imperatore S. Sophiæ, scilicet Divinæ Sapientiæ, dicatum, ac Patriarchali honore donatum fuit;

fuit; ut ſicut Conſtantinopolitana Urbs cæteras in Oriente ſplendore, dignitate, ac nobilitate antecellebat, ita cæteris Eccleſiis in eiſdem præemineret partibus, primariumque totius Orientis honorem, ac præcipuam haberet Sedem; talemque Succeſſores Imperatores eam denominavêre. Nam Zeno in l. 16. Cod. de Sacroſanct. Eccl. eam *Matrem ſuæ pietatis* appellat; & in l. 17. eodem tit. Acacium Patriarcham C. P. *Patrem ſuæ pietatis* vocat. Itidem Juſtinianus in Novella 3. in Præfat. *ſui Imperii Matrem* compellat, τὴν τῆς ἡμετέρας βασιλείας μητέρα.

Magnus ergo noſter Imperator Conſtantinus, exædificato, & mœnibus longè ampliato Byzantio, veterique Urbis appellatione deleta, aliam a ſuo nomine, uti Fundatore, attribuit Conſtantinopoleos, ſcilicet Conſtantini Civitatis. At poſtquam Chriſtianam amplexus fuit Religionem, quod anno Imperii ſui vigeſimo accidit; Omnipotenti Deo, ſummoque omnium donorum Datori, cui totum ſe commendârat, Templum extruxit, illudque τῇ ἁγίᾳ Σοφίᾳ, ſeu Divinæ Sapientiæ, ut nuper expoſuimus, dicavit, nempe Chriſto Filio Dei (ut ait Rupertus lib. 10. de Divin. offic. cap. 15.) *Filium dicimus veram, & incommutabilem Sapientiam, per quam univerſam condidit creaturam*. Succeſſu verò temporis, omiſsâ voce ἁγίας, vocabulo Σοφίας hoc inclytum Templum appellatum fuit, ut narrat Procopius: *Ædem illam*, inquit, *appellant Byzantii Sophiam, vocabulum Supremo Numini convenientiſſimum nacti*. De hujus ædis Conditore concors eſt Scriptorum ſententia; nam Theophanes, Cedrenus, Glycas, Paulus Diaconus lib. 11. Calliſtus lib. 7. cap. 49. & quotquot ferè Conſtantini res attigêre, Magnum Conſtantinum illius Conditorem agnoſcunt. Codinus quidem narrat, noſtrum Auguſtum non de novo iſtam magnam excitâſſe Eccleſiam, ſeu eam inanibus Paganorum priùs Idolis dicatam, ab omni profanitate purgatam, ad Eccleſiæ Chriſtianæ uſum immutâſſe. At diſertis verbis tradit Cedrenus, a fundamentis Sophianam ædificâſſe ædem, illiuſque condendæ Euphratæ cuidam curam demandâſſe. Hujus ædis forma dromica fuit, id eſt quadrata, ſed oblongior, ita enim δρομικὸν vocem plerique Scriptores accipiendam cenſent, etſi Allatius repugnet; unde rectè Theodoſius Zygomalas apud Cruſium pag. 201. δρομικὸν, quod eſt δίκην νάρθηκος, & πᾶν δρομικὸν νάρθηκα, dixit appellari, ejuſmodi autem ex Narthecis, ſeu ferulæ figura. Denique δρομικὸν dictum videtur a ſtadiis curſoriis, quæ in majorem longitudinem, quàm latitudinem porriguntur. Magnæ igitur Eccleſiæ Conſtantinianæ formam dromicam fuiſſe teſtatur Codinus in deſcriptione Sanctæ Sopiæ.

Hujus inclyti Templi dedicatio ſolemni pompâ facta deſcribitur in Chronico Alexandrino in Olympiade 285. ſcilicet anno Domini 360. ubi ſic:

CCLXXXV. OLYMPIAS.
XXIII. Ind. III. Conſtantio Auguſto XII. & Juliano Cæſare III. Coſs.

Hoc anno menſe Peritio, (ſcilicet Martio) *die XV. magna Eccleſia Conſtantinopoleos dicata eſt*. Et paulò poſt: *In eadem Synodo Epiſcoporum non poſt multos dies ab inauguratione Eudoxii Epiſcopi Conſtantinopoleos, Encænia magnæ Eccleſiæ ejuſdem Urbis cele-*

celebrata sunt, anno trigesimo quarto, plus minus, ex quo fundamenta Constantinus Victor Augustus jecerat. Acta sunt autem illius Encænia his Consulibus ex a. d. XVI. Kalend. Martias, qui dies est mensis Peritii XIV. Ad ea Encænia Imperator Constantius Augustus munera multa, cimelia aurea, & argentea ingentia, gemmisque, & auro intextas, pro Altari mappas contulit. Præterea pro Ecclesiæ januis varia aurea vela; & pro exterioribus vestibulis alia rursum vela auro contexta, & variegata. Multa enim beneficia magnificè largitus est, cùm in universum Clerum, tum in religiosarum Virginum, & Viduarum collegia, & in Xenodochia. In prædictorum verò, tum pauperum, tum orphanorum, ac captivorum, seu in carceribus detentorum alimenta, diarium majus concessit, quàm pater ejus Constantinus erat elargitus.

Quare si præfati anni 34. perpendantur, qui ab hujus ædificii fundationis die elapsi fuerunt, illique a dictis annis 360. demantur, resultant anni 326. quo tempore hujusmodi Templi fundamenta fuêre jacta. Hanc eandem Ecclesiam anno 404. in eodem Chronico conflagrâsse narratur.

Verùm cùm Constantiniana ædes nimis angusta, nec satis capax esset, vel quod ex Terræmotibus corruisset, Constantius Constantini filius, ad hodiernam perduxit amplitudinem.

Ejusdem etiam magnificentissimi, & celeberrimi Templi structuram diffusè narrat quidam Anonymus, Græcusque Scriptor, quem nuper in Latinum idioma vertit Cl. Vir Combefisius, ac in suo manipulo Originum rerum Constantinopolitarum inseruit. Addere etiam placet nuperrimum Scriptorem Thomam Smith, qui in sua brevi notitia Constantinopoleos Musiva opera, adhuc extantia, sic refert: *Laquearium concamerationes olim ornarunt curiosæ figuræ, opere Musivo, quod e concinno tessellarum, calculorumque ordine componitur, factæ hodie deformatæ, Turcis ex innato imaginum odio, quo in ipsas debacchari solent, illarum oculos eruentibus, vultumque deturpantibus; e reliquiis autem, cùm tota litura non inducatur, operis artificium, & pulchritudinem contemplari licet, deque historiis sacris, quas exhibent, cuipiam paulò accuratiori obtutu in ipsas intuenti veram facere conjecturam difficile non erit.* Pluries apud varios Magnates eorundem Musivorum operum habere exemplaria tentavimus, sed incassum nostra ivit instantia. Si aliquando ad nostras pervenerint manus, ea publici juris facere non deerimus.

CAPUT XXVIII.

De Ecclesia S. Irenes Constantinopoli.

SAnctæ Irenes Templum a Constantino Magno extructum fuisse complures asserunt Scriptores, quos laudatus Du Cange sic refert, nempe: Socrates lib. 1. cap. 16. *In ipsa Urbe duas Ecclesias ædificavit, quarum unam Irenem, alteram SS. Apostolorum appellavit.* Willelmus Malmesburiensis lib. 4. *Fecit in ea duas Ecclesias, quarum una Hirenis, altera dicitur Apostolorum.* Ita Theophanes pagina 18. Cedrenus pag. 284. Pachymeres lib. 7. cap. 15. Codinus pag. 38. τὴν ἁγίαν Εἰρήνην τὴν παλαιὰν vocant. Addunt Origenes C. P. ineditæ τὸ Πατριαρχεῖον. Sic autem appellata, ut a *nova*, eâ scilicet æde S. Ire-

S. Irenes, quam poſtmodum Marcianus excitavit, diſtingueretur. Author vitæ S. Pauli Patr. C.P. apud Photium, Menæa item ad XXII. Jan. in SS. Clemente & Agathangelo. Ex quibus rectè colligit Gyllius, Eccleſiam illam eſſe, quam *antiquam* vocat Urbis deſcriptio, & quàm unà cum Sophiana in ſecunda regione ſtatuit, proximam ædi Sophianæ. Socrates de eodem Paulo Patr. C.P. lib.2. cap.6. ſic ſcribit: *Et in Eccleſia quidem, quæ dicitur Irenes, & contigua eſt ei, quæ nunc magna, & Sophiæ vocatur Eccleſia, Paulus Epiſcopus ordinatur*. Eadem penè habet Nicephorus lib.9. cap.4. Juſtinianus Nov. 3. cap.3. *Erat verò venerabilis ædes Sanctæ Irenes ſanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ adjuncta*. Ubi addit idem Auguſtus, tres ſacras ædes, Deiparæ ſcilicet, S. Theodori, & S. Irenes eidem Magnæ Eccleſiæ unitas fuiſſe, neque proprium habuiſſe Clerum, qui in iis ſacra miniſteria perageret, ſed ea peregiſſe ejuſdem Magnæ Eccleſiæ Clericos, περινοστοῦντας κατά τινα περίοδον καὶ κύκλον, *circumeuntes per quemdam ambitum, & circuitum*. Unde cùm Sophianæ ædis appendix fuerit, intra ejuſdem ſepta ædificata dicitur a Socrate lib.2. cap.12. ubi de Magna Eccleſia: *Adjuncta eſt autem Eccleſiæ, quæ Irenes nomen habet, quam Imperatoris Pater* (Conſtantinus Magnus) *cùm antea eſſet anguſta, tum magnitudine, tum pulchritudine auxit. Jam verò ambæ uno ſepto cernuntur incluſæ, & uno nomine appellantur*.

Quod verò de ampliore facta æde Irenes a Conſtantino tradit hoc loco Socrates, habet etiam Author vitæ S. Pauli Patr. C.P. quo loco ait, ejuſdem Sancti reliquias in hanc ædem illatas: *Et per mediam Urbem corpus ferentes, in Eccleſia S. Irenes, quam antiquam vocant, & Conſtantinus Imperator, ex parva ad ampliorem latitudinem, & magnitudinem excitavit, cui & Paulus aliquamdiu præfuerat, collocarunt*. Conflagravit ædes illa Irenes in ſeditione Victoriatorum unà cum Sophiana, & aliis, Juſtiniano Magno imperante anno 5. Theophanes pag. 154. *Incendio abſumpta eſt magna pars Urbis, & magna Eccleſia, & S. Irene*. Et Chronicon Alexandrinum pagina 779. ubi de eadem ſeditione ait: *Et flagravit balneum Alexandri, & pars hoſpitii Eubuli, & ſancta Irene, quæ erat condita ſub Illo Iſauro contra Imperatorem Zenonem Tyranno*. Sed in his verbis mendum manifeſtum patet: neque enim ædes S. Irenes ab illo Tyranno condita: reſtituendum igitur, καὶ ἡ βασιλικὴ ἥτις ἦν &c. *& Baſilica quæ erat, &c.* ut intellexerit Baſilicam Illi nuncupatam, quæ hoc perinde incendio abſumpta eſt. Sed hanc Irenes ædem poſtmodum de novo inſtauravit Juſtinianus, & ampliſſimam conſtruxit, vix ut Byzantii, exceptâ Sophianâ, ulla fuerit alia, cui de magnitudine concederet, ut habet Procopius. Deinde concuſſa fuit ipſa ædes eo terræmotu, qui accidit Leone Iſauro regnante. S. Nicephorus in Breviario: *Et divinum Templum, quod S. Irenes nomine appellant, & proximè magnam Eccleſiam ſitum eſt, concuſſit*. Hodie intra ſeptum Regium includi, parvamque Sophiam vocari Auctor eſt Gyllius lib.11. cap.11.

CAPUT XXIX.

De Ecclesia S. Dynameos, scilicet S. Virtutis.

INter alia in nova Roma a nostro Cæsare constructa ædificia tria præcipua, ac splendidissima fuêre, ut his verbis narrat Nicephorus lib. 7. c. 49. *Tria maxima Templa Constantinopoli excitavit, scilicet* ἁγίας Σοφίας, ἁγίας Εἰρήνης, *&* ἁγίας Δυνάμεως, nempe, *sanctæ Sapientiæ, sanctæ Pacis, & sanctæ Virtutis*. Per has tres virtutes nihil aliud innuere voluisse autumo, quàm Christum Dominum, qui est vera Sapientia, Pax, & Virtus nostra. De primo, & secundo Templo aliqua nuper disseruimus; remanet tertium, de quo tamen nulla alia extat memoria, nisi quòd dromicæ esset figuræ, videlicet quadrati in longum producti, ut jam exposuimus, superiorique S. Sophiæ Ecclesiæ persimile. Hujus autem ἁγίας Δυνάμεως, seu S. Virtutis dies festus celebratur die 16. Maji, ut in Græcorum legitur Menæis.

CAPUT XXX.

De Ecclesia Apostolorum Constantinopoli.

POst celeberrimum illud, & undequaque mirandum S. Sophiæ Templum, aliud non longè minoris elegantiæ, ac pulchritudinis, in eadem Regia Urbe, religiosissimus Imperator in omnium Apostolorum honorem excitavit, in quo omnes Christiani tumularentur Imperatores. Totum hoc Eusebius de Vita Constantini lib. 4. cap. 58. 59. & 60. fusè describit: *Post hæc* (nempe post pacem cum Persis initam) *in memoriam Apostolorum Martyrium ædificare cœpit in Urbe sibi cognomine. Cùmque Templum omne in immensam altitudinem extulisset, vario lapidum genere splendidum reddidit, a solo ad cameram usque marmoreis crustis illud operiens. Porrò cameram lacunaribus minutissimi operis obducens, totam auro imbracteavit. Et suprà quidem, æs tegularum loco, impositum, universo ædificio monimentum adversùs imbres præbebat. Quod itidem auro plurimo superfusum resplendebat, adeo ut procul spectantium oculos fulgore perstringeret, Solis radiis æris objectu repercussis. Totum verò solarium reticulatis quibusdam anaglyphicis ex ære, & auro fabrefactis erat circumdatum.*

Ac Templum quidem ipsum, maximo Imperatoris studio, hunc in modum exornabatur. Circa ipsum Templum ingens erat area, libero, ac patente desuper cœlo. Cujus ad quatuor latera porticus erant sibi invicem conjunctæ, quæ aream in medio sitam unà cum ipso Templo circumcingebant. Præterea Basilicæ, lavacra, diversoria, & alia plurima habitacula ad usum eorum, qui locum custodiebant, porticibus applicita, earum longitudinem æquabant.

Hæc omnia dedicavit Imperator, eo consilio, ut Apostolorum Servatoris nostri memoriam posteris in perpetuum commendaret. Sed & aliud quidpiam in mente habens, ædem illam construxit: quod initio quidem obscurum, tandem verò omnibus sub finem innotuit. Quippe ipse hunc sibi locum post mortem designaverat; incredibili fidei alacritate prospiciens, ut corpus suum communem cum Apostolis appellationem post obitum

tum

tum sortiretur, quò scilicet precationum, quæ in honorem Apostolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret. Cùm igitur duodecim illic capsas, quasi sacras quasdam columnas, in honorem, ac memoriam Apostolici Collegii erexisset, suam ipsius arcam in medio constituit, quæ senas utrinque Apostolorum capsas dispositas habebat. Atque id in eo loco, ubi corpus ipsius post mortem decenter deponendum esset, solertissimè providit. His ille diu antea sagaci mente dispositis, ædem Apostolis consecravit, pro certo sibi persuadens, horum memoriam non parum utilitatis animæ suæ esse allaturam.

Hic dubitandi ansam præbet Alexandrinum Chronicon in Olympiade 279. ibi enim sic nostri gloriosissimi Imperatoris obitus describitur: *Ter beatus Constantinus decessit mensis Maji XXII. ex a. d. XI. Kal. Junias ipso Sanctæ Pentecostes die: cujus quidem Constantini pii corpus in Palatio Constantinopoleos insepultum jacuit, & servatum est, quoad filii de morte ipsius certiores fierent.*

Constantius, cùm in Oriente versaretur in Mesopotamia bello Persico adhuc urgente, confestim venit Constantinopolim, quò cùm pervenisset, patrem Constantinum inclytum tanto comitatu, & eà regii processûs pompà extulit, ut id nemo pro dignitate possit assequi, præsente Prætorianà militià, velut eo superstite armis suis instructà, ac universà Civitate, quam Romæ nomine donatam, illustribus ornamentis decoraverat, & concessarum annonarum demenso ditaverat, omnibus tanto luctu funus prosecutis, ut nullus ante illum extiterit Imperator, qui vivus, mortuusque adeò cultus fuerit, & prædicatus. Humatus est autem in æde Sanctorum Apostolorum, Andreæ, Lucæ Evangelistæ, & Timothei discipuli Sancti Pauli.

Ex relatis igitur apparet, unum tantùm Apostolum, scilicet Andream ibi nominari, & nihilominus ædes Apostolorum appellatur. Istius dubii resolutio, ni fallor, est, quòd in hac scriptura Amanuensis error irrepserit, qui post vocem Andreæ omisit rescribere cifram &c. scilicet Apostolorum nomina, brevitati studendo. Hujus autem sacræ ædis dedicatio anno Christi 370. facta fuit, ut ex eodem elicitur Alexandrino Chronico.

Verùm haud diu Basilica hæc primævum retinuit statum. Nam cùm Justinianus Imperator eam funditus diruisset, magno cùm molis, tum splendoris incremento, restituit in Crucis formam extructam, cujus in medio ingentem elevavit testudinem, Sophianæ minimè imparem, eidemque similem, præterquam in fenestris, quia in ea nullæ omninò fuère, cætera perquam similia. Plura de hoc tam illustri Templo si cupias, adi sæpecitatum Du Cange in sua Constantinopoli Christiana lib. 4. num. 5. ac Gothofredum in suis Commentariis ad Cod. Theodosian. lib. 6. de sepulchr. violat.

CAPUT XXXI.

De Basilica S. Agathonici Constantinopoli.

IN Dromicam formam, scilicet in quadratum productum in S. Agathonici honorem a nostro Cæsare Augusto Templum ædificatum fuisse Cedrenus, ac Nicephorus narrant. Deinde in augustiorem formam a Justiniano Imperatore excitatum scribit Procopius lib. 1. de Ædif. cap. 5. Anonymus tamen in Manipulo Originum Rerum Constantinopolitanarum, primùm ab Anastasio, deinde a Justiniano renovatum fuisse refert. Hoc in Templo septem Patriarchæ per annos quinquaginta, Episcopalia obivère munera; necnon ibidem Orientis Imperatores mos fuit coronari. Postea verò sub Tiberio Mauricii socero intra Palatium magnum, cui adjacebat, interclusum fuit.

CAPUT XXXII.

De Ecclesia Deiparæ Ἀχειροποιήτου.

DEiparæ sacratas ædes plures Constantinopoli fuisse, variis diversorum Scriptorum auctoritatibus testatur laudatus Du Cange in dicta Constantinopoli Christiana lib.4. §.2. Ea tantummodo describemus, quæ a nostro Imperatore constructa fuisse comperimus. Prima loco citato n. 5. sese offert, quæ sub denominatione Ἀχειροποιήτου erat, in qua Beatissimæ Virginis imago Ἀχειροποίητος dicta, scilicet non manu facta, visebatur, quam Græci sic appellabant, eò quia ab ipsius B. Virginis delineatam manu fuisse arbitrabantur; quæ a Gregorio in Vita S. Basilii Junioris num. 8. ita describitur: *Orationis porrò causà abire volo in Monasterium non manufactæ* (imaginis) *quam nemo fabricatus est; sed & ipsa Deipara præsens operi, manu suà sui figuram efformavit, in hunc usque diem conservatam, ad eamque proinde multa divinæ virtutis signa fiunt, illuc cum fide accedentibus*. Hanc construxisse ædem, Codini auctoritate, Magnum Constantinum, asserit laudatus du Cange.

CAPUT XXXIII.

De Templo Deiparæ in Ῥάβδον, *videlicet in* Virgam *Constantinopoli.*

ALterum eidem Deiparæ Virgini Templum a sæpelaudato Constantino in nova Roma ædificatum fuit, cui nomen Ῥάβδου inditum, eò quia in eo τοῦ Μωσέως ἡ ῥάβδος, videlicet *Moysis Virga* fuit reposita, deinde in Palatium Augustus transtulit, ut a Codino narratur. Hanc ego Virgam eandem esse crediderim, quam quæ pluribus abhinc sæculis in Sacrosancta Lateranensi asservatur Basilica, illuc ab aliquo Imperatore dono missa, aut quoquo alio modo translata. De ea fit mentio a Joanne Diacono in libro, qui inscribitur, *De supremo Sanctuario Basilicæ Lateranensis*, quem quingentis ab hinc, & ultra exaravit annis. Ibi enim inter reliquias sub majori Altari conditas hæc eadem enumeratur Virga, notaturque in quibusdam antiquis carminibus Musivo opere expressis, quæ in marmorea extant tabula, olim in abside, nunc verò extra absidem sita;

sita; carmen, quo Virga significatur, sic se habet.

Quæ silicem fregit, & aquas undare coegit.

At hæc uberiori calamo prosequutus est Rasponus lib.1. cap.10. Templum hoc prope Constantinopolitanæ Urbis muros attollebatur, quà mare prospicitur, non procul a Sancti Æmiliani porta.

CAPUT XXXIV.

De Ecclesia Deiparæ in Stigmate Constantinopoli.

TErtium hoc Templum in Deiparæ honorem a Magno Constantino constructum fuisse reperimus in Stigmate denominatum. Hoc autem progressu temporis varias vicissitudines expertum fuit. Nam, ut refert Codinus, Justinianus illud renovavit. Postea Basilii Macedonis tempore magno terræmotu collapsum, in splendidiorem, augustioremque formam Basilius ipse restituit. Cùmque eadem Regia Urbs crebris obnoxia sit terræmotibus, iterum Templum hoc terræ fragore, Basilio Bulgaroctono imperante corruit, ut scribunt Scylitzes, & Glycas. Tunc verò in propriis ruinis jacuisse pro certo habendum est, cùm de illius reædificatione nulla penitus reperiatur apud Scriptores memoria.

CAPUT XXXV.

De Templo B. Mariæ, sive S. Theclæ Constantinopoli.

QUanta erga Deiparam Constantini religio, ac devotio fuerit, satis, superque testari possunt quatuor sacra ædificia ab eodem in illius honorem in hac celeberrima, inclytaque Orientalis Imperii sede constructa. Horum tria jam suprà descripsimus, superest quartum, quod τὰ κεντάρια dictum fuit, scilicet in Hastis. Cùm verò Deiparæ denominaretur, utpote ei sacrum, Justinus Curopalata vetus S. Mariæ, in S. Theclæ nomen convertit, ut habet Codinus, & Auctor Collectaneorum C. P. idem fortè, quod ab eodem Justino renovatum, scribit Zonaras: καὶ τὸν τῆς ἁγίας πρωτομάρτυρος Θέκλης (ναὸν) ἀνεκαίνισε, *& Templum S. Protomartyris Theclæ renovavit.* Hæc ex Du Cange lib. 4. §.7. n.28.

CAPUT XXXVI.

De Ecclesia S. Michaelis extra Constantinopolim in Anaplo, seu Sosthenio, sive Hestiis nuncupata.

HUjus Ecclesiæ fundationem satis luculenter Nicephorus libro 7. cap. 50. his describit verbis: *Sed & in trajectu, & in loco eo, qui Sosthenium vocatur, Ecclesias duas Archangelo Michaeli extruxit: in quibus splendidè exornandis, ad Imperialem magnificentiam nihil omisit. Mihi verò molestum non fuerit Historiæ huic inserere earum structurarum causam, & unde loco ei Sosthenii nomen sit impositum.*

tum . Memoriæ namque proditum eſt , Argonautas Græcorum cùm ad eum quoque locum perveniſſent, prædari, atque diripere regionem eam cœpiſſe : & ab Amyco , qui ibi rerum tum potiebatur , in fugam verſos , palantes in quendam nemoroſum , & incultum , propter denſitatem arborum , locum proſugiſſe ; ibique eis latitantibus, virtutem cœlitus adveniſſe, viri ſpecie , alas veluti aquilæ in humeris habentis , victoriamque adversùs Amycum oraculo denunciaſſe . Illos porrò id ſequutos cum illo conflixiſſe ; victoriam reportaſſe, ipſumque unà cum copiis ſuis concidiſſe . Atque ut gratiam viſioni ei referrent , fanum eos , & Statuam , eà , quæ eis apparuerat , formà , in loco eo excitaſſe , nomenque regioni Soſthenium indidiſſe , quòd ſcilicet robore ibi accepto ſalvi evaſiſſent. Eam Statuam laudatiſſimus Princeps Conſtantinus , cùm in eam oram neceſſaria de cauſa divertens vidiſſet, familiaribus, comitibuſque ſuis rem talem expoſuit ; regionemque eam cum ſtupore admiratus , ibi manſit . Somni porrò capiendi tempore aſſiſtens illi viſio Statuæ ejus ſimilitudine : Ego , *inquit* , ſic ſum Michael Archidux Domini Sabaoth Virtutum , Chriſtianorum fidei tutor, qui tibi contra impios Tyrannos belligeranti , fideli , & germano illius miniſtro , auxiliaria arma contulit. *Itaque e ſomno excitatus , regionem eam pulcherrimè excoluit , & Arà Imperiali , magnificà manu , & liberalitate in parte Orientali conſtructà , celeberrimum id Templum civibus ſimul , & advenis reddidit . Maximè tamen ſacram eam ædem apparitionibus ſuis illuſtravit Archangelus .* Poſtea horum locorum ab ea Urbe diſtantiam referens, ait : *Ora autem hæc ad dexteram partem ex Ponto Conſtantinopolim naviganti , conſiſtit , circiter ſtadia triginta quinque ab ea , maritimo itinere ; ſeptuaginta verò inſuper pedibus fretum , quod in medio eſt circumeunti diſtans.* De hac ambarum ædium ſtructura meminit etiam Procopius lib. 1. de Ædific. capite 8. ubi ſic : *Templa duo Michaeli Archangelo ſacra , ſibique adverſa hinc inde freto imminebant , quorum alterum erat in Anaplo ad lævam navigantium in Pontum Euxinum , alterum in oppoſito littore .* Ab hoc Soſthenii etymo relato a Nicephoro diſſentit Du Cange in ſua Conſtantinop. Chriſt. lib. 4. §. 15. num. 32. ubi hujuſce vocis apud antiquos Scriptores nullam omninò mentionem reperiri aſſeverat .

CAPUT XXXVII.

De Eccleſia S. Michaelis πρὸ ὄχθȣ, ſcilicet in Promontorio extra Conſtantinopolim .

CUm jam ſuprà Eccleſiam S. Michaelis in Anaplo deſcripſerimus; ejus occaſione, alteram πρὸ ὄχθȣ enarrare deberemus; at quia de iſta nil aliud præterquam ejus nominis, ex notis Langii in eundem Nicephorum loco citato, reperimus mentionem , ideo ad alias deſcribendas tendimus.

CAPUT XXXVIII.

De Eccleſia S. Mocii .

INclyti hujus Conſtantinopolitani Templi conſtructio , mirum quàm dubia reddatur a Scriptoribus , nam alii narrant , Templum hoc a noſtro Imperatore fuiſſe conſtructum , alii verò aſſerunt, non quidem a fundamentis

mentis ædificatum fuiſſe, ſed cùm inanium Deorum eſſet fanum, in quo Herculis, aliorumque ridiculorum Numinum ſimulacra erant, illis disjectis, ab omni ſuperſtitionis ſorde expurgâſſe, ac S. Mocio, qui Byzantii Martyr occubuit, dedicâſſe. De hoc celebri Templo plura leguntur apud incertum Græcum Authorem, nuper Latinitate donatum a Cl. Viro Combefiſio, cujus Auctoris verba in Latinum ſermonem verſa ſic ſonant: *Sancti Mocii Templum a Conſtantino Magno pridem exſtructum eſt, cùm plures Græci illic habitarent, ac tum cùm ille Templum exſtruxit, Jovis ibi ſanum extaret. Theodoſio autem Magno Imperatore, pulſi Eccleſiis Ariani, cùm ad Sancti Mocii Templum veniſſent, ac locus placuiſſet, porrectà Imperatori ſupplicatione, ut ibi eis liberum eſſet habitare, Principis clementià rem obtinuere. Statim ergo illud idem Templum excitantes divinum ipſum laudibus annos ſeptem frequentarunt: annoque demum ſeptimo, iiſdem adhuc, ut fama eſt, ſacris operantibus, corruens, Arianorum turbam plurimam inter ruinas oppreſſit. Juſtiniano autem Imperatore, idem rurſus Templum excitatur, hodieque perſtat incolume. Marcellus Lector ſcribit, anno demum Imperii Cononis Iſauri ſecundo Templum corruiſſe*. Plura etiam de hoc eodem refert memoratus Du Cange in ſua Conſtantinopoli Chriſtiana lib. 4. §. 6. numer. 65.

CAPUT XXXIX.

De Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ.

SÆpe laudatus Du Cange, inexhauſtæ lectionis vir, cùm non ſolùm in impreſſis, verùm etiam in Mss. codicibus lectitandis per plurima luſtra operam dediſſe audiamus, ut ejus eruditi labores teſtantur, in ſua Conſtantinopoli Chriſtiana ſæpecitata lib. 4. §. 4. num. 9. cujuſdam Eccleſiæ meminit a Conſtantino Magno excitatæ in honorem S. Joannis Baptiſtæ; ut in Originibus Conſtantinopolitanis ineditis ipſe reperit: hujus autem ædificii, quod ſciamus, nil aliud ſupereſt, niſi quòd muris terreſtribus incumberet.

CAPUT XL.

De Templo S. Acacii ἐν Καρύᾳ, *in Carya olim dicto.*

PEculiarem ſuam venerationem erga S. Acacium, qui Martyrium Byzantii ſub Diocletiano immaniſſimo Chriſtiani nominis hoſte complevit, Conſtantinus Cæſar oſtendit, dum in ejus honorem ædem Conſtantinopoli in Heptaſcalo ædificavit, ut ſuprà allatus Codinus author eſt. Plures quoque Græci Scriptores de hoc Templo verba fecêre. Præcipuè verò id factum enarrat Macedonius Patriarcha Conſtantinopolitanus, a quo Conſtantini Cæſaris corpus e Baſilica SS. Apoſtolorum, ruinam minitante, tranſlatum fuit. Hiſtoriam hanc, quæ ſcitu quidem digna videtur, Nicephorus lib. 9. cap. 42. ſic exequitur: *Tem-*

Templum, in quo urna, & corpus Constantini situm erat, ruinam minabatur, atque ubi custodibus ejus, & Sacerdotibus ea de causa non minimus incessisset metus, Macedonius Imperatoris ossa in alium transferre locum volebat. Eà re cognità multitudo tumultuari cœpit, nefas esse vociferans, Magnum Imperatorem ita transferre, quòd ea res nihil a sepulchri violatione differret. Cum quibus verbis etiam concordabant dogmatis Nicæni Professores, contumeliam Imperatoris translationem eam esse putantes. Ad id accessit, quòd de industria Macedonio adversarentur. Ille autem verbis hujusmodi contemptis, corpus in Templum transfert, ubi etiam cadaver Acacii Martyris est sepultum. Quod cùm fieret, ingens est populi inter se dissidentis facta concursatio. Atque his factum laudantibus, illis autem reprehendentibus, primùm quidem injuriam arcentes se tuebantur. Deinde verò alteri in alteros conversi, eò vecordiæ processerunt, ut & eam ipsam ædem sacram, & proximum in circuitu locum sanguine, & cædibus compleverint. Imperator autem in Occidente adhuc degens, ubi quid de Paterno sepulchro actum esset intellexit, gravi id tulit animo. Et Macedonio, injurià ab eo affectum esse Patrem, qui illum præter voluntatem suam transferre ausus fuerit: ipsum quoque cædis tantæ multitudinis causam esse, denunciavit. Cur autem Templum hoc in Carya denominaretur, scribit Socrates lib. 6. cap. 23. ubi: *Constantinopoli*, ait, *ædes est amplissima, quæ Carya cognominatur, propterea quòd in ejus atrio nux est arbor, in qua Acacius Martyr olim suspensus Martyrium consummasse fertur. Quam ob causam parva etiam Basilica juxta illam arborem ædificata est*. Procopius verò lib. 1. de Ædif. Justiniani cap. 4. hujusce Templi denominationem fuisse immutatam demonstrat, appellatumque S. Acacii, cùm idem jam deciduum Justinianus Imperator splendidè restauraverit.

CAPUT XLI.

De Ecclesia S. Æmiliani.

Cum Constantinus Magnus Ecclesiam S. Æmiliani perexiguum Oratorium esse videret, eique in proximo Ecclesiam Deiparæ ædificâsset, quæ in Rhabdon appellabatur, de qua nuper loquuti sumus, hanc quoque in ampliorem, longèque speciosiorem formam redegit, ut apud Codinum videre est. Ab hac æde, vicina ejus Urbis porta S. Æmiliani nomen accepit. Eadem verò Ecclesia plurium annorum lapsu debilitata, a Basilio Macedone restaurata fuit.

CAPVT XLII.

De Ecclesia in Agalmata, sive in Statuas.

Præter allata, aliud quoque splendore, ac magnificentiâ par cæteris Templum a Constantino Magno excitatum fuisse accepimus ex Du Cange lib. 4. §. 8. n. 5. cujus notitiam sumpsit ex Originibus C. P. ineditis, ubi hæc habentur: Ἐκ τοῦ ἁγίου Μωκίου, καὶ τοῦ ἁγίου Μηνᾶ ἐδίωξε τὰ Ἀγάλματα (Constantinus M.) καὶ ὠνόμασε τὸν ναὸν οὕτως. τὴν δὲ πλείαν αὐτοῦ ἀνοικοδομὴν ἐποίησε Πουλχερία, καὶ Μαρκιανὸς κατὰ ρξέ χρόνους προστιθεὶς ἱερὰ σκεύη, καὶ προάστεια. *Ex S. Mocii, & S. Menæ Templis transtulit* ἀγάλματα *Statuas* (Constantinus M.) *& no-*

& nominavit Templum sic. Perfectam verò ejus reædificationem fecerunt Pulcheria, & Marcianus post centum sexaginta quinque annos, apposueruntque vasa sacra, & suburbia.

CAPUT XLIII.

De Ecclesia S. Stephani prope Sigma.

SAncti Stephani ædem prope Sigma, πλησίον τοῦ Σίγματος, excitavit Constantinus Magnus. Hanc postmodum Leo Philosophus ad minorem formam redegit, & materiam, columnas, marmora, & Musiva in Ecclesiam omnium Sanctorum, a se ædificatam, transtulit. Ita Codinus pagina 62. qui alio loco scribit, eundem Constantinum eò habitandi causâ hiberno tempore secedere solitum: καὶ τὸν ναὸν τοῦ ἁγίου Στεφάνου ὅπερ εἶχε χειμερινὸν κοιτῶνα, ἀνήγειρε. *Et Templum S. Stephani, in quo habebat cubiculum hibernum, excitavit.* Origines C.P. Mss. Τὸν δὲ ἅγιον Στέφανον τὸν ὄντα πλησίον τὸ σίγμα ὁ μέγας Κωνσταντῖνος ἀνήγειρεν. ὁ δὲ Λέων ὁ βασιλεὺς ἐποίησε μικρὰν, καὶ τὴν ὕλην πᾶσαν τῶν χρυσῶν ψηφίδων, καὶ ποικίλον λίθων, καὶ τοὺς κίονας ἀπέθετο εἰς τοὺς ἁγίους Ἀποστόλους διὰ τὴν τῆς γυναικὸς αὐτοῦ θαυματουργίαν, καὶ ἁγιότητα, τῆς πρώτης λέγω θεοφανοῦς τῆς ἁγίας, καὶ Θαυματούργου βασιλίδος· ἐκεῖσε δὲ κεῖται ὁ ἅγιος Ἰσαάκιος. *Sanctum verò Stephanum, qui est prope Sigma, Magnus Constantinus excitavit. Leo autem Imperator in parvum redegit, & omnem materiam aurearum gemmarum, & variorum lapillorum columnas contulit ad Sanctos Apostolos, propter ejus uxoris miracula, & sanctitatem, primæ, inquam, sanctæ, & admirabilis Reginæ divinam speciem referentis. Illic autem requiescit Sanctus Isaacius.*

CAPUT XLIV.

De Templo S. Menæ Martyris.

INter sacra ædificia a piissimo Imperatore Constantinopoli excitata, præsens meritò connumerandum venit; quod licèt a fundamentis constructum minimè fuerit, nihilominus cùm Idolorum esset fanum, ejectis simulacris, Deo vero, in S. Menæ honorem, noster Cæsar dicari voluit. De hoc eodem Templo narrat Codinus, Jovi primùm sacrum fuisse, suâque adhuc ætate (floruit autem Codinus sæculo XIV.) in marmoreis arcubus, qui duabus columnis ingentibus sustentabantur, Jovis & Saturni Statuas superfuisse. Hesychius verò Milesius, non Jovi, sed Neptuno sacrum fuisse scribit: Ποσειδῶνος τε τέμενος πρὸς τῇ θαλάσσῃ ἀνήγειρεν ἔνθα νῦν ὁ τοῦ μάρτυρος Μηνᾶ οἶκος διαφανεκόσμηκαι. *Et Neptuni Delubrum versùs mare excitavit, ubi nunc Martyris Menæ domus constructa est.* Quare Gyllius libro 11. capite 24. *Ex hujus inconstantia*, ait, *nihil aliud assequi possum, nisi mihi verisimiliùs videtur Templum Menæ in his partibus Acropoleos, in quibus olim fuit Templum Neptuni, cùm ex Dionysio Byzantino antiquissimo Scriptore tradente, paulò supra promontorium Bosphorium fuisse Egressoriæ Minervæ aram, & Templum Neptuni, & sub Templo Neptuni intra muros fuisse stadia, & gymnasia, &c.* Hæc summatim de hoc ædificio, plura apud laudatum Du Cange loco citato.

CAPUT XLV.

De Ecclesia S. Metrophanis.

PRimus, qui Constantinopolitanam, Episcopalemque occupaverit Sedem, S. Metrophanes Byzantii Episcopus, Probique Imperatoris nepos fuit. Hic dum Byzantii Episcopalem regeret cathedram, ut in Chronico Alexandrino habetur, noster Augustus Constantinopolim Urbem ædificavit, Ecclesiamque hanc construxit, ut Codinus pag. 62. scribit, quæ successivè a Justiniano Imperatore instaurata fuit. De ea nullam aliam reperimus memoriam, ideò ad sequentes calamum convertamus.

CAPUT XLVI.

De S. Procopii Templo.

PRocopianam ædem τὴν χελώνων dictam, scilicet a regione, in qua eam noster Imperator construxit, narrat laudatus Codinus pag. 39. Hanc eandem ædem laudatus Du Cange censet esse illam, quam renovavit Zeno Isaurus Imperator.

CAPUT XLVII.

De Ecclesia S. Romani.

A Beata Helena hanc Ecclesiam ædificatam fuisse scribit citatus Codinus pag. 49. Collapsam reædificavit Basilius Macedo, ut narrat Porphyrogennetus in illius Vita cap. 54. Si cupis scire, quisnam iste S. Romanus fuerit, adi laudatum Du Cange.

CAPUT XLVIII.

De Ecclesia S. Theodori.

ECclesiam hanc τῦ Κλαυδίυ appellatam, ac a B. Helena constructam fuisse tradit sæpelaudatus Codinus pag. 38. Nil aliud de ea præter memoriam superest.

CAPUT XLIX.

De Templo S. Euphemiæ in Hippodromo.

HUjus Sanctæ Templum ἁγίαν Ἐυφήμιαν τὴν ἐν Ἱπποδρόμῳ, scilicet in Hippodromo, sive juxta Hippodromum conditum, pretiosisque marmoribus exornatum fuit a Magno Constantino, quod postmodum a Constantino Copronymo in Armentarium, ac sterquilinium conversum fuit, projectis in mare Sanctæ Euphemiæ reliquiis. Plura si cupis, adeas Du Cange.

CAPUT L.

De Monasterio Gastria appellato.

SI Originibus Constantinopolitanis ineditis, ac a laudato Du Cange relatis fides sit adhibenda, Monasterium hoc ab Helena, nostri Imperatoris matre, constructum asseritur; nihilominus nonnulli alii Scriptores alios ipsius Monasterii constructores assignant, qui videri possunt apud laudatum Du Cange.

CA-

CAPUT LI.

De Homoneà, seu Concordiæ Oratorio.

PUtant aliqui, ut refert sæpè citatus Du Cange, Imperatorem nostrum in nova a se condita Vrbe, similia fermè publica ædificia construxisse iis, quæ Romæ habebantur, ædemque pariter Concordiæ excitâsse; nam hac in Vrbe Concordiæ ædes excitata olim fuerat, quam deinde eodem Constantino imperante, vetustate collapsam in meliorem formam S. P. Q. R. restituit, ut docet Inscriptio apud Gruterum pag. 100. n. 6.

CAPUT LII.

De Ecclesia S. Crucis.

SUpracitatum Alexandrinum, sive Paschale Chronicon aliam nobis suggerit ædem a nostro Cæsare constructam. Sic enim in Olympiade 278. de hujusmodi Templo fit mentio.

CCLXXVIII. OLYMPIAS.
XXVIII. Ind. VI. Dalmatio, & Anicio Paulino Coss.

His Coss. facta est Dedicatio Ecclesiæ Sanctæ Crucis, quam Constantinus Magnus ædificaverat, temporibus Macarii Episcopi (Hierosolymitani) die XVII. mensis Septembris. Atque hinc deinceps initium accepit Festum Apparitionis Sanctæ Crucis.

CAPUT LIII.

De Monasterio S. Diomedis Constantinopoli.

SAncti Diomedis Monasterium a Constantino Magno ædificatum narrat Codinus pag. 51. Exinde Basilius variis donariis, ac ingentibus redditibus locupletavit, uti Porphyrogennetus in ejus Vita cap. 52. & ex eo Scylitzes pag. 586. scribunt, ea de causa, quam tradunt idem Porphyrogennetus cap. 7. Simeon Logotheta in Michaele num. 11. Leo Grammaticus, & Zonaras. Origines C.P. Mss. Τὸν ἅγιον Διομήδην ἔκτισεν ὁ μέγας Κωνσταντῖνος· ὁ δὲ Βασίλειος ὁ Μακεδὼν ἀνήγειρε τοῦτον, καὶ ἐκαλλώπισε, καὶ ἀπεχαρίσατο κτήματα, διὰ τὸ τὴν ὀπτασίαν τῆς βασιλείας ἐκεῖσε ἰδεῖν αὐτόν. *Sanctum Diomedem condidit Magnus Constantinus, Basilius verò Macedon hunc excitavit, & ornavit, & largitus est ei opes, propterea quod ipse vidit illic Regni visionem.* Illius etiam meminit Theophanes anno 36. Justiniani. Huic ædi adjacuisse carcerem auctor est Nicetas in Alexio Man. F. Εἰς τὴν τοῦ ἁγίου Διομήδους μονὴν περί τινα ἐκεῖ που στενοτάτην οὖσαν εἱρκτὴν ἀκλεῶς ἀπάγεται. *In quemdam S. Diomedis carcerem solum illò, ubi angustissimus est, ingloriè abducitur.* Atque inde *Carcer Diomedis* appellatur in Historia exilii S. Martini Papæ, & Martyris, ubi in Prætorio Præfecti, Urbis nempe, extitisse dicitur: *Conjecerunt eum in unum carcerem cum homicidis, & post unam quasi horam tulerunt eum inde, & transposuerunt in eam, quæ dicitur Diomedis custodia, in Prætorio Præfecti.* Hypomnesticum de Anastasio Apocrisiario. *Cùm adhuc essent Byzantii in custodia Prætorii Præfecti, quæ appellatur Diomedis.*

CAPUT LIV.

De Ecclesia SS. Salvatoris in Civitate Nicomediæ Provinciæ Bithyniæ Metropolis.

NIcomedia Bithyniæ Provinciæ Urbium caput, quorumdam Romanorum Imperatorum Sedes, non mediocre splendoris sui incrementum accepit ex quodam eximiæ speciei, ac molis Templo, quod inibi Constantinus ædificavit, ut tradit Eusebius de Vita Constantini lib.3.cap.50.sequentibus verbis: *Urbem verò primariam Bithyniæ, pulcherrimæ, & magnificentissimæ Ecclesiæ monumento exornavit, erectis proprio sumptu in honorem Servatoris sui, eo etiam in loco tropæis victoriæ, quam de hostibus, & de adversariis Dei retulerat*. Nempe de Licinio, quem in eadem Vrbe obsessum, ad deditionem coegerat. Ipsumque hoc repetit idem Historicus in Orat. de Laudibus Constantini cap.9.ubi sic: *Urbem totius Bithyniæ facilè principem amplissimà, & pulcherrimà exornans Basilicà.*

CAPUT LV.

De Templo Antiochiæ condito.

ANno Imperii sui 22. necnon reparatæ salutis 329. Magnus Constantinus Antiochiæ Templum Domino, quod Aureum appellatum fuit, cœpit ædificare; ut in Eusebii Chronico habetur; idem in Constantini Vita lib.3. cap.50. post fundationis Ecclesiæ Nicomediensis narrationem, sic suam prosequitur historiam: *In reliquis etiam Provinciis, præcipuas, ac nobilissimas quasque Urbes Oratoriorum magnificentià illustravit: exempli gratià Urbem totius Orientis Metropolim, quæ ab Antiocho nomen traxit, in qua tanquam in vertice omnium ejus regionis Provinciarum singulare quoddam opus, seu amplitudinem, seu decorem spectes, Deo consecravit. Quippe universum Templum longissimo extrinsecùs ambitu circumscripsit. Interiùs verò Basilicam ipsam ad summam erexit altitudinem; figurà quidem octahedri constructam, plurimis verò circumquaque cubiculis, & exhedris, & tam subterraneis locis, quàm solariis undique circumdatam. Quam quidem Basilicam auro plurimo, & ære, aliisque pretiosis speciebus copiosissimè exornavit*. De hoc eodem Templo meminit Abul-Pharajius Arabs in sua Historia Dynastiarum pag.85. sic scribens: *Struxit* (scilicet Constantinus) *etiam Antiochiæ Templum octogonum nomine B. Virginis*.

CAPUT LVI.

De Templo in Constantina Civitate Numidiæ.

ALiud quoque Templum ab eodem Imperatore constructum fuisse in Constantina Civitate Numidiæ Provinciæ suggerit nobis Historiæ Ecclesiasticæ Parens eruditissimus Baronius ad annum 316. num.61. & seqq. ubi Donatistarum in Catholicos rabiem referens, eorundem Donatistarum reditum, ac Basilicæ invasionem describit, quam quidem Basilicam in eadem ConstantinaCivitate adhuc Cathecumenus idem Constantinus ædificandam curaverat. Eam autem Catholici privati, patientiâ Christianâ, jacturam ferentes, a turbis excitandis pe-

penitus abstinuerunt; petierunt tamen ab Imperatore, aliquem sibi locum attribui, qui Fisco addictus esset, ut inibi novam Ecclesiam ædificare valerent. Quibus supplicibus literis acceptis, commendatâque Christifidelium modestiâ, ad Præfectum Numidiæ rescripsit, se domum de propriis bonis cum omni jure suo Catholicæ Ecclesiæ donâsse, & ibi sumptibus Fisci Basilicam erigi præcepisse. En accipe ejusdem piissimi Imperatoris Epistolam super hac eadem re a laudato Baronio relatam loco citato n.62. ubi sic.

Constantinus Victor Maximus, ac Triumphator semper Augustus Zeuzio, Gallico, Victorino, Sperantio, Januario, Felici, Crescentio, Pontio, Victori, Babbutio, Donato Episcopis.

Cùm summi Dei, qui hujus mundi Auctor, & Pater est, cujus beneficio vitam carpimus, cœlum suspicimus, humanà etiam societate gaudemus, hanc voluntatem esse constet, ut omne humanum genus in commune consentiat, & quodam societatis affectu quasi mutuis amplexibus glutinetur: non dubium est, hæreses, & schisma a Diabolo, qui caput est malitiæ, processisse; & ideò quidquid ab hæreticis geritur, ejus instinctu fieri, qui eorum sensus, mentes, cogitationesque possidet, nulla dubitatio est: nam cùm ejusmodi homines in sua potestate redegerit, iisdem usquequaque dominatur. Quid autem boni efficere insanus, perfidus, irreligiosus, profanus, Deo contrarius, Ecclesiæ sanctæ inimicus potest, qui a Deo sancto, vero, justo, summo, atque omnium Domino recedens, qui nos constituit, & in hac luce produxit, qui spiritum ad vitam, quam carpimus, dedit, & qui nos id, quod sumus, esse voluit, & omnia suà voluntate perfecit, ad diaboli partem prono errore decurrit? Sed quia semel possessus animus a malo, necesse est doctoris sui operibus instare, ut ea perficiat, quæ æquitati, & justitiæ contraria videantur: idcirco ii, qui a diabolo possessi sunt, ejus falsitati, & nequitiæ obsequuntur. Non autem mirandum est, a bonis improbos discedere: nam sic rectè proverbio signatum est, Pares cum paribus congregari. Qui malo impiæ mentis infecti sunt, necesse est a nostra societate dissideant: Homo siquidem malus (ut Scriptura loquitur) de malo thesauro profert mala; bonus verò ex bono profert bonum.

Sed quia (ut dictum est) hæretici, & schismatici, qui bonum relinquentes, & malum sectantes, ea perficiunt, quæ Deo displiceant, diabolo, qui eorum pater est, adprobantur adhærere; rectissimè, & sapienter gravitas vestra facit, & secundùm sanctum fidei Dei præceptum ab eorum perversis contentionibus temperando, & iisdem remittendo, quod idem sibi indebitum, atque alienum usurpare contendunt: ne, sicuti est eorum perversitas maligna & perfida, ad seditiones usque prorumperent, & inter turbas, atque concentus sui similes incitarent; atque ita aliquid existeret, quod sedari non oporteret. Sceleratum quippe eorum propositum semper requirit diaboli opera perficere. Et ideo cùm a Sacerdotibus Dei per patientiam cum ipso suo patre superantur, sibi hi, qui cultores Dei summi, gloriam, illi verò damnationem comparant, & condigna supplicia: ex hoc quippe majus Dei summi existat, istiusque judicium, quòd eos æquo animo tolerat, & patientià condemnat, his omnia, quæ ab ipsis processerunt, sustinendo: Deus siquidem se omnium vindicem promisit. Et ideò cùm vindicta Deo per-

permittitur, acriùs de inimicis supplicium sumitur. Quod vos nunc famulos, & Sacerdotes Dei libenter fecisse cognovi: & satis gratulatus sum, quòd de impiis, & sceleratis, sacrilegis, & profanis, perfidis, & irreligiosis, & Deo ingratis, & Ecclesiæ inimicis, nullam vindictam poscitis, & ut iidem quid potiùs ad veniam pertineat, postulatis. Hoc est verè, ac penitus Deum nosse: hoc est præceptis insistere: hoc est fideliter credere: hoc est verè sentire: hoc est scire, quòd major vindicta in contrarios Ecclesiæ provocetur, cùm iisdem in sæculo parcitur.

Acceptà igitur Epistolà sapientiæ, & gravitatis vestræ, comperi, hæreticos, sive schismaticos, eam Basilicam Ecclesiæ Catholicæ, quam in Constantina Civitate jusseram fabricari, solità improbitate invadendam putasse, & frequenter tam a nobis, quàm a Judicibus ex nostra jussione commonitos; & reddere quod suum non erat noluisse: vos autem imitatores patientiæ Dei summi, eorum malitiæ placidà mente, ea quæ vestra sunt relinquentes, & potiùs locum vobis invicem alium, Fiscalem scilicet, poscere. Quam petitionem, more instituti mei, libenter amplexus sum: & statim ad Rationalem competentes dedi, ut domum bonorum nostrorum transgredi faciat cum omni jure suo ad dominium Ecclesiæ Catholicæ, quam promptà liberalitate donavi, ac vobis tradi protinus jussi: in quo tamen loco sumptu Fiscali Basilicam erigi præcepi. Ad Consularem quoque scribi mandavi Numidiæ, ut ipse in ejusdem Ecclesiæ fabricatione in omnibus sànctimoniam vestram juvaret. Lectores autem Ecclesiæ Catholicæ, & Hypodiacones, reliquos quoque instinctu memoratorum quibusdam pro mortuis ad munera, vel ad Decurionatum vocati sunt, juxta statutum legis meæ, ad nullum munus statui evocandos: sed & eos, qui ducti sunt hæreticorum instinctu, jussimus protinus molestis perfunctionibus absolvi. De cetero etiam legem meam super Ecclesiasticos Catholicos datam custodiri mandavi: quæ omnia, ut vestræ patientiæ palam fierent, harum literarum testificatione præscipta sunt. Et utinam quidem hæretici, vel schismatici aliquando suæ saluti providerent, & detersis eorum tenebris, ad visionem veræ lucis oculos aperirent, & a diabolo secederent, & ad Deum, qui unus, & verus, qui omnium judex est, vel serò confugerent: Sed quia constat, eos in sua malitia manere, & in suis facinoribus mori velle, sufficit iisdem commonitio nostra, & præcedens assidua cohortatio; si enim jussionibus nostris obtemperare voluissent, ab omni malo liberarentur. Nos tamen, fratres, sequamur, quæ nostra sunt, mandatis instemus, custodiamus divina præcepta, ex bonis actibus vitam nostram ab erroribus vindicantes, faventes Dei misericordià per rectum limitem dirigamus.

CAPUT LVII.

De Ecclesia Heliopoli.

Divino cultui, bonisque moribus asserendis apprimè salutare consilium fuit Imperatoris nostri, Basilicam in Civitate Heliopoli in Phrygia construendi. Consilii hujusmodi causa, Basilicæque constructio refertur ab Eusebio de Vita Constantini lib. 3. cap. 58. ubi hæc: *Inter præclara Imperatoris facinora fuit illud, quod in Urbe Phœnices Heliopoli ab eo gestum narratur. Gentiles quidem, qui obscænam libidinem Deæ Veneris vocabulo*

bulo afficiebant, uxoribus, ac filiabus suis stuprum impunè admittendi licentiam concedebant. Postea nova lex ab Imperatore directa fuit modestiæ plena, qua cavebatur, ne quidpiam eorum, quæ priùs in more posita erant, in posterum præsumeretur. Atque iterum scriptas institutiones illis misit, utpote ob hanc præcipuè causam a Deo destinatus, ut omnes mortales temperantiæ præceptis imbueret. Quocirca nec ad hos per scripta concionari dedignatus est, eos exhortans, ut ad veram Dei cognitionem devenirent: statimque sua dicta, factis confirmavit; cùm eo etiam in loco ingentem Christiani cultùs Basilicam construxisset; &, quod a prisca hominum memoria nullibi auditum fuerat, tunc primùm opere ipso completum est, & Urbs superstitioso cultui addicta, Ecclesiam Dei, & Presbyteros, & Diaconos habere meruit, & Episcopus summo omnium Deo consecratus, ejus Civitatis hominibus præfuit. Ad hæc Imperator providà mente prospiciens, ut quamplurimi ad Christi Fidem accederent, plurima ibidem ad pauperes sublevandos largitus est. Hac etiam ratione ad salutarem doctrinam homines alliciens, atque invitans, ac non solùm verba Pauli proferens, ita dicentis: Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur &c.

Hæc sunt, quæ de nostro inclyto, religiosissimo, ac piissimo Magno Constantino colligere potuimus, ex quibus clarè deduci valet, quanta ipsius erga divinum cultum, Christianamque Religionem fuerit devotio.

Sed ut ne minimum quidem, quod tanti Imperatoris magnificentiam testari valeat, in oblivionis tenebris delitescat, eique aliquid gloriæ detrahatur; donaria, quæ titulo Equitio a Beatissimo Sylvestro Papa erecto ille contulit, hìc in ejus liberalitatis erga Ecclesias, Christianamque Religionem signum, apponere opere pretium visum est.

Patena argentea pensans libras 20. *Scyphi argentei duo, qui pensaverunt singuli libras denas. Calix aureus pensans libras duas. Calices ministeriales quinque pensantes singuli libras binas. Amæ argenteæ duæ pensantes singulæ libras denas. Patena argentea Chrismalis auro clusa pensans libras quinque. Phara coronata decem pensantia singula libras octonas. Phara ærea* 20. *pensantia singula libras denas. Canthara Cerostrata* 12. *ærea pensantia singula libras tricenas. Fundus Valerianus in territorio Sabinensi, qui præstat solidos* 80. *Fundus Statianus in territorio Sabinensi, qui præstat solidos* 55. *Fundus duas Casas in territorio Sabinensi, qui præstat solidos* 40. *Fundus Percilianus in territorio Sabinensi, qui præstat solidos* 20. *Fundus Corbitanus territorio Corano, qui præstat solidos* 60. *Domus in Urbe cum balneo Sicinini regione, quæ præstat solidos* 85. *Hortus intra Urbem Romam in Regione ad duos adamantes, qui præstat solidos* 15. *Domus in Regione Orphea intra Urbem, quæ præstat solidos* 58. *& tremissem.*

Quæ de hoc sæpe laudato erga Christianam Religionem munificentissimo Imperatore scripsi, quæve narravi, benigne Lector, sereno accipe vultu, & si quid in hisce meis lucubrationibus omiserim, aut in aliquo erraverim, condona, quoniam ab erroribus immunis minimè sum, præsertim verò cùm me sæpissimè mea munera aliorsùm distrahant.

PAR-

PARERGON.

CAPUT LVIII.

De Musivis operibus in Sacello, sive loco, ubi B. V. Maria stabat cum Joanne, quando Salvator Cruci affixus fuit, extantibus.

DUm nostrum hoc opus de sacris Ædificiis a Constantino Magno constructis mensibus a nonnullis sub Censore manebat, supervenit Musivi operis exemplar e Hierusalem transmissum Reverendissimo Patri Fr. Bernardo Josepho a Jesu Maria Commissario, Procuratorique Generali totius Franciscanæ Familiæ Terræ Sanctæ in Romana Curia, de quo superiùs fati sumus, agentes de alio exemplari Musivi operis in Ecclesia Bethleemitana; & cùm eidem ob hanc curam, quam habet nobis hujusmodi obtinendi exemplaria, admodum adstricti simus, ideò honoris causâ eum denuò nominamus, ut magis erga eundem notus sit noster devinctus animus. Is ergo R. P. nuperum exemplar nobis communicavit, quod sub fornice Sacelli, sive loci, ubi B. V. Maria stabat cum Joanne, quando Christus Dominus noster Cruci affixus fuit, extat, de quo Quaresmius in suis Elucidationibus Terræ Sanctæ Tom. 2. lib. 5. c.39. peregr. 1. scribit, quòd Ascensionis Domini historia expressa est, in qua Christus ad Coelos ascendens versâ ad Occidentem facie cernitur, a quatuor comitatus Angelis, in parte verò Orientali stupentes Apostoli sunt, Salvatorem suum ascendentem in Coelum aspicientes, sequenti cum Inscriptione, quæ unicâ comprehensa lineâ Sacelli intersecat fornicem, sive cameram ab Aquilonari, usque ad Meridionalem partem.

VIRI GALILEI QVID ASPICITIS IN CELVM HIC IESVS QVI ASSVMPTVS EST A VOBIS IN CELVM SIC VENIET QVEMADMODVM VIDISTIS EVM EVNTEM IN CELVM.

Hæc tantùm habet Quaresmius, qui hanc prout jacet Inscriptionem abbreviatis refert characteribus, quod nos facere non valuimus ob Impressoris similium characterum inopiam. Hujus Musivi operis exemplar exponimus in annexa Tab. XXXIV. ubi quidquid Quaresmius verbis expressit, figurarum delineatione oculis cernere Lector valeat. Cùm ipsas nos sedulò observaremus figuras, nonnulla nostrâ in mente excitavêre dubia, quorum solutionem tentavimus, illiusque approbationem benigni Lectoris judicio relinquimus; utpote etiam amplissimum locum certiora interpretandi.

Primo igitur se offert loco Christus D. N. in cœlum ascendens, qui potiùs Patrem Æternum, formâ, quâ depingi solet, quàm ipsum Christum repræsentat; nam si ad faciem oculos intendamus, potiùs virum senem, quàm juvenem denotat. Diligentissimus Ecclesiasticæ historiæ pater Cardinalis Baronius ad annum 34. num. 148. indagat, quonam ætatis anno Christus D. N. obierit, concluditque 34. suæ ætatis



pag. 182.

ætatis anno crucifixum fuisse, multorum Patrum expendensis auctoritatibus. Nam nonnulli Patres hoc factum anno trigesimo primo, alii verò aliis annis usque ad quinquagesimum sunt opinati. Quare mirandum minimè est, si Pictor Christum ætate provectum appinxerit, cùm illorum sententiam fortè sequutus fuerit, qui ad senium vergentem Christum obiisse existimârunt. Ulteriùs prolixa barba minimè valet, ut certa dignosci valeat ætas. Nam Sacerdotum Judæorum, Nazaræorumque mos fuit, capillos, & barbam nutrire, ut Sacræ docent Literæ. De Sacerdotibus Levit. cap. 19. num. 27. *Neque in rotundum attondebitis caput, nec radetis barbam.* De Nazaræis autem Numer. cap. 6. n. 5. habetur: *Omni tempore separationis suæ novacula non transibit super caput ejus, usque ad completum diem, quo Domino consecratur, sanctus erit crescente cæsarie capitis ejus.* In hunc locum narrat Lorinus, quòd licet capitis expressâ mentione, videatur capillus tantùm intelligi, barba non item, de hac tamen omnes etiam intelligunt, & ad caput pertinere non dubitant. Varia de barbis prolixis texuit Joannes Pierius Valerianus, ad quem curiosum Lectorem plura de barbis scire cupientem, remitto. Notandum quoque est, Musivum opus ex parvis confectum esse lapillis; quamobrem eam venustatem, quam repræsentat, Pictura exhibere minimè potest, ut in nostro opere de Veteribus Monimentis Parte 1. cap. 12. fusè ostendimus. De hujus Musivi ætate, nempe ævo, quo constructum fuit, illiusve Auctore nihil reperire potuimus; conjicimus tamen, undecimum, vel duodecimum redolere sæculum; nam ex floribus, aliisque ornatibus, Bethlemico Musivo assimilatur, quod per isthæc tempora elaboratum fuit, ut nos suprà cap. 24. ostendimus. Addendum insuper est, admodum R. P. Emmanuelem a S. Clemente, qui hujus Musivi operis exemplar Hierosolymis Romam detulit, dixisse mihi, ita ex lampadum, aliorumque luminum fumo hoc Musivum esse obductum opus, ut in illo transcribendo uti candelæ lumine pernecesse fuerit: quare fortasse Pictor in transcribendo erravit, & Christum seniorem, quàm ipsa figura repræsentat, delineavit.

Secundum oritur dubium ex triangulari diademate (ut vulgò appellatur) retro Christi caput expresso, quod solùm Patri Æterno appingi solet. Cui dubio responderi posse judico, hoc ad Pictoris placitum fuisse expressum. Nam triangularis forma unicuique ex Personis Sacratissimæ Triadis convenit, cùm eædem sint in Essentia, nam earundem una est Divinitas, æqualis gloria, coæterna Majestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus; ut fusiùs habemus in Symbolo, quod sub Athanasii nomine circumfertur. Cur autem diadema in Christi, Sanctorumque capite exprimatur, exposuimus in dicto nostro opere de Musivis Operibus parte I. cap. 14. utpote etiam in cap. 26. ubi quid Globus in simulacrorum manibus expressus denotet, exposuimus.


Tertium quod accedit dubium est: ad Christi pedes duos observari Angelos baculum, seu quidpiam simile præ manibus tenentes; ne hoc etiam dubium intentatum relinquam, meam expono sententiam, quam jam expressi in eodem meo opere de Musivis Ope-

Operibus parte 1. cap. 15. erga finem, ubi dixi, antiquos Christi fideles omnem animi curam, ac studium impendisse, ut profundissima Apocalypseos mysteria, quoad fieri posset, publicè spectanda proponerentur, uti passim diversis in Musivis a me in eodem meo opere allatis observari valet. Quare Angeli sic expressi non baculos, sed arundines præ manibus tenent, ut in laudata dicitur Apocalypsi cap. 21. n. 15. *Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur Civitatem, & portas ejus*. Angelos similes arundines præ manibus tenentes exposuimus etiam in citato nostro opere de Musivis Operibus dictâ parte 1. cap. 20.

Post tertium, quartum sequitur dubium, videlicet, quòd tantùm novem numerantur Apostoli, & non undecim. Ex Marco enim cap. 16. n. 14. habemus: *Novissimè recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum, &c.* Et infrà n. 19. *Et Dominus Jesus, postquam loquutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet ad dexteram Dei*. Lucas verò capite 24. num. 36. ait: *Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere.* Et infrà n. 50. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus suis benedixit eis: & factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum*. Ergo ultra novem in numero erant. Dubium hoc alio modo solvere ignoro, quàm placitum, aut inscitiam Pictoris esse affirmando; cui satis fuit, nonnullos exprimere Apostolos, nullo habito ad eorum numerum respectu. Si benè expressi observentur, in eorum medio cernitur S. Joannes, qui sinistrum habet genu flexum, dexterum verò inclinatum. Eorundem Apostolorum vestes animadversione dignæ etiam censentur, quæ omnes sunt talares, ac unius Apostoli dextera, quam, prout indicem, elevatam habet; istius vestis Græcam Casulam, sive Planetam repræsentat, cujus Casulæ forma etiam apud Latinos eodem sæculo, quo præsens Musivum opus elaboratum fuit, in usu erat.

Suprarelatis quintum addo dubium, nempe quid denotet virga, seu baculus ille, quem tres tenent Apostoli? Cui dubio respondeo, baculorum gestationem ad corporis sustentationem adinventam fuisse, Beatumque Petrum Apostolorum Principem baculum gestavisse habemus ex ipsomet baculo, qui adhuc Treviri servatur, ut ostendi in meo opere de Veter. Monimentis par. 1. cap. 15. *De antiquo baculorum usu, eorumque symbolo*. Sumus enim viatores in hoc mundo. Hîc audio ab aliquibus mihi opponi, baculum in Musivo expressum brevioris apparere mensuræ, quàm ille, qui ad corporis sustentationem necessarius est. Cui objectioni respondeo, Pictoris fuisse inscitiam, utpote etiam illam superiùs expressam, quando appinxit arundinem in manu Angeli etiam brevem, cùm longiorem exprimere debuisset, ut observari potest in Musivo opere S. Agathæ Ravennæ, de quo nos fati sumus in nostro opere Veter. Moniment. parte 1. cap. 20. Hæc, quæ aliquâ animadversione digna erant, exposuimus: si plura benignus observaverit Lector, pro suo arbitrio, & eruditione supplere valebit.

CA-



lem Magnus
ſtit.
r magnas pa-
olum ſuſten-

araſtatæ, quæ
res ad Orien-
:identem ſu-

nperialis ſta-


eriorem por-

niana.
per quas ſoli
ulum thuri-
adſtabat por-

columnæ ex
arum diame-
quæ alias ſex
iorem porti-
it.
uli e quatuor
oribus, para-
uælibet duas
ſuper Ony-
nſidentes te-
columnis ſex
e ſuperiorem
iam ſemitho-

quatuor alias
habet.
veſtibulum,
patet ingreſ-
ntem, quin-
Septemtrio-
iciunt.
chlides.
rius veſtibu-
rthex appel-

O Magna


M
Q
Q
M
B
E
E
C
A
X
H
C
H
I
E
E
D
D
F
F
f
G
G
f
F
F
D
D
E
E
K
K
F
F
H
H
E
E
I
L
Q
M
F
N
F
F
N
F
M
R
Q
P
Q
T
S
V
S
T
T
Scala vulgo Toises
gallicę 20
10
20

CAPUT LIX.

De Ichnographia Templi S. Sophiæ Constantinopolis.

DEscripsimus suprà capite 25. inclytum Constantinopolitanum Templum S. Sophiæ a Magno Constantino constructum, & postmodum a Constantino ejus filio in eam, quæ hodie visitur, formam, reædificatum, sive redactum. Hujus celebris ædificii Clarissimus Vir Du Cange in sua Constantinopoli Christiana exemplar refert, cùmque aliud simile exemplar nobis communicaverit D. Abbas Ludovicus Sergardi, humanarum literarum cultor eximius, hocque in multis accuratiùs, quàm a Du Cange delineatum deprehenderim, duxi propterea idem publici juris facere, ut eruditus Lector genio suo magis indulgere valeat. Tabula igitur XXXV. hoc demonstrat exemplar, ubi crux magna Templi meditullium designat, super quod magnus imminet Tholus, cujus diameter ad octodecim *toises* Gallicas porrigitur. *Toise* autem Gallica est mensura pedum sex.

A Scilicet ✠ locus, ubi antiquitùs Ara erat.

B Locus, in quo Turcæ eorum falsæ legis codicem, Alcoranum denominatum, necnon eorum falsi Prophetæ tumuli culcitram custodiunt.

C Locus, in quo Turcarum Muphti, nempe eorundem primus a sacris faciundis, solennibus diebus falso Prophetæ Mahometi preces fundit.

Ɔ Janua, per quam Turcarum Magnus Dominus Templum oraturus ingreditur.

◠ Locus, in quo idem Magnus Dominus in oratione se sistit.

D Litera hæc quatuor magnas parastatas denotat, quæ Tholum sustentant.

d Quatuor minores parastatæ, quæ sex minores semitholos, tres ad Orientem, totidemque ad Occidentem sustentant.

Ͻ Locus, ubi olim Imperialis stabat thronus.

E Scalæ, quæ ad superiorem porticum præbent ascensum.

F Fenestræ, sive Meniana.

f Particulares scalæ, per quas soli Diaconi ascendebant populum thurificaturi, qui in superiori adstabat porticu.

G Quatuor magnæ columnæ ex integro lapide Ophite, quarum diameter est pedum quatuor, quæ alias sex minores columnas superiorem porticum formantes sustentant.

H Quatuor semicirculi e quatuor magnis, duabus verò minoribus, parastatis formati, quarum quælibet duas porphyreticas columnas super Onychinas quadratas bases insidentes tenent; singulæ duæ ex his columnis sex minores sustentant, quæ superiorem porticum formant, ac etiam semitholos sustinent.

I Regia Janua, quæ quatuor alias laterales ab utraque parte habet.

L Propilæum, sive vestibulum, ad quod per sexdecim loca patet ingressus, quorum novem Orientem, quinque Occidentem, unus Septemtrionem, alter Meridiem respiciunt.

M Quatuor scalæ Cochlides.

N Porticus, sive exterius vestibulum, quod antiquitus Narthex appellabatur.

O Magna quadrata turris, quæ olim pro campanarum uſu inſerviebat.

P Gradus, qui præbent deſcenſum ad hauriendam aquam per tubulos proſilientem, quæ in magna ciſterna, per totum ambitum Templi S. Sophiæ e ſuperioribus tectis deſcendens, congregatur.

Q Januæ exteriores Templi.

R Fontes, in quibus Turcæ ante Templi ingreſſum ſe purgant.

S Atrium ante Templum.

T Cubicula, quæ ſunt circa Atrium.

V Locus, in quo magnus aquæ cantharus eſt.

X Parvum octangulare Templum, quod olim pro Sacrario inſerviebat.

FINIS.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
IN HOC OPERE CONTENTORUM.

Ubi numerus primus paginam designat, secundus verò columnam.

A

B

C

Car-

D

Fran-

I

In-

Lel-

M

Mar-

Q

R

S

Tabulæ

T

V

gno

X

Xy-

F I N I S.

JOANNIS

JOANNIS CIAMPINI ROMANI

AD

EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM

VINCENTIUM MARIAM

S. R. E. PRESBYTERUM

CARDINALEM URSINUM

Archiepiſcopum Beneventanum (*)

DISSERTATIO HISTORICA

AN

ROMANUS PONTIFEX BACULO PASTORALI UTATUR.



EA eſt Eminentiæ Veſtræ in quacunque virtute proficiendi voluntas, ut illos, qui eam ſectari tentant, ſecum trahere cupiat. Utinam, Eminentiſſime Princeps, genere, & operibus verè talis, illâ præditus eſſem doctrinâ, qua me ornatum Emin. Veſtra prædicat; vix enim eam à limine ſalutavi. Fateor quidem, me illam aſſequendi cupidum eſſe; ſed animus promptus eſt, reliqua autem infirma; attamen Em. Veſtram, quæ ſolidæ virtutis, illius præſertim, quæ ad æternam ſalutem ducit, ſectatrix eſt, præ oculis habens, ſub tanto Duce, ſuis mandatis libens obſequor, atque adeò quicquid in moto dubio de Baculi apud Romanum Pontificem uſu obſervavi, Em. Veſtræ in obedientiæ, ac obſequii teſſeram exponere audeo.

Pro baſi igitur, & meæ Diſſertationis fundamine primo loco inquiram, quot nomina Paſtorali Baculo ab Antiquis fuerint attributa, & quot ſpecierum ipſe Baculus extiterit. Quod ad nomina igitur ſpectat, ſacrorum rituum Scriptores Paſtoralem Baculum, Pedum, Ferulam, & Cambutam denominâſſe comperio, quorum ſingulorum etymon indagare nunc opus eſt. De Baculo Iſidorus lib. 20. cap. 13. ſcribit, a Baccho, Vitium inventore, ſumpſiſſe nomen. De hac voce fuſiùs ſcripſi in meo Tractatu *de Veteribus Monimentis* Parte I. cap. 15. ideo ad Pedum tranſeo, quod a Sexto de verb. ſignif. definitur, Baculus incurvus, quo Paſtores utuntur ad ovium, aut caprarum pedes comprehendendos. Ferulæ verò præmemoratus Iſidorus Ety-

(*) Poſtea Benedictum XIII. Pontificem Maximum.

Etymologiarum lib. 17. cap. 9. duplex etymon exponit, nempe sic vocatam fuisse a medulla; nam *Ilum* Varro tradit esse ferulæ medullam, quam ἀσφόδελον Græci vocant; nonnullos verò a feriendo Ferulam dixisse. De Cabuta, seu Cambuta, refert eruditissimus Du Cange in suo magno Glos. vocem gallicam esse, ac Cambuccam, & Cambocam idem esse ostendit, quod etiam innuit Vossius de Vit. Lat. serm. scribens, perperam legi apud Durandum Sambucam. Brevissimè harum vocum ostensâ etymologiâ, modò ad species deveniendum censeo. Baculus Pastoralis idem, ac Pedum est, cùm incurvatus sit, ac sub Cambucæ nomine etiam, ut nuper diximus, comprehendatur. Ferula propriè planta est, quæ hominis altitudinem quandoque excedit; habet quandam similitudinem cum fœniculo, itaut a quibusdam plantarum ignaris fœniculum sylvestre credatur. Duo ejus genera esse asserit Plinius lib. 13. cap. 22. unum assurgens in altitudinem, & *Narthecam* a Græcis vocari: alteram verò semper humile, ac istud *Nartheciam* appellari, calidis nasci locis, atque trans maria, geniculatis nodatam scapis, nullique fruticum levitatem majorem esse, quæ ob id, gestatu facilior est, & baculorum usum senectuti præbet; unde Vates cecinit:

Calfacit, extenuat, ferula est baculusque senectæ.

Hujusmodi vilibus Baculis antiquitùs usos fuisse Episcopos indicavi in dicto meo Tractatu de Veter. Monim. Part. I. cap. 15. progressu verò temporis in aureos, & argenteos cessere, ut ex sacris vestibus arguere possumus, quæ priùs lineæ, & laneæ tantùm erant, modò sericæ, auroque, & argento contextæ. Cùm igitur antiquis temporibus Baculi lignei essent ex variis materiis fabrefacti, verisimile etiam est, quòd diversas habuerint formas, alii rectam, alii in capite curvam, sive globum habentem, alii verò ad formam magni T, sive Crociæ; temporis verò progressu & in pretio, & in forma distingui cœperint. Episcopi tanquam animarum Pastores retinuerunt Baculos in summitate curvos, quos Peda, sive Pastorales appellavere. Romani verò Pontifices rectum tantùm sibi attribuerunt Baculum, quem Ferulam a similitudine denominârunt, ut conjicere est in figuris a Macro in suo Hierolexico allatis in vocibus *Baculus Pastoralis*, & *Mitra*, ubi Baculi conspiciuntur recti, de quibus infrà; quòd autem potiùs Ferulam, quàm Pastoralem Pontifices elegerint, id factum censeo, quia Ferula apud Imperatores (licèt diversæ essent formæ) symbolum erat potestatis in subditos populos moderatè exercendæ, eos cum lenitate castigando, ut tradit Simeon Thessalonicensis sic inquiens: *Insuper etiam virgam assumit, non gravem quampiam, & duram, sed levem, & mollem, ut nimirum cum mansuetudine castiget, non verò cum iracundia, aut quavis pernicie, neque aut confringat, aut perdat.* Quæ omnia, si Imperatori convenire debent, multò magis Romano Pontifici Christi Domini exemplum sequenti, qui dixit: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.*

Quod hucusque indicavi, auctoritatibus fulciendum est.

Primam, quam adinveni, si picturæ

ræ fides præstanda sit, censeo D. Gregorii Magni imaginem esse a præmemorato Macro in verbo *Baculus Pastoralis* relatam, quam asserit in Cimelio clarissimi viri Alphonsi Ciacconii inventam fuisse. Iste S. Pontifex dexterâ tenet rectum Baculum, cujus in summitate est parva Crux. Vixit in fine sexti, & in principio septimi sæculi.

Secundam auctoritatem desumo ex Luitprando Scriptore decimi sæculi. Narrat hic in fine libri 6. suæ historiæ, Benedictum Quintum, aliàs Sextum, qui vixit anno 964. Apostolicam invasisse Sedem, Pontificiaque insignia usurpâsse, quæ postea dimisit, inter quæ Ferula connumeratur, quam Leo Pontifex accepit, ac fregit, fractamque populo ostendit in signum ablatæ potestatis.

Animadvertendum hìc est, quòd Luitprandus, tanquam Othoni Imperatori adhærens, Benedictum Pseudopontificem, Leonem verò legitimum appellat, cùm contrarium ex vera historia deducatur.

Colligo tertiam ex pictura Gelasii Secundi electi in Pontificem anno 1118. quam picturam refert Constantinus Abbas Cajetanus in ipsius Papæ Vita, afferens, eam se desumpsisse ex antiquo Codice Bibliothecæ Vaticanæ ipsius Gelasii tempore exarato. In hac pictura conspicitur Pontifex manu sinistrâ Baculum rectum tenens, in cujus summitate parvus est globus ovalis formæ.

Quartam suggerit Ecclesiasticæ Historiæ parens Cardinalis Baronius ad ann. 1100. referens Paschalis Secundi electionem, quam sic ex Anonymo recitat: *Deinde in Patriarchale ascendens palatium ad duas curules devenit. Hìc balteo succingitur cum septem ex inde pendentibus clavibus, ex quo sciat septem sigillis septiformem Spiritus Sancti gratiam cunctarum Ecclesiarum, quibus simul, Deo auctore, præest regimini in claudendo, aperiendoque tanta ratione providere debere, quantò solertiùs id, quod intenditur, operatur. Est locatus in utrisque curulibus, sedibus scilicet eburneis; data est ei Ferula in manu.* Patens igitur locus hic est de Ferula, quæ noviter in Pontificem electo tradebatur, quem modum continuasse usque ad sæculum XVI. ex Ritualibus deduco, ut infrà clariùs.

Ostendit nobis quintam auctoritatem Cencius Camerarius Cardinalis Sabellus, qui postmodum ad Petri Cathedram regendam evectus fuit, assumpto sibi nomine Honorii Tertii. Is Rituale descripsit, quod a R. P. Mabillonio in suo Museo Italico tom. II. ac Ord. XII. refertur, ubi pag. 211. sic narrat: *Ubi verò ventum est ante Basilicam ipsam, super cujus arcum, qui sustentatur de duabus columnis porphyricis, est imago quædam Salvatoris, quæ a quodam Judæo percussa olim in fronte sanguinem emisit, sicut hodie cernitur; idem electus sedet ad dexteram in sede prophyrica, ubi prior Basilicæ Sancti Laurentii de Palatio dat ei Ferulam, quæ est signum regiminis, & correctionis, & claves ipsius Basilicæ, & sacri Lateranensis Palatii, quia specialiter Petro Principi Apostolorum data est potestas claudendi & aperiendi, & ligandi atque solvendi, & per ipsum Apostolum omnibus Romanis Pontificibus, & cum ipsa Ferula & clavibus accedit ad alteram sedem similem, & ejusdem lapidis, & tunc reddit eidem priori tam Ferulam, quàm etiam ipsas claves.* Hæc Cencius.

Animadvertendum hîc est, eundem Cencium electionem Pontificis in Lateranensi Patriarchio fuisse factam supponere, ac post ipsius Patriarchii cum solitis cæremoniis adeptam possessionem, ejusdem Pontificis consecrationem, seu potiùs (ut credo) coronationem narrare, quæ in Ecclesia S.Petri cum pallii traditione fiebat.

Pro sexta affero alterum ab eodem Mabillonio relatum Cæremoniale, quod in ordine est XIII. Gregorii Decimi jussu editum. Floruit Gregorius anno 1271. In eo pag. 227. cæremoniæ, quæ in Pontificis electione peraguntur, descriptæ sunt; ibique narratur, quod Prior Diaconus Cardinalis portat Ferulam in manibus cum Diaconis, Subdiaconis, &c. Hoc igitur tempore ritus traditionis Ferulæ ipsimet Pontifici tacetur, qui fuerit ne observatus, necne, minimè colligere valeo, attamen ex infrà dicendis id afferam. Observo tamen, in hoc Ordine Ferulæ traditionem narrari post factam consecrationem, sive coronationem, quod contrarium est illi, quod in suprà laudato Cencii loco legitur, ut nuper indicavimus. At huic oppositioni facilè responderi posse existimo, Cencium electionem factam in Laterano, supponere: Ordinem verò Gregorii non in Laterano, sed alibi, fortasse etiam extra ipsam Urbem. Quare Ferulæ traditio differebatur ad solemnem in Laterano accessum; itaque hæc cæremonia antecedebat, vel sequebatur consecrationem, sive coronationem secundùm electionem factam in Laterano, vel alibi.

Septimam deduco ex alio simili Ordine Romano sub numero XIV. auctore Jacobo Cardinale Cajetano, qui floruit anno 1295. Sic in eo, numero 12. de Ferula mentio fit: *Et ibi per Episcopum, & Diaconum Cardinalem ad hoc assumendos, & per priorem Diaconorum, seu per priorem Basilicæ, qui & portat mitram, & anulum, & habet Ferulam: & ibidem electus in Papam induitur omnibus paramentis pretiosis, &c.* Et numero 20. itidem de Ferula mentio est; nempe: *Prior Diaconorum cum Ferula ordinat processionem*; & paulò infrà expresse legitur, quod Pontifici dabatur Ferula. Verba sunt: *Postea ducitur ab ipsis Cardinalibus per Palatium usque ad portam Ecclesiæ S. Silvestri, ubi sunt duæ sedes porphyreticæ, & Papa sedet in illa, quæ est ad dexteram: ubi prior Basilicæ Sancti Laurentii dat ei Ferulam, quæ est signum correctionis & regiminis, & claves ipsius Basilicæ, & sacri Palatii Lateranensis, in quibus significatur potestas claudendi & aperiendi, ligandi atque solvendi: & cum ipsa Ferula & clavibus accedit ad aliam sedem similem, quæ est ad sinistram, & tunc restituit eidem Priori Ferulam, & claves, & incipit sedere in illa sede secunda, &c.* In fine etiam XIII. sæculi Ferulæ traditionem in usu fuisse ex præfata auctoritate probatur.

Ad supradictum Cajetani Rituale accedit, quod pro octava auctoritate allego, alterum simile Augustini Patritii per errorem a quibusdam attributum Christophoro Marcello Archiepiscopo Corcyrensi, a quo Leoni Decimo Summo Pontifici dicatum fuit, ac postmodum Venetiis impressum, quodque in multis persimile est superiùs citato jussu Gregorii Decimi edito. Quare tam in Leoniano pag. 13. a tergo, Ferulæ mentio fit, quàm in Gregoriano, nempe quòd Prior Dia-

co-

conorum Ferulam gestabat; ac cùm ex auctoritate suprà allata Cajetani, Gregorio posterioris probatum sit, quod ibi pariter mentio fiat de Priore Diaconorum Ferulam gestante, & successivè de traditione ipsius Ferulæ electo in Pontificem facta; Ideo pro certo argui potest, hanc traditionis mentionem, tam in Gregoriano, quàm in Leoniano Ordine omissam fuisse, unde per hoc negativa minimè resultat.

Mea hæc conjectura cum iis, quæ scripta reliquit Paris de Crassis Cæremoniarum Magister, concordat: namque ipse suprà laudati Leonis Decimi possessionem Ecclesiæ Lateranensis describens, sic ait: *Postea itum est ad Cappellam S. Silvestri, & primò sedens quasi jacens Papa accepit a Priore Canonicorum claves primò, deinde Ferulam, in quo actu idem Prior cùm daret Ferulam dixit certa verba ad propositum illius actus, videlicet, dirigere, sanctificare, & regere; ut ego edidi in meo Libro Cæremoniali, & deinde illico Papa surgens ivit ad aliam sedem, & jacuit, &c.*

Demonstrato hucusque Ferulæ usu, sive traditione, superest modò inquirere, quonam tempore eadem traditio cessaverit, cùm nostris temporibus hujusmodi ritum in desuetudinem abiisse observemus. Nam in Sixti Quinti Lateranensis Ecclesiæ possessione nullam hujusmodi cæremoniæ memoriam adinveni. Conjicio propterea potiùs in desuetudinem abiisse, quàm illius mentionem a Cæremoniarum Magistro in ejusdem descriptione fuisse omissam. Cur autem cessaverit, Magistrorum Cæremoniarum Diaria silent. Nihilominus intentatam rem relinquere nolens, ita ex mea sententia arbitrando respondeo.

Cùm ex supracitato Baronii loco ad ann. 1100. deducatur, quòd in electione Paschalis Secundi Summi Pontificis, inter alias cæremonias, illa fuerit, in qua balteo Pontifex succingebatur cum septem pendentibus clavibus, ex quo sciret, septem sigillis septiformem Spiritûs Sancti gratiam cunctarum Ecclesiarum, quibus simul, Deo auctore, præest, regimini in claudendo, aperiendoque tanta ratione provideri debere, quantò solertiùs id, quod intenditur, operatur. Item ex præcitato Ordine Romano Cencii Camerarii in eodem allegato loco etiam hæc legantur: *Dum in secunda sede aliquantisper quiescit, cingitur ab eodem Priore zona rubea de serico, in qua dependet bursa purpurea, in qua sunt XII. sigilla pretiosorum lapidum, & muscus, &c. In zona notatur continentia castitatis, in bursa gazophylacium, quo pauperes Christi nutriantur, & viduæ. In XII. sigillis XII. Apostolorum potestas designatur: muscus includitur ad percipiendum odorem, ut ait Apostolus: Christi bonus odor sumus Deo, &c.* Ideo cùm nonnullæ ex præfatis cæremoniis jam a tempore antiquatæ fuerint, ut ex Magistrorum Cæremoniarum Diariis colligitur; aliæ verò superveniente Sac. Concilio Tridentino; propptereaque variæ Congregationes hac in Urbe pro reformatione morum, a Summis Pontificibus, præsertim a Paulo Tertio, fuerint institutæ, ut docet Cardinalis Sfortia Pallavicinus in sua historia Concilii Tridentini; fortasse in una ex illis de similibus cæremoniis tractatum fuit, & illas, quòd minùs necessariæ essent, vel ex aliis rationabilibus causis in posterum omitti decretum fuit. Sed hæc conjecturæ loco tantùm haberi velim, cùm

cùm revera nil certi de hac re affirmari possit.

Superest modò, ad omnes dubitationis nebulas, quantùm in me est, dissipandas, nonnullis argumentis, quæ in contrarium adduci possent, respondere.

Primum, & principale argumentum illud est, quod desumitur ex capite 62. de sacrificio Missæ, quod opus Innocentius III. Summus Pontifex publici juris fecit; ubi sic idem loquitur: *Baculus correctionem significat Pastoralem, propter quod a Consecratore dicitur Consecrato: Accipe Baculum pastoralitatis. Et de quo dicit Apostolus: In virga veniam ad vos. Quòd autem est acutus in fine, rectus in medio, retortus in summo, designat, quod Pontifex debet per eam pungere pigros, regere debiles, colligere vagos. Quod uno carmine versificator quidam expressit:*

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Romanus autem Pontifex pastorali virgà non utitur, pro eo, quòd Beatus Petrus Apostolus Baculum suum misit Eucherio primo Episcopo Treverorum, quem unà cum Valerio, & Materno ad prædicandum Evangelium genti Teuthonicæ destinavit. Cui successit in Episcopatu Maternus, qui per Baculum Sancti Petri de morte fuerit suscitatus. Quem Baculum usque hodie cum magna veneratione Treverensis servat Ecclesia. Id etiam innuit idem Pontifex scribens ad Patriarcham Constantinopolitanum, ut in cap. de sacra Unct. in fine, ibi: *Licèt Romanus Pontifex non utatur Baculo Pastorali, tum propter historiam, tum propter mysticam rationem; tu tamen ad similitudinem aliorum Pontificum poteris eo uti*. Tantæ auctoritati cum distinctione respondendum est; nempe: verum esse Romanum Pontificem Baculo Pastorali non uti, secùs autem esse de Ferula; & hoc probo ex supracitato Ordine Romano jussu Gregorii Decimi edito, in quo Pontificis electio distinguitur, scilicet facta de Episcopo, & facta de Presbytero, seu, &c. Si igitur electio facta sit de eo, qui non sit in Episcopum consecratus, oportet, ut consecretur: unde in eodem Rituali §. 6. ponitur formula, ubi dicitur, quod Electo non datur Baculus, nec dicitur illa oratio: *Accipe Baculum*. Cur autem Baculus ei non detur, causa illic minimè allegatur, quam tamen ego desumo ex glos. supracit. cap. De sacra Unct. in verbo Mysticam; ubi sic: *Mysticam rationem, quia Baculus habet in summitate recurvationem quasi ad trahendum, quod non est necessarium Romano Pontifici, quia nullus ab illo divertere potest. Finaliter: quia Ecclesia non potest esse nulla*, 24. *quæst. 1. pudenda in fin. vel quia per Baculum designatur correctio, sive castigatio, ideo alii Pontifices recipiunt a suis Superioribus Baculos, quia ab homine potestatem recipiunt. Romanus Pontifex non utitur Baculo; quia potestatem a solo Deo recipit.*

Quod de Baculo dicitur, non militat in Ferula: quia Pontifex istam, sive ante, sive post consecrationem, seu, ut diximus, coronationem recipit, in signum fortasse temporalis potestatis, ac jurisdictionis; quoniam cùm temporales Principes cum recto Baculo ad Ferulæ similitudinem appingantur, ut videre est in figura Caroli Magni relata a Patre Margherino in suis Inscriptionibus antiquæ Basilicæ Sancti Pauli Urbis; & in alia figura Caroli Calvi, ab eruditissimo viro

ro Stephano Baluzio relata in notis ad Capitularia Regum Francorum, pag. 1276. Ideoque cùm Imperatoribus, & Regibus poteſtatis ſymbolum ſit, eandem hanc poteſtatem etiam in Romanis Pontificibus denotare autumo, idque colligo ex more, qui adhuc ſervatur in ſolemni proceſſione feſti SS. Corporis Chriſti, quo tempore Diaconorum Cardinalium Prior, dum proceſſio inchoatur, ſedens ſtat in janua Palatii Apoſtolici animadvertens, & obſervans, an recto ordine proceſſio peragatur, præ manibus Baculum tenens longitudinis circiter trium palmorum, holoſerico obductum, qui Baculus imperium, ſeu dominium denotat, ſimilemque Baculum Almæ hujus Urbis Gubernator etiam in equitatibus in dominii ſignum ante ſe præferre ſolet. Prædictus Prioris Diaconorum Cardinalium Baculus in Ritualibus Ferula etiam denominatur. Si igitur hæc Ferula dominium denotat, utique & Ferulam Romani Pontificis dominium denotare poſse exiſtimo. Ex narratis, Innocentii Tertii ſententiam rectè Baculo Paſtorali, non autem Ferulæ, applicari poſse judico; cùm ille Eccleſiaſticam, iſta temporalem auctoritatem oſtendat.

Supereſt nunc aliquid diſserere de ſecunda parte præcitati capitis Innocentii Tertii, nempe de hiſtoria Baculi Sancti Petri miſſi ad Eucherium Epiſcopum Trevirenſem, de qua hiſtoria ſic Divus Thomas quæſt. 3. artic. 3. diſtinct. 24. lib. 4. ſentent. ait: *Romanus Pontifex non utitur Baculo, quia Petrus miſit ipſum ad ſuſcitandum quendam Diſcipulum ſuum, qui poſtea factus eſt Epiſcopus Trevirenſis, & ideo in Diœceſi Trevirenſi Papa Baculum portat, & non in aliis*. Cùm igitur hæc ſit pura hiſtoria, aliis examinandam relinquo, hoc tantùm addens, me ignorare, unde nam iſte magnus Eccleſiæ Doctor deſumpſerit, Pontificem in Trevirenſi Diœceſi Baculum Paſtoralem geſtaſse; ſi conjicere in hoc mihi fas eſt, puto iſtius Sancti admodum perſpicacis ingenii hoc potiùs ratiocinium fuiſse, quàm hiſtoriam, cùm non appareat (quod ſciam) ullum Romanum Pontificem Treveri commoratum eſse. Hæc in obſequii, & obedientiæ ſignum currenti calamo, animo citiùs Eminentiæ Veſtræ inſerviendi exaravi; quam humillimè exoro, ut omnes defectus, qui in dictis irrepſerint, condonare dignetur. Vale, Eminentiſſime Princeps. (*)

(*) Scripta eſt Epiſtola a Cl. Ciampino Anno Domini MDCXC.

JOANNIS CIAMPINI ROMANI

AD REVERENDISSIMUM PATREM

F. BERNARDUM JOSEPHUM

A JESU MARIA,

Commissarium & Procuratorem Gener. Franciscanorum Terræ Sanctæ,

DE INCOMBUSTIBILI LINO, SIVE LAPIDE AMIANTO, ILLIUSQUE FILANDI MODO,

DISSERTATIO EPISTOLARIS.



Ratissima sunt beneficia parata, facilè occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia, dixit sapientiæ ille fons L. Annæus Seneca lib. 2. cap. 1. de Beneficiis. Inter præclaras igitur Reverendissimæ Paternitatis tuæ animi dotes, quibus te ornavit Altissimus, benefaciendi voluntas mirum in modum excellit, ac relucet, cujus ego testis esse possum, nam cùm nulla nobiscum intercederet necessitudo, nihilominus Paternitas tua mihi roganti, ut ex Orientalibus plagis, si quæ in illis partibus sacra extarent Musiva, illorum exempla transmitti curaret, meæ petitioni statim arrisit, ac me inclytæ Bethlehemiticæ Ecclesiæ musivorum operum, accuratissimè delineatorum, exemplari ditavit; idque non solùm quàm celerrimè, verùm summâ cum liberalitate præstitit, dum me ab omnibus prorsus impensis, quæ haud leves necessariò fuissent, reddidit immunem; ac præterea meum Cimelium Sancti Sepulchri modulo, nonnullisque curiosis Regionum Orientalium rebus auxit. Quare animo revolvens quid facere valerem, ut Mnemosynon hoc omnibus innotesceret, cùm gratus animus inter virtutes omnes laudatissimas, ac res Deo, & hominibus grata, jucunda, bonique nominis sit (docuit enim nos mellifluus Clarevallensis Abbas; In referendis gratiis virum non tardum esse debere, non segnem, sed ad singula dona gratias agere. Sanctus verò Joannes Chrysostomus hom. 25. supra Matthæum dixit: Optimam beneficiorum custodem esse ipsam memoriam beneficiorum, ac perpetuam confessionem gratiarum:) nolui a te mihi collatum beneficium sub silentio præterire, sed palam omnibus facere, & in grati animi tesseram aliquid promere. Cùm igitur tuis sacris studiis etiam naturalem philosophiam conjungas, propterea que a me sciscitaveris, an in Academia Physico-mathematica, quæ domi meæ jam a multis habetur annis, fru-

frustum aliquod incombustibilis lini Amianti demonstratum fuerit; tuæ hujusmodi petitioni statim respondi, non solùm hujusce rei eâdem in Academia sæpiùs periculum fuisse factum; verùm etiam ejusdem lini filandi modum a quodam Amico jam me didicisse, quem publici juris sæpè facere decreveram, sed usque ad hodiernam diem distuli: & ut curiositati tuæ pro viribus indulgerem, & linum, & frustulum, & chartam ex eadem materia confectam, tibi ostendi, & in signum devinctionis meæ dono dedi. At pro majori hujus rei eruditione quidquid eâdem in Academia de ea re dissertum fuit, & lini hujusmodi filandi modum, vix paucissimis hodie notum, tuis sub oculis ponere, tuique sub nominis auspicio palam facere decrevi. Accipe igitur ea, quæ dicturus sum, hilari, gratoque animo, tanquam a devincto corde provenientia.

Amiantus lapis est, sic dictus a græca voce Ἀμίαντος, quæ a verbo μιαίνω originem ducit, quod *maculare* denotat. Propositio verò *α* privationis signum est, scilicet non maculare; quare Ἀμίαντος idem sonat, ac *immaculatus*, Fortun. Licet. de Lucernis lib. 2. cap. 14.

Ab iisdem Græcis denominatur ἄσβεστος, quod apud ipsos Calx dicitur, eò quia in igne durat, ac candorem, purificationemque in eodem, ut Calx, acquirit; idem Licet. lib. 3. cap. 27.

Nec desunt, qui lapidem istum βοτρυχίτιν appellant a Comarum similitudine. Alii verò πολίαν, poliam, sive σπαρτοπολίαν spartopoliam denominant, quia tanquam linum netur.

Latini verò linum vivum vocitant, quoniam in igne minimè extinguitur; quandoque verò linum Carystium, sive Carpasium, aut Creticum denominant, a locis, in quibus foditur, ut infra fusiùs demonstrabo.

Quando a fodinis eruitur, multorum colorum apparet, nempe albi, subalbidi, subrubei, plumbei; quare nonnulli hujusmodi coloribus inducti, Amiantum credidêre idem, ac alumen plumæ esse. At a veritate se alienârunt, quoniam eosdem lapides minimè periclitati fuêre, ut eâdem in Academia factum fuit.

Hujusmodi lapis, qui ad meas pervenit manus, quatuor est specierum, cùm ex quatuor diversis fodinis, diversis in locis sitis, erutus sit.

Primus, quem mihi jam a pluribus annis transmisit Carolus Fabritius Justinianus, Episcopus quondam Marianensis in Corsica, longus est, cùm nonnulla frustula, quæ ligneam formam habent, ad dimidii, & ultra, palmi longitudinem se protendant, coloris subalbidi, ad rufum tendentis.

Alter plumbei coloris, ad argenteum appropinquantis, mollior, breviorque est, cùm in longitudine tres palmi uncias minimè excedat. Lapis eruitur iste ad Sextum Liguriæ, vulgò *Sestri di Ponente*: eundem lapidem mihi transmitti ex illo loco curavit Ludovicus Perez Ord. Carmelit. in publico Romano Lyceo Theologiæ quondam Lector, cùm prope fodinam ejusdem Religionis Fratres Cœnobium habeant.

Tertius verò omnium infimus, veluti squammis, unâ super alterâ impositis, ad cepæ formam compositus est, terrei coloris in nigrum vergentis, intermixtis quandoque nonnullis albis superficiebus, sive delineamen-

tis, nonnullis verò nigris, aliis subrufis, sive terreis: in longitudinem vix ad duo minuta unciæ palmi Romani pertingit, quare potiùs ad conficiendam chartam, quàm ad nendum aptus videtur: hunc a Paternitate tua Reverendissima accepi, quem e Cypro tibi transmissum fuisse asseruisti.

Cùm hæc exarabam supervenit R. P. Silvius Monachus Cisterciensis, in sæculo Paulus Bocconus nominatus, vir apprimè in rebus naturalibus, præsertim Botanicis, eruditus, deque Academia optimè meritus. Is mihi significavit, penes se habere Amiantum, sibi Parisiis dum degeret, traditum, e Pyrenæis montibus erutum, cujus Amianti nonnulla frustula mihi successivè misit. Amiantus iste omnium, quos vidi, longissimus est, nam palmum Romanum æquat. Ab aliis verò in qualitate differt, nam ejus filamenta crassiora, & asperiora sunt. Ac dum ista prælo subjiciebam, accessit Ill. & Eruditus Vir Paulus Maffei Eques Sancti Stephani, qui mihi retulit etiam in Volaterranis montibus ipsum reperiri Amiantum. Hæc breviter de hujusmodi lapidis speciebus dicta sint. Modò ad historicos, qui de illo tractârunt, descendo.

Nimis tamen a brevitatis scopo aberrarem, si quidquid Eruditi de hujusmodi celebri lapide scripsêre, enarrare vellem, eò magis, quòd omnes in idem incidêre punctum; quoniam ex unico fonte hausêre aquam, nempe e magno illo naturæ Indagatore Plinio Seniore, quem Lanzius Orat. pro Italia meritò naturæ Bibliothecarium appellat. Laudatus igitur Plinius lib. 19. cap. 1. de Amianto sic fatur: *Inventum jam est, quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant, ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis, splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis favillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis, adustisque Sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes, assuescitque vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem. Rufus de cætero color, splendescit igni. Cùm inventum est, æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur autem a Græcis Asbestinum ex argumento naturæ. Anaxilaus auctor est, linteo eo circumdatam arborem, surdis ictibus, & qui non exaudiantur, cædi. Ergo huic lino principatus in toto orbe.*

Nonnulla in hac Pliniana narratione animadvertenda sunt; nam, quòd sit rarum inventu, ac in desertis, adustisque Sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes, quodque cùm inventum fuerit æquet pretia excellentium margaritarum, huicque principatum in toto orbe tribuat; hæc Plinii ævo fortasse accommodari possent; dico fortasse, quoniam Dioscorides, qui Plinium longè præcessit lib. 5. cap. 13. narrat, quod Amiantus lapis in Cypro nascitur alumini scissili persimilis; & quia mollis est, ex illo telæ conficiuntur, quæ populo admirationem præbent, quoniam in igne positæ accenduntur, flammamque concipiunt, nec ob id in aliqua sui parte comburuntur, sed splendidiores evadunt. Ideo ex hoc Dioscoridis loco elicitur, non solùm in India, verùm etiam in aliis erutum fuisse locis, unde tam rarus inventu minimè erat, & per consequens tam excellentis pretii, ut Plinius in sua Nat. Hist. exagerat.

In

In hunc Dioscoridis locum notat Matthiolus, lapidem istum non solùm in igne permanere, nec suum amittere splendorem, sed si ante coinquinatus fuerit, ex igne erui mundum, & splendidum; vocari Asbeston, quia in lucernis pro ellychnio inservit, nec solùm non extinguitur, donec gutta olei sit, sed nec etiam comburitur. Lapidem istum neri, pecti, & texi. Hieroclem scribere, Brachmanes Indiæ Philosophos ex eodem lapide confecisse vestes, ut propriæ divinitatis memoriam relinquerent. Subdit, ex eodem lapide olim funestas etiam textas fuisse vestes, quibus Regum mortuorum cadavera amiciebantur, ut cùm ipsa comburerentur, eorum cineres, a cineribus lignorum distincti remanerent, ut sepulturæ tradi possent. Postea idem Matthiolus præcitatum Plinium hallucinatum fuisse redarguit, dum putat hasce telas ex quodam Indico lino confici, ac ejusdem Plinii suprà enarrata refert verba, subdens, asserta ab eo partim vera, partim fabulosa esse. Sed Matthioli pace, hujusmodi Plinii hallucinationem, sive fabulam, ut Matthiolus asserit, minimè observo, dum linum hoc ipse Plinius Asbestum vocat, quod idem est, ac Amiantus, unde quæstio de nomine appellari potest; nam vox *Asbestos* græcè, inextinctus, scilicet qui extingui nequit, latinè sonat; & sicut suprà dixi Calcem denotat, quæ in igne durat; & idem Plinius lib.37. cap.10. scribit, Asbeston in Arcadiæ montibus nasci, colorisque ferrei esse: quæ qualitates Amianto tribui possunt, cùm eundem lapidem, sive alium ab eodem non absimilem esse putem, sed respectu regionum, fodinarumque in aliqua parte inter se discrepare, ut in principio de quatuor Amianti speciebus, apud me extantibus enarravi. Laudatus Plinius etiam lib.36.cap.19. Amianti meminit, asserens, Alumini similem esse, nihilque igne deperdere. Quare cùm in igne duret, ut Asbestos, ejusdem naturæ ipsum esse fateri oportet. Cùm igitur omnes isti Scriptores ex antecedentibus desumpserint Auctoribus, & præfatorum lapidum species præ manibus minimè habuerint, periculumque de iis haud fecerint (quod si fecissent, utique narravissent) mirum propterea non est, si aliqua in parte lapsi fuerint, quia oculares testes haudquaquam fuère; quare concludi posse mihi videtur, omnibus lapidibus, ex tenuibus, ac mollibus filamentis, in igne persistentibus, a natura compactis, tam Amianti, quàm Asbesti, sive lini vivi, aut alterius vocis, permanentiam in igne denotantis, nomen meritò tribui, atque aptari posse. Multa copiosiori calamo collegit diligens, & eruditus Scriptor Georgius Agricola de natura fossilium lib.5. ubi hæc de nostro lapide ait: *Sequitur Amiantus, qui quanquam ex lapide calcis, & gypso non fiat, sed ex sui generis succo: tamen etiam propriæ est naturæ. Amiantus verò dictus est, quòd ignis adeò non inquinet ipsius splendorem, ut etiamsi in eum conjiciatur sordidus, nihil deperdens, nitidus, & splendescens extrahatur. Idem vocatur Asbestos, quòd in lucernis (fiunt enim ex eo thryallides) semel accensus non extinguatur, dum aliquid olei supererit: nam ignibus non absumitur. Idem quia pexis mulierum crinibus similis est (etenim in eam figuram formatus plerumque venditur) a Zoroastre nominatur Bostrychites; quia cani-*

ciei hominis, ab aliis polia, ab aliis corsoides; quia sparti caniciem interdum præsefert, spartopolia; quia manibus netur, & texitur, a quibusdam linum: & quidem a Græcis Asbestinum, quòd ex Asbesto factum sit: a Plinio vivum, quòd in igne non soleat mori: a Pausania Carystium, quòd effodiatur ad Carystum: quia denique ad alumen scissum similitudinem habet, a Quadrigario alumen. Nascitur autem in Belgica ad Namurum: in Eisfelda, non procul ab Ilselda Monasterio: in Norici metallis Suaci: in Arcadiæ montibus: ad Carystum Eubœæ oppidum: in Scythia, in India, in Ægypto. Color ipsi, vel candidus, vel cinereus, vel rufus, vel ferreus. Sapore differt ab alumine scisso, nam hoc astringit: Amiantus parùm pungit linguam, minimè verò astringit. Quod ad figuram attinet, Amiantus jam scissus capillo assimilis est, qui potest scindi bacillo. Quod ad naturam pertinet, non aliter, ac metalla, humorem habet internum, siccitatem externam. Quem humorem ignis, quia potentior est ejus calore, nequit consumere: sordes ad lapidem adhærentes consumere potest. Ardentes, inquit Plinius, in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes, igni magis, quàm possent aquis. Quin ea oblita non accendi, obsidione Athenarum sub L. Sylla Quadrigarius compertum scribit. Sed ipse, ut dixi, alumen appellat: quomodo etiam Strabo videtur appellare, cùm ait bitumen ardens alumine restingui. Athenis in aurea Minervæ lucerna, quam fecit Callimachus, inerat thryallis ex lino Carystio, quod Pausanias scriptum reliquit. Vetus igitur est, & Atheniensium exemplo multis in regionibus hodie usitatum, Amianto uti ad ellychnia. Idem lapis lavatur, pectitur, netur, texitur, tametsi quia brevis, difficulter: conficiunturque ex eo non solùm mappæ, qualis est Romæ, sed etiam mantilia, quale in Saxonia Verebergi. Ex eo Brachmanes Indorum Philosophos sibi vestes confecisse Hierocles scripsit. Ex eo etiam quondam funebres Regum tunicæ fiebant, quibus induti in rogos ardentes imponebantur; ut corporum cinis a lignorum cinere secretus, & seclusus in sepulchro condi posset. Quanquam autem Plinius scribat, hoc linum rarum inventu esse, & cùm inventum fuerit æquare precia excellentium margaritarum: tamen hodie, quoniam ejus copia extat in metallis Norici, satis vili precio venditur.

Progrediar modò ad disserendum aliquid de Lucernis perennibus, quæ ex oleo, hoc a lapide extracto, cum ejusdem lapidis ellychnio præparabantur, ut aliqui enarrant.

Ad hujusmodi indagandam veritatem jam a pluribus annis tentavi si quid oleacei humoris ex eodem lapide extrahere valerem: propterea oblongam cucurbitulam vitream, bene lutatam, Amianto repleri jussi, ac apposito suo receptorio, clausisque juncturis, ignem, servatis gradibus, accendi feci, & nil aliud ex eodem lapide exiit, nisi paucæ humidi guttulæ, potiùs ex aere, quàm ex lapide, qui siccissimæ naturæ est, provenientes. Experientiam hanc denuò reiterari mandavi, eo tempore, quo Paternitas tua præfatum Cyprium Amiantum ad me transmisit, qui aliquem humorem, ex aspectu, in se continere præseferebat; at incassum experientia cecidit, cùm ex eo nihil, præter tres, aut quatuor guttulas prædicti humoris exierit, qui accendi nequit; cùm aqueæ substantiæ sit.

Ul-

Ulteriùs Ellychnium ex eodem lapide depurato confeci, quod immissum in oleo arsit, donec oleum, quo illinitum fuerat, duravit, quo consumpto, non obstante, quòd in Lucerna aliud esset oleum, nihilominus ipsum Ellychnium extinctum est; idque in causa esse putarem, quia particulæ lapidem componentes ita aridæ, & minutissimæ sunt, ut nullos poros inter se contineant ad assugendum, attrahendumque oleum. Nam ad Solem observavi, habens præ manibus lapidem istum præparatum, & digitis eum frians, multas ex illo minutissimas, ac lucidas partes argentei coloris, visui vix perceptibiles, decidisse, quare hallucinari puto existimantes, Ellychnia hoc ex lapide confici posse, cùm attractionis sint expertia, quod necessarium in iisdem est.

Periclitatus sum etiam hunc lapidem, illum exponendo ignis repercussioni vitreariæ ustrinæ per tres continuas hebdomadas, qui post præfatum tempus illæsus evasit, sed aliquid purpurei coloris contraxit.

Ligneam etiam desumpsi virgulam, quam præparato Amianti lino quaquaversum vestivi, adeout nullum ignis contactum sentire posset, nihilominus candefacto lino, brevi virgula in carbonem conversa fuit.

Hinc sequitur, quòd totum id, quod exardet, consumitur, at Amianti ignis tormento commissi nil deperit, quia non ardet, neque flammam reddit, & quamvis ignitus fiat, attamen non comburitur. Consumitur nihilominus, dum eum accendendo, & contrectando, aliquam sui partem amittit, quamvis sit parvissima quantitas, quoniam eundem tam antea, quàm postea, justissimâ bilance ponderavi.

His breviter enarratis de hujus Salamandræ natura, nunc ad promissum filandi modum devenio.

Antequam lapis iste neatur sequenti formâ præparandus est. Accipitur lapis, & infunditur in aquam, quæ quò calidior, eò citiùs operatur, ibique per aliquod temporis spatium, quod ad arbitrium est, in infusione relinquitur. Deinde manibus contrectatur, perstringitur, & dilatatur, ut ex illo quædam tenuissima exeat terra, quæ ad similitudinem albæ est calcis, quæque lapidis filamenta inter se conjuncta detinet. Ex hac terra aqua densa fit, & lactescens, quâ projectâ nova dein superinfunditur, & iterùm manibus dilatatur, postea obstringitur, & premitur, ut ex hisce iteratis operationibus ab omni purgetur calce; & hæc operatio fiet quinquies, & pluries, quia sic magis, magisque linum ab heterogeneis partibus purgatur. Successivè tota massa e vase eruitur, & ipsum purgatur vas, quia in fundo multa heterogenea remanent. Experientia plura docebit. Lapidis filamenta, quæ linum appellari possunt, expansa ponuntur super aliquod canistrum, sive aliud simile, ut facilè aqua percolari, & faciliùs ipsum linum exsiccari possit.


Ex hisce quatuor Amianti speciebus meliorem reperi illam, quæ ex Insula Corsica defertur, quia longa, & mollis est, Cypriam verò omnibus aliis deteriorem; quia non solùm omnium brevissima, sed adeò dura est, ut antequam in aquam ad dissolvendum ponatur, ferreo pistillo in mortario oporteat tundi, & nihilominus difficilè a terra separatur; unde ad nendum haud est apta.

Co-

Cogor hic ab instituta oratione aliquantisper deflectere, Paternitatique Tuæ Reverendissimæ sententiam meam exponere. Valde quidem dubito, lapidem hunc ad te ex Cypro transmissum, ex illius genere non fuisse, qui netur, sed alium, utcumque repertum; nam de isto Cyprio sic meminit Pancirolus in suis rebus memorabilibus titulo 4. *His*, inquit, *consentanea esse videntur, quæ de Cretico lino scripsit Strabo lib. 10. id enim petram esse ait, quam attritam, capillamentis tantùm remanentibus, excussa terrea materia, pectinibus aptari, contextamque inde telam peroptimè confici. Eam autem igne non uri; sed sordidatam in ignem projectam emundari. Ipseque adeo Podocattharus Cyprius Eques, qui nostro hoc sæculo de rebus Cypriis Ann. MDLXVI. historiam prodidit, Linum Cyprium penes se habitum Venetiis ostendit, in ignem id injiciens, at illæsum, ac perpurgatum, mundatissimumque inde recipiens. Verùm illud magno est miraculo, quòd hujusmodi contexta tela non quidem ab herbis originem ducat, sed a lapide Amianto: qui in Cypro Insula repertus, malleo contunditur, contusus, excussa terrea superfluitate, capillamentis suis, lini speciem retinet, ac contexitur in telam. Id visum in Podocatthari ædibus, coram eximiæ virtutis viris non paucis, testatur Porcachius tab. 2. Funeralium. Propterea ex hoc Amianto linum confectum, & incombustibile, ut perpetuò lampadibus arderet in Baptisterio suo Romæ Constantinus Imperator statuerat, referente Damaso in Silvestro Papa. Quin & Ludovicus Vives in scholio ad D. August. lib. 21. de Civitate Dei cap. 6. testatur, se Lychnia Parisiis permulta vidisse, quæ lucernis semper ardentibus nunquam absumerentur. Mantile quoque Lovanii medio convivio igni datum, redditumque Domino mundius, splendidiusque quàm posset aquis, aut smegmatibus quibuslibet, prout literis hoc consignavit Simon Majol. part. 1. Dierum Canicul. colloqu. 20. fol. 633. & seqq. His non absimilis, si non idem planè fuerit, lapis ille ad Carystum nascens, quem incolæ pectunt, nent, texunt: Indè mantilia conficiuntur egregiè contexta. Ea ubi sordescunt, in flammas projecta, non secus emundantur, quàm si maculas aqua elueris. Mentionem hujus facit Matthæus Raderus (quem dum notas hasce meas recenseo, primùm vidi) in commentar. ad Martial. lib. 9. Epigram. 77. Meminit Cælius Rhodiginus, & Ellychnii, lino Carpasio constantis, & in id ignibus nullum omninò jus fuisse scribit lib. 14. lect. antiq. cap. 18. circa finem. Refert quoque Plinius huic lino principatum in toto orbe esse: & Linteo eo circundatam arborem surdis ictibus, qui non exaudiantur, cædi.* Hæc Pancirolus. At unde discesserat oratio revertatur. Nuper dixi de modo lapidem reducendi in linum, nunc, quâ formâ illud neatur, exponam.

Primo loco referam ostensum mihi modum, qui talis est: pectines duo minutissimis, ac tenuissimis dentibus sumantur, ut in figura 1. & 2. ad instar illorum, quibus carminatur lana ad conficiendos pileos, sive pannos texendos. His levissimè carminetur linum; deinde inter amborum pectinum extremitates ipsum linum claudatur, ita ut foris promineat, ipsique pectines coli vicem præstent: superponantur deinde ipsi pectines alicui mensæ, sive scamno, ibique firmentur, ut figura 3. sumatur postea parvus, tenuisque fusus, ut figura 4. qui superiùs uncinulum

lum habeat, ut figura 5. & inferiùs verticulum, ut figura 6. ut facilè circumvolvi posſit; fuſus ſubtili filo induatur; deinde urceolum cum oleo oportet habere, ut figura 7. cum quo digitorum Indicis, & Pollicis interiores extremitates loco ſalivæ, illiniantur; ad hoc, ut primo loco cutis conſervetur, quia Asbeſtinum linum corroſivum eſt, & excoriat; ſecundo, quia per oleum ipſum linum mollius redditur, & ob id commodiùs netur, quia faciliùs cum lino conjungitur. Accipitur ergo ipſum filum, & unitur cum lino vivo, exiſtente in pectinibus, & circumvolvendo ipſum filum cum eodem lino conjungitur, quod non ſine maxima patientia, ac tædio peragitur. Quando igitur ſatis fili præfato lino veſtitum fuerit, poterunt ex eodem formari texamenta, italicè *fettuccie*, ſive *naſtri*; poterit etiam tela confici;



sed periculum de hac minimè feci. Quando hæc confecta fuerint, oleo liniuntur, & projiciuntur in ignem, in quo statim accenduntur. Ignis devorat filum, & purum remanet amentum, sive tela.

Secundo loco dicam, quid in hoc nendo lino experientia, quæ rerum omnium magistra est, me docuerit; nam vidi, quòd linum Asbestinum difficilè filo unitur, & eò difficiliùs, quò ipsum linum est brevius, unde, loco fili, linum commune sumpsi, quod apposui colo, ut moris est, & desumpsi tria, vel quatuor filamenta lini vivi, quæ omnia intermixta, & inserta in filamentis lini communis in hisce implicantur, & circumvolvendo faciliùs uniuntur, & connectuntur; undè filum ex hisce proveniens firmius, & durius ad texendum evadit. Quare pectinibus uti, non est opus, quia potiùs dilacerant, ac abbreviant Amianti fila, quàm ullam præstent utilitatem, ac sufficit ponere Asbestinum linum in aliquo canistro, sive mensa, illudque in parva dividere filamenta, ad placitum, lino communi inserenda. Et hæc de modo nendi, nunc ad formandam chartam me confero.

Quando iste abluitur Amiantus, & a calce expurgatur, in vasis fundo quædam Amianti partes remanent, quæ omnibus aliis breviores sunt, quæque ab aliis separantur; cùm ob illarum brevitatem ad nendum minimè sint aptæ; ex hisce igitur partibus consueto modo charta formatur.

Nunc superest, ut aliquid breviter exponam, quomodo Amiantus iste sic filatus, ac textus diu conservetur; nam propter maximam ejus ariditatem manibus eum contrectando in tenuissimas abit partes, ut suprà enarravi. Quare meliùs, ut conservetur tela, sive quodcumque aliud opus ex Amianto confectum, oleo illiniendum est; nam oleum lapidis conservationi mirum in modum prodest. Ex hac igitur illinitione non solùm ipsius lapidis deducitur perennitas; verùm etiam quomodo lapidis incombustibilitas demonstretur; nam faciliùs ipse accenditur lapis, flammaque attollitur, duratque donec totum oleum absumatur; undè tela illa, quæ ante accensionem olei inquinata, conspurcataque apparebat, post combustionem candida, & nitida evadit; quæ postea singulis vicibus ad conservationem, ut dixi, illinienda est, sicque in scrinio servanda.

Hæc ego quæcumque sint in publicum, in Paternitatis tuæ Reverendissimæ gratiam, exposui, tuoque nomini consecravi. Ea Tu accipe eodem hilari vultu, bonoque animo, quo tibi dicata sunt; & me amare perge. Vale. (*)

(*) Data Romæ Anno MDCXCI.

JOANNIS

JOANNIS CIAMPINI ROMANI

AD REVERENDISSIMUM DOMINUM

JOSEPHUM MARIAM CARUM (*)

PRESBYTERUM THEOLOGIÆ MAGISTRUM,

AMICUM SINGULAREM

De duobus Emblematibus, quæ in Cimelio Gaſparis Cardinalis Carpinei aſſervantur, in quorum altero præcipuè diſceptatur, an duo Philippi Impp. fuerint Chriſtiani,

SACRO-HISTORICA DISQUISITIO.



Jalem, quantamve lucem Emblemata, Epigrammata, aliæque præteritorum temporum memoriæ, hiſtoriæ afferant, Experientia rerum magiſtra, abundè nos docet. Veritatem hanc multi agnoſcentes, operam, & opes illis in colligendis inſumpsêre, inter quos jure Te connumero, qui ex reconditis Bibliorum Cimeliis, abſtruſos, & in oblivionis tenebris deliteſcentes Sacros Codices perquirere, notiſque illuſtrare, ac publici juris, nullo ad labores, expenſaſve habito reſpectu, facere haud ceſſas. Immò his minimè contentus, alios ad ſimilia quæque peragenda, crebris ſuaſionibus allicis, atque etiam ſtimulas. Ipſe teſtis ſum, quem ad jam promulgata opera incitaſti: quæ quidem, ſi quid laudis, aut nominis unquam auctori ſuo comparabunt, id hortationibus tuis deberi, omninò fatendum erit. Interea en tibi duo Sacra Emblemata, ſive ſacras figuras, quæ ad meas pervenêre manus: has ego notis declarare conatus ſum, quas perſpicaci judicio tuo examinandas propono.

Primum igitur Emblema, quod ex ærea ſubtili lamina, ſive bractea anaglyptico opere elaboratum eſt, oſtendit mihi Gaſpar Cardinalis Carpineus Sanctiſsimi Domini Noſtri in Urbe Vicarius, qui celebre ſelectarum rerum Cimelium ſuo in Palatio aſſervat. Hujus Emblematis exemplar magnitudinis, & formæ ſequentis eſt.

(*) Joſephus Maria Thomaſius, qui humilitate ductus cognomine Cari ſe appellari ſinebat, anno MDCCXII. a Clemente XI. Sum. Pont. S. R. E. Cardinalis creatus, poſt mortem Venerabilis Viri titulo ob vitæ Sanctitatem meruit decorari.

PRIMUM EMBLEMA.



Peripheria hæc, tot referta figuris, in Pontiani Cœmeterio paucis ab hinc annis reperta fuit; unde ego conjicio, in alicujus fictilis, aut lignei vasis ima, interiorique parte immissam, collocatamque fuisse, eò quòd Christianæ religionis apud antiquos Fideles tessera, sive hieroglyphicum esset, ut infrà ostendam.

Veteres Christifideles in cordis simplicitate, pacisque amoenitate viventes, ad habendam mutuam sui ipsorum agnitionem, sive cognitionem, quibusdam peculiaribus tesseris, sibimet ipsis solummodò notis, utebantur. Inter quas præsens Emblema connumero.

Hujuscemodi tesseras præcipuè in Calicibus in usu fuisse existimo; ut Fideles in preciosissimo Jesu Christi Redemptoris nostri sanguine a Calicibus delibando, ipsius Salvatoris, aut antiquæ, seu novæ legis Patrum, eorumque, qui pro Christi amore sanguinem effundere, ac Martyrium subire non detrectârunt, imaginem introspicerent, illiusque renovaretur memoria, quâ in ipsis Fidelibus ardor, & fortitudo ad profitendam Fidem magis accenderetur.

Calices istos ex omni materia confectos fuisse putarem, quorum nonnulla fragmenta ab Aringhio in sua Roma Subterranea lib. 4. cap. 37. & 47. & lib. 6. cap. 50. exponuntur. Aliorum verò similium Calicum fragmenta eodem in Cimelio Eminentissimi Carpinei, ac in alio etiam celebri Flavii Cardinalis Chisii, Signaturæ, ut vocant, Justitiæ Præfecti, rerum omnium penè dixerim, varietate ditato, asservantur. Quæ Calicum fragmenta ambo isti Eminentissimi Domini, quàm humanissimè mihi delineanda præbuère, quæque, Deo permittente, in lucem emissurus sum.

Hæc mea de Calicibus assertio, gravissimi illius primitivæ Ecclesiæ Scriptoris Tertulliani auctoritate firmatur. Ipse enim lib. de Pudicitia n. 7. sic inquit: *A parabolis licebit incipias, ubi est ovis perdita a Domino requisita, & humeris ejus revecta? Procedant ipsæ picturæ Calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrum ne Christiano, an Ethnico peccatori de restitutione conliniet*. Et infrà num. 10. *Patrocinabitur Pastor, quem in Calice depingis*. Tanti Scriptoris auctoritas, non solùm morem pingendi Calices nobis patefacit, verùm etiam primariam ipsius Emblematis figuram explicat, quâ nempe Christus Dominus Noster sub Pastoris forma exprimitur, inventam errantem ovem super humeros gestans. Hæc eadem magni Mediolanensis Antistitis testimonio comprobantur, qui in enarratione super Psal. 118. sacrum hoc arcanum declarans, sic ait: *Denique inventam Pastor ovem humeris imponit suis. Agnoscis utique mysterium, quomodo ovis lassa reficiatur, quia non potest aliter humana*

mana conditio lassa recreari, nisi Sacramento Dominicæ Passionis & Sanguinis Jesu Christi, cujus Principatus super humeros ejus; in illa enim Cruce infirmitates nostras portavit, ut ibi hominum peccata vacuaret. Et in Evangelio secundùm Lucam cap. 15. iste veritatis Magister plura super parabolam hanc disserit; at nobis sufficiat tantummodo infrà dicenda brevitatis gratiâ indicare: *Ovis enim*, ait, *a Pastore reperitur, a Patre Filius honoratur. Gaudeamus igitur, quoniam ovis illa, quæ perierat in Adam, levatur in Christo. Humeri Christi Crucis brachia sunt. Illic peccata mea deposui, in illa patibuli nobilis cervice requievi. Ovis illa genere est una, non specie: omnes enim unum corpus sumus; sed multa membra, & ideo scriptum est: Vos autem corpus estis Christi, & membra ex membris ejus. Venit itaque Filius hominis salvum facere, quod perierat, omnes scilicet: quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.*

In meo etiam lapidario Museo marmorea est tabula longitudine palmorum duorum, altitudine palmi unius cum dimidio, in qua quidam Barbatus Vir cælatus est, qui super humeros ovem gestat, cum Inscriptione FILUMENUS. Figuram hanc Christum denotare minimè dubito, &, si ipsius Filumeni vocis græcæ etymologiam examinare velimus, nil aliud significare puto, nisi *Amatus*. Hæc satis de prima dicta sint: modò ad secundam figuram.

2. Ea, quæ Pastoris capiti imminet, Adam, & Evam cum arbore & Serpente ostendit: quid per hoc denotetur si quæras, concors est Patrum sententia, quòd Adam Christum, Eva Ecclesiam, Serpens Diabolum significent. De Christo sic Gentium Doctor D. Paulus 1.ad Corinthios 15.45. fatur: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Sanctus verò Anastasius Synaita lib. 10. Anagogicarum contemplationum in Hexameron, ante medium, sic ait: *In ipsis ergo Protoplastis nudationem intelligis, idque simul, & typicè, & præfigurativè a Deo factam esse in Christo, & Ecclesia in initiis. Non enim, qui omnem essentiam, tam ratione præditam, quàm expertem rationis, est fabricatus, per se indutam, non poterat facilè efficere hominem, non egentem integumentis? Sed quoniam Deus Verbum, qui erat ab initio nudus, & incompositus, a Deo erat componendus, & induendus pelliceam nostræ carnis tunicam, caro factus, & habitans in nobis; ideo Deus Adam hominem (secundùm Adami prototypum) nudum condidit, & ejus conjugem mulierem imaginem Ecclesiæ, ipso rursus indutæ. Nam quicumque, inquit, in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Magnum illud Ecclesiæ Græcæ lumen Sanctus Joannes Chrysostomus in homilia de interdicta arbore: *Mors*, inquit, *per Adam, Vita per Christum. Evam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit: sed seductio Evæ attulit mortem, consensus Mariæ peperit in sæculo Salvatorem. Restauratur per Mariam, quod per Evam perierat. Per Christum redimitur, quod per Adam fuerat antea contractum.* De Serpente verò idem Sanctus Anastasius Synaita præfato lib. 10. post medium sic loquitur: *Dici potest, quòd multæ Serpentis proprietates assimilantur Diaboli machinationibus: & primùm totius ejus corporis dejectio in terram: omnis enim*

enim natura animatorum, & inanimorum habet aliquid, quod sursum fertur, ad superna motum habens, & augmentum; præter solum Serpentem. Nam idipsum, quod super terram graditur, ostendit, quòd suam prudentiam, & cor suum, sua spontè conculcat, nihil penitus excelsum, & cœleste sentiens, aut cogitans. Quamobrem sæpè suam exuit formam, sicut Serpens exuit, transformatus in Angelum lucis, tamquam mutans a prisca prudentia. Hinc etiam venenum lethiferum per os, & inania consilia immittit in animam, & vitæ extremorum observat calcaneum, & ad insidiandum in semitis hominum semper insidet, ut impediat nostros ad Deum gressus, & ideò effecit Deus, ut venaretur, & perimeretur Sapientum incantationibus, & precibus.

Hæc breviter de secunda figura, modò ad tertiam.

3. Quæ tertia est Icon, Noe in Arca cum Columba, olivæ ramum deferente, exprimit. Hujus hieroglyphici reseratio habetur ex B. Petri Epistola 1. 3. 20. ubi: *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cùm fabricaretur Arca, in qua pauci, idest octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma.* Ac apud laudatum Tertullianum de Baptismo num. 8. idem habetur: *Quemadmodum enim*, inquit, *post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post Baptismum, ut ita dixerim, mundi pacem cœlestis iræ, quæ præco Columba terris adnuntiavit, dimissa ex Arca, & cum olea reversa, quod signum apud Nationes paci prætenditur.* Sanctus autem Cyprianus, sive alius Christianus auctor ad Novatianum hæreticum: *Quòd lapsis spes veniæ non est deneganda*, idem hieroglyphicum sic nobis explanat: *Illa Arca figuram Ecclesiæ portabat, quæ verberabatur hinc, atque indè aquis insurgentibus tantùm. Cataclysmus ergo ille, qui sub Noe factus est, figuram persecutionis, quæ per totum orbem nunc nuper super effusa ostendit. Aquis autem, diruptis cataractis, undique convenientibus, & excrescentibus, significabantur gentes, quæ ad vastandam Ecclesiam excreverunt, sicut Apocalypsis cap. 17. docet, dicens: Aquæ, quas vidisti, populi sunt, & gentes, & regna &c.* Plures alios mysticos sensus a Patribus explicatos adducere possem; sed a brevitatis scopo nimis recederem, ac fortasse, Amice, molestiam susciperes; ideo ad quartam imaginem me confero.

4. Jonam sub umbra cucurbitæ dormientem, quarta repræsentat imago. Mysterii hujusmodi arcanum summo cum studio detegere curavit Aringhius in præcitata Roma subterranea tom. 2. lib. 5. cap. 22. num. 6. & seqq. quum narrat, quod plures visuntur picturæ sacris in Cœmeteriis, Jonam sub umbraculo molliter recubantem, ostendentes, atque ingentem animi, ipsomet vultu, tristitiam præseferentem. Brevitati studendo, duorum tantùm Romanæ Ecclesiæ Doctorum referam auctoritates, qui mysticum hunc sensum exponunt. Primus est incomparabilis ille Ecclesiæ Doctor Augustinus, qui in Epistola 49. ad Episcopum Deogratias, quæst. 6. circa medium, sic ait: *Jam verò quod tabernaculum sibi constituit, & consedit ex adverso Civitatis Ninive, quid ei futurum esset expectans, alterius significationis personam Propheta gestabat: præfigurabat enim carnalem populum Israel. Nam huic erat tristitia de salute Ninivitarum, hoc*

est

est de redemptione, & liberatione gentium. Unde venit Christus vocare non justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Umbraculum ergo cucurbitæ super caput ejus, promissiones erant veteris Testamenti, vel ipsa jam munera, in quibus erat utique, sicut dixit Apostolus, umbra futurorum, tamquam ab æstu temporalium malorum, in terra promissionis defensaculum præbens. Secundus est Ecclesiæ Doctor D. Hieronymus; is in assignandis rationibus, quæ ingenti Jonæ animum mœrore compleverant, a præfato Augustino dissentit, scribens: *Non contristatur,* (scilicet Jonas) *ut quidam putant, quòd gentium multitudo salvetur, sed quòd pereat Israel.* Quoad umbraculum verò Hieronymus cum eodem Augustino concordat, dum ait: *Jonas sub umbraculo erat: nec dum quippe Veritas venerat, de qua idem Evangelium, & Apostolus loquitur; Deus Veritas est.*

Umbraculi hujus respectu oritur quæstio inter Patres, utrum scilicet ejus folia ex hedera, juxta vulgatæ textum, extiterint, an ex virentibus cucurbitarum frondibus, ut in prææallegatis figurâ, & picturis cernitur. Quæstionem hanc exponit, & examinat idem Aringhius in citato capite num. 9. & seqq. quem referre brevitatis gratiâ omitto, solummodò contentus conclusionem ponere, ut num. 11. nempe: *Jonam haud sub hederæ, sed sub cucurbitæ umbraculo quiescentem, ob eam potissimam rationem in Cœmeterialibus tabulis, olim a Christianis repræsentatum fuisse arbitramur, quia videlicet antiqui Fideles acceptissimæ septuaginta Interpretum sententiæ mordicùs adhærentes, quidquid conceptis apud eosdem verbis, scripturarum textui insertum legebatur, ac si vulgata earumdem scripturarum foret editio, constanti animo retinuere.* De varia hac lectione scripsit Hieronymus Augustino, ut in fine Epistolæ 11. apud eundem Augustinum. Hæc de Jona hoc loco dicta sufficiant; ac prosequendo figurarum explicationem, quintam sumo, quæ Danielem, in lacu Leonum positum, exprimit.

5. Meritò Danielem in ipso nascentis Ecclesiæ exordio antiqui Patres summa in veneratione habuêre, quoniam ipsiusmet Dei oraculo per Ezechielem cap. 14. Job, & Noe æquiparatus fuit: sic enim Propheta ait: *Si fuerint tres viri isti in medio ejus* (idest Hierusalem) *Noe, Daniel, & Job: Ipsi justitia sua liberabunt animas suas.* Inter tres igitur istos Viros, qui quasi justitiæ lumina in Orbe extitére, connumeratur Daniel, cujus ob præclaras virtutes, quas longum esset enumerare, in Cœmeterialibus, aliisque locis, imago picta fuit. In præsenti autem orbiculo, prout in cryptis, in medio Leonum, expansis manibus fuit expressus: quia per hoc signum mysticè Christi Crux declarabatur: sic sentit Macarius Chrysocephalus, Philadelphiæ Archiepiscopus, in oratione de Cruce, relatus a Gretsero, in suo tractatu de eadem Cruce: *Accedat,* inquit, *& magnus ille Daniel, & tres pueri: ille enim ora Leonum insolita mansuescere obturavit, cùm manus expansisset in lacu, & in Crucis speciem confirmasset.* Idem confirmat Theodorus Studita ab eodem Gretsero recensitus: *Magnus,* ait, *ille Propheta Daniel missus quondam in lacum Leonum, manibus Crucis in speciem expansis, incolumis ex faucibus bestiarum evasit, benedicens Christum Dominum.* Sæpè citatus verò Aringhius horum Patrum vestigia sequutus

quutus

quutus tom.2. cap. 21. fusiùs rem explicat: *Hanc certè ob causam in abditis plerisque Cœmeteriorum cubiculis, ac Martyrum, cæterorumque Christianorum Sarcophagis Daniel illibatus inter Leones consistens, elevatisque ad Deum manibus intensissimè deprecans, Abacuch quoque prandium eidem deferente interdum superaddito, contemplandus objicitur, ut ipsiusmet Danielis Liber legendum exhibet; quam profectò historiam frequenter admodum Fidelium oculis, atque animo expendendam, iidem sapientissimi Patres, qui moribus informandis vacabant, ob præcipua, quæ intus latent altissimarum virtutum dignis obvoluta mysteriis, documento proponebant. Dignissimi enim viri historiam, cùm inter crebras ærumnarum molestias intercipi contingeret, recolentes, haud animum despondere, sed bonam divino suffulti præsidio, spem concipere edocebantur. Quippe qui ipsius Danielis exemplo præmuniti, futurum non dubitabant, ut ipsi quoque, Divino aspirante Numine, a periculis, quibus acriter premebantur, liberi tandem emergerent; cùm Daniel, cujus imaginem aspiciebant, e Leonum, fame exasperatorum, faucibus illæsus, ac vegetus evasisset: & ipsemet Christus Dominus, quem Daniel mysticè præsignabat, e rabidis furentium Judæorum manibus, quos haud alio, quàm Leonum nomine Hieronymus appellat, ipsos inter mortuos liber, tertia jam recurrente die, redivivus orbi affulsisset.* Quæ Aringhii assertio mirum in modum Danielis explanat Figuram.

6. Sexta Icon notissima est; designat enim Abraham, Isaac filium suum sacrificantem. Quid primævi Ecclesiæ Patres hâc figurâ voluerint ostendere, obscurum est, nos eos adeamus. Illi igitur haud semper palam Christi Servatoris Cruci affixi imaginem recolendam, venerandamque Fidelibus, sed quandoque emblematicè, figuratisque modis obvolutam præbuere; præcæteris autem Abrahami & Isaaci historiam proponere satiùs existimarunt, in qua scilicet Sacramenta ipsa Passionis olim figurata fuerant. Sic laudatus Tertullianus adversùs Marcionem lib. 3. num. 18. & adversùs Judæos num. 10. nos docet: *Utique Sacramentum Passionis figurari in prædicationibus oportuerat: quantòque incredibile, tantò magis scandalum futurum, si nudè prædicaretur, quantòque magnificum, tantò magis obumbrandum, ut difficultas intellectus, gratiam Dei quæreret. Itaque inprimis Isaac cùm a Patre hostia duceretur, & lignum ipsi sibi portaret, Christi exitum jam tunc denotabat, in victimam concessi a Patre, lignum Passionis suæ bajulantis.* Sanctus verò Maximus in homilia 1. in festo Paschæ sic mysticum hoc hieroglyphicum exponit: *Hic idem Dominus in novissima mundi senescentis ætate, per figuram B. Abrahæ longævi Patris offertur: quo tempore dum novo sacrificio in unici sui jugulum pius parricida consurgit, ex improviso Aries oculis ejus apparuit, sicut loquitur sermo divinus: Et vidit Abraham arietem inter vepres, hærentem cornibus. Inter vepres, inquit; Requiramus quæ ista sit novitas. Inter vepres, idest in multitudine circumstantium peccatorum: hærentem cornibus, idest ad Crucis cornua, clavorum confixione pendentem, sicut in alio loco legimus, cornua in manibus ejus sunt. Hoc ideò, quia venerandas manus patibuli brachia susceperunt. Inter spinas autem deputatus est, quando spineo serto Innocentiæ, & Justitiæ auctor illusus est. Sed altiùs introspicere debemus, quidnam sit, quod Isaac*

Isaac a Patre altaribus admovetur, ac subitò Aries pro eo, non mutatà, sed duplicatà oblatione supponitur. Dei enim Unigenitus offertur, & Virginis Primogenitus immolatur. Hoc quoque Dominicæ Passionis præfigurabant insignia &c.

7. Samsonem septimus exhibet Iconismus, portas Gazæ Civitatis, e cardinibus detractas, secum super humeros deferentem; quod Mysterium a Patribus, præcipuè verò a Magno Gregorio, homiliâ 21. in Evangelium secundùm Matthæum: *In illo tempore Maria Magdalene &c.* ita explicatur: *Sed quid Samson fecit agnovimus. Medià nocte portas Civitatis abstulit, & montis verticem ascendit. Quem, fratres charissimi, hoc in facto, quem, nisi Redemptorem nostrum Samson ille significat? Quid per Philisthæos, nisi Judæorum perfidia demonstratur? Qui cùm mortuum Dominum viderent, ejusque corpus in sepulchro jam positum, Custodes illico deputaverunt, & eum, qui auctor vitæ claruerat, in Inferni claustris retentum, quasi Samsonem in Gaza se deprehendisse lætati sunt. Samson verò medià nocte non solùm exiit, sed etiam portas tulit, quia videlicet Redemptor noster, ante lucem resurgens, non solùm liber de Inferno exiit, sed & ipsa etiam Inferni claustra destruxit. Portas tulit, & montis verticem subiit, quia resurgendo claustra Inferni abstulit, & ascendendo Cœlorum Regna penetravit &c.* Hæc breviter de hoc sacro Symbolo Samsonem demonstrante dicta sint; modò ad octavam imaginem.

8. Octava imago, sive figura Moysem denotat in deserto, petram virgâ percutientem, ex qua uberes aquæ fluxerunt. Per hoc hieroglyphicum sacrum illud arcanum declaratur, nempe Gentilis populi, in deserti regione positi, ad orthodoxam Fidem accessus. Sic D. Paulus 1. ad Corinth. 10. 2. *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari; & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt: (bibebant autem de spiritali, consequente eos Petra: Petra autem erat Christus.) Sed in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto.* Sicque S. Justinus Martyr in Colloq. cum Triphone, immediatè post medium: *Fontem*, ait, *aquæ vivæ a Deo in solitudine cognitionis Dei experte, in terra videlicet Gentium scaturire fecit hic Christus.* Eruditissimus simul, & eloquentissimus S. Hieronymus, sive alius Auctor in Psal. 77. alium mysticum sensum nobis insinuat: *Percussa est*, inquit, *Petra, & fluxerunt aquæ. Illa Petra, quæ dicit: Qui sitit, veniat, & bibat: de cujus ventre fluxerunt flumina.* Et paulò post hæc addit: *Sicut Moyses percussit in eremo Petram, & produxit populo aquas: ita & Dominus, quem Paulus percussum ait, propter peccata nostra, immensos nobis protulit fontes; Apostolos scilicet, quos Petra monstravit, & per quos torrentes, idest subsequentes Ecclesiarum Doctores repleti sunt, ex quorum nos prædicatione sitim restinguimus.* Singulos hujus sacri arcani sensus referre longum esset: atque hactenus dicta satis esse videntur.

9. 10. Quoad nonam, & decimam figuras, Jonam, ex navi in os Ceti projectum, repræsentantes, receptissima Patrum sententia est, Symbolum hoc peculiarem Christi typum fuisse, ut videre est in Matthæi cap. 12. nam ibi: *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum*

Jonæ

Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ. Sacræ hujus historiæ etiam minutissima perpendit Magnus Hipponensis Episcopus S. Augustinus Epistolâ 49. ad Episcopum Deogratias quæst. 6. ibi: *Sicut ergo*, inquit, *Jonas ex navi in alvum Ceti, ita Christus, ex ligno in sepulchrum, vel in mortis profundum. Et sicut ille pro his, qui tempestate periclitabantur, ita Christus pro iis, qui in hoc sæculo fluctuant. Et sicut primò jussum est, ut prædicaretur Ninivitis a Jona, sed non ad eos pervenit Prophetia Jonæ, nisi postquam eum Cetus evomuit; ita Prophetia promissa est ad Gentes, sed nisi post resurrectionem Christi non pervenit ad Gentes*. Hæc Augustinus, quæ, omissis aliis Patrum auctoritatibus, tamquam tibi abundè notis, satis superque essent: attamen hic mihi paululum immorari fas sit, atque illud in primis requirere, cur in hoc Symbolo, loco Cetis marinum monstrum, in forma potius Draconis, quàm alterius belluæ, in Cœmeteriis, ac antiquis marmoreis Sarcophagis, ut etiam in præsenti Emblemate depictum, sive anaglypticè cælatum fuerit. Quæstionem hanc citatus Aringhius Tom. 2. lib. 5. cap. 22. num. 4. suæ Romæ subterraneæ sic solvit: *Verùm*, inquit, *ut in re haud parvi momenti sacros de more Doctores consulamus; primo quidem loco Hieronymus se perscrutantibus offert, qui illa historici textus verba exponens: Et præparavit Dominus piscem grandem, hæc ait: Porrò quid, ait, præparavit, vel ab initio cùm conderet, de quo in Psalmo scribitur: Draco iste, quem formasti ad illudendum ei, vel certè juxta navem fecit venire. Sed plura eleganter quidem subjicit, dum in Psal. 103. apertè magis verba illa expendens, Draco iste &c. Dæmoni convenire hæc dicens affirmat; Judæi dicunt: Draconem magnum fecit Deus, qui dicitur Leviathan, & est in mari &c. Nos autem dicimus: iste est Draco, qui de Paradiso ejectus, qui decepit Evam, & datus est in hoc mundo ad illudendum nobis. Quod plenè iisdem ferè sententiis obfirmat, dum verba illa Isa. 27. altiùs contemplando dilucidat: super Leviathan serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum: Ex septuaginta enim Interpretum versione id evidenti testimonio comprobat, qui verba illa super colubrum fugientem, haud aliter, quàm super Draconem legendum putant &c. Hieronymus item semper sibi in assertis benè constans ex Psal. 90. auctoritatem jam suprà enarratis aptè concilians, ubi isthæc, Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem; per Draconem, Dæmonem utique intelligendum esse proclamat; ibidemque hunc ipsummet esse Cetum, qui Leviathan alio vocabulo appellatur, a Christo Domino tandem intercipiendum, ac validè profligandum constanter asseverat, quod & prophetica Jobi oracula evidenti enarratione testantur. Sic autem in rem præsentem inquit: Ipse est magnus Cetus, de quo, quòd a Christo capiendus sit, mystico in Job sermone, narratur, nam & ibi pro Ceto Leviathan ponitur*. Hæc, quæ ex aliis, ab Aringhio allegatis, pro hujus symboli declaratione deprompsi, pro figuris, in eadem peripheria expressis, sufficiant.

SECUN-

SECUNDUM EMBLEMA.



Secundum Emblema non ex ære, ſed ex vitro eſt, ejuſdem tamen magnitudinis, ac ſuprà relatum, nec minora quidem arcana in ſe continens; Imaginem enim oſtendit vitreis delineamentis pictam, in cujus orbiculi peripheria, ſive limbo, ad dimidiæ unciæ ferè altitudinem parva attollitur zona, quæ planum, ſive ſuperficiem ambit; cujus in medio cujuſdam Juvenis imberbis effigies cernitur, parvum capillitium in coronæ formam habentis, ac dalmaticam, ſive togam, aut tunicam, uſque ad crura geſtantis, quam lacerna tegit. Ex ſiniſtro latere magna excurrit faſcia, & ſub dexterum ſe inſinuat latus, denotatque, ni fallor, Conſulare Laticlavium; præterea hæc imago utraque elevat brachia, lævâque librum apertum tenet. Duæ ſtellæ a lateribus cernuntur; in orbiculi verò extremitate, in gyrum apprimè formatis characteribus, ſequentes delineatæ ſunt voces; nempe A SECVLARE BENEDICTE PIEZ. Hæc omnia aliud vitrum, tenaci glutine ſuperimpoſitum picturæ, muniminis gratiâ tegit. Quare hunc orbiculum alicujus crateris, ſive ſacri vaſis imam partem fuiſſe reor, quæ fundus ſolet appellari, ut de antecedenti Emblemate dixi, ſed ad illius explicationem deveniam, in qua etſi Oedipus non ſim, tamen eſſe tentabo.

Conſuevêre antiqui Fideles in humandis defunctorum cadaveribus, in ipſis tumulis aliquod ſignum, ſive characterem ponere, quo ipſi defuncti, dum inter vivos agerent, utebantur; &, ſi Martyres eſſent, martyrii inſtrumentum, quo mortem ſubiverant; ut ex hujuſmodi ſigno, ſive charactere, aut inſtrumento, defuncti qualitas, ſive mortis genus argueretur, ut eruditiſſimus Caſalius in ſuo Tractatu de veteribus Chriſtianorum ritibus, cap. 66. & Aringhius in ſua Roma Subterranea lib. 1. cap. 2. n. 25. fusè oſtendunt.

Opinor igitur, vitreum hunc orbiculum alicujus ſacri calicis fuiſſe fragmentum in ſignum, ſive characterem defuncti alicujus Pontificis, ſive Epiſcopi, aut Sacerdotis appoſitum, cùm calix Sacerdotalis dignitatis character, ſive ſignum appellari poſſit. Hujùs rei exemplum refert Surius ad diem 3. Decembris de Sancto Birino, cujus corpus cum calice, & aliis ornamentis Pontificalibus inventum fuiſſe teſtatur.

Quòd fuerit fragmentum vitrei calicis, clarè conjicitur ex ab Aringhio allegatis lib. 6. cap. 18. eò quòd ſcilicet antiquitus, præſertim Apoſtolorum temporibus, calices vitrei in uſu extiterint. Ipſe quoque morem hunc ævo Zephyrini Beatiſſimi Pontificis, qui floruit principio tertii ſæculi, viguiſſe in meis conjecturis de Azymo cap. 7. num. 7. oſtendi. Utpote etiam quod in ima, interiorique eorum par-

te Antiqui depingere consueverint, jam in antecedenti Emblemate demonstravi.

Meam sententiam ipsa confirmat imago, quæ sacra est, & Christum Dominum nostrum repræsentat, qui ab iisdem priscis Fidelibus in Juvenis formam, detonso capite, utplurimùm appingebatur, ut in præsenti cernitur orbiculo; ac apud laudatum Aringhium in diversis Iconibus, ab eo allatis, videre est, qui & rationem in eodem lib. 6. cap. 17. allegat; nempe quòd Deus nunquam senescit.

Modò singulares ipsius Imaginis partes examino, ac ab indumentis initium sumo. Togatus igitur vir apparet, qui super togam tenet Pallium; e sinistro latere lata fascia procedit, dextro se insinuans brachio. Crura sandaliis vestita habet. Perpendo itaque primo loco togam, quæ usque ad genua se extendit, latas habens manicas; quare Dalmaticam chirodatam, idest manicatam appellandam esse puto, quæque a Collobio differt, cùm istud absque manicis sit. Hujus indumenti genus, narrat Salmasius in suis notis ad Tertulliani librum de Pallio, apud antiquos molles, & delicatos fuisse in usu, quod, temporis progressu, tam Episcopis, quàm Diaconis, Subdiaconis, & Presbyteris Romani Pontifices concesserunt, & ideo sibi proprium fecêre, ut eruditissimus Du Cange in suo magno Glossario abunde demonstrat.

In utroque humero duo signa, veluti duæ parvæ fasciæ, sive zonæ visuntur, quas nil aliud denotare autumo, nisi illa superhumeralia ligamenta, quæ hodie in Diaconorum, & Subdiaconorum Dalmaticis, ex humeris pendere conspiciuntur.

Fascia verò, quæ e sinistro descendit latere, proculdubio Laticlavium denotat, quod Senatoriæ, sicut & Angusticlavium Equestris dignitatis signum erat. In Laticlavii locum Archiepiscopale Pallium, in Angusticlavii, Orarium apud Christianos Sacerdotes successisse judico.

Supra Dalmaticam quoddam indumentum, seu tegumentum cernitur, quod Pallium, Italicè *Mantello*, denominatur, ac in duas dividitur formas, nempe in Pallium Philosophicum, ac vulgare. Hoc quadratum, illud verò altero oblongius erat, ac in circumferentiam, ad nostri Pallii similitudinem, desinebat, cùm illud supra humeros dejicere, & complicare, sive illo totum tegere corpus facillimè possimus. In hujus locum, pro Sacerdotum indumento, Pluviale successisse arbitror. Quare præsenti in figura expressum, Philosophicum Pallium, judicio meo, repræsentat.

Pedes sandaliis, seu caligis, sive calceis teguntur. Horum indumentorum genus apud antiquos Romanos parum discrepans fuit; nam quoad formam ferme idem erat, differebat verò in ligulis, materiâ, colore, & fibulis, aliisque signis, ad nobilitatem ostendendam adinventis. Unde Rubenius De calceo Senatorio cap. 4. inter Patritios, & Senatorios calceos, solùm in ligularum inflexione aliquam fuisse differentiam putat. Alios verò inferioris conditionis homines, simplices habuisse ligulas ostendit Julius Nigronus in suo tractatu De caliga. Judico igitur, Iconem hanc Senatorias caligas, sive calceos repræsentare, cùm diversæ in iisdem cernantur ligu-

ligulæ. Hujuſmodi autem calceorum genus ſub Imperatoribus immutatum fuit, remanſeruntque ſandalia, quæ tam Imperatoribus ipſis, quàm ſummis Sacerdotibus communia fuere, ut oſtendit præcitatus Rubenius cap. 5.

His igitur demonſtratis, nempe omnia laudatæ Imaginis indumenta virum nobilem denotare, quæque etiam, temporis progreſſu, in Sacerdotum uſum converſa fuere, propterea Iconem hanc, Eccleſiaſticum certè virum innuere, facilè argui poſſe exiſtimo; nec officere argumentum, quod in contrarium ab aliquo adduci valeret, Eccleſiaſtica indumenta, quæ ad præſens cernuntur, valde ab antiquis differre; quoniam perpetuo temporis lapſu omnia immutari, & alterari certiſſimum eſt. Attamen ſi eædem res, antiquam non habeant faciem, illi ſaltem ſimilem retinent, ut in Caſula obſervari poteſt, quæ antiquitus longior, amplior, & ab utroque latere clauſa erat; modò verò brevior, ſtrictior, & ab utroque latere aperta eſt. Veritatem hanc ex antiquis picturis, marmoreiſque monimentis deducere valemus; ac Ipſe obſervavi in meo itinere recreationis causâ menſe Maji peracto in oppido Sancti Heliæ Nepeſinæ Dioeceſis, ubi ſacra veſtimenta, a ſexcentis, ni fallor, & ultra annis adhuc aſſervantur, quæque delineari curavi, ac quantocyus illorum exemplaria in lucem emittam. Itidem ex manipulo argui etiam poteſt, qui antiquitus nil aliud erat, niſi manutergium, ſive mappula, aut ſudarium, quod Sacerdotes præ manibus tenebant, ut videre eſt in Icone, relata a Cl. V. Baluzio in Capitularibus Caroli Magni, Tom. 2. pag. 1276. & a Joanne Card. Bona lib. 1. cap. 24. num. 19. rerum Liturgicarum.

Hæc de indumentis: nunc ad librum, quem in ſiniſtra tenet manu, non caſu, ſed ad Myſterium aliquod oſtendendum delineatum, nam priſci Fideles, in exponendis animi ſui ſenſibus, myſticis Apocalypſis figuris uti conſueverunt, ut in cap. 24. mei operis Veterum Monimentorum part. 1. narravi. Quare librum hunc apertum, illum denotare puto, qui cap. 12. & 20. Apocalypſis dicitur: *Et alius liber apertus, qui eſt vitæ*; ſcilicet, in quo Sanctorum nomina ſcripta ſunt; ut interpretatus eſt Andreas Archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ in ſuo Comment. in D. Joan. Apocalypſin cap. 63. 22.

Neque ſilentio prætereunda ſunt quædam etiam de Stellis, ad Iconis latera expreſſis, quæ ex ejuſdem Apocalypſis cap. 16. & 22. deſumo, nempe: *Ego ſum radix, & genus David Stella ſplendida, & matutina*. Quid iſta ſignificet Stella Ambroſius Ansberti in Apocalypſim lib. 2. verſ. *Et dabo illi Stellam matutinam*, ſic declarat: *In Scriptura ſacra cùm ſingulari numero Stella matutina ponitur, per hanc ipſe mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus figuratur. Cùm verò plurali aſtra matutina interſeruntur, Angelicam creaturam deſignant. Sed & cùm ſimpliciter, ac ſine additamento Stellæ ponuntur, Doctores Eccleſiæ nonnunquam exprimunt. Stella matutina mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum Jeſum deſignat; ſicut in hac Apocalypſi ipſa magna, & fulgida Stella apertiſſimè determinat, dicens*: Ego ſum genus, & radix David, Stella ſplendida, & matutina. *Quia enim diſcuſſis tranſactæ noſtis tenebris, diem mox affuturum*

turum stella matutina denuntiat, rectè per eam sive Nativitas Redemptoris Nostri in carne, seu Resurrectio ejusdem post mortem figuratur. Licèt autem hujusmodi expositiones ambabus stellis applicari possint, nihilominus, ut proximiùs earumdem explanationem feriam, ejusdem Patris postremam amplector sententiam; nempe per unam stellam antiquos Fideles, mundum in tenebris jacentem Christi nascentis fulgore, illuminatum; per alteram verò stellam, ejusdem Redemptoris Resurrectionem, & ad Coelos Ascensionem, ideoque æternam beatitudinem, perpetuo lumine coruscantem, exprimere voluisse.

At nunc ad Epigraphen, circa Imaginem expressam, gradum faciamus; quæ ita se habet. A SECULARE BENEDICTE PIEZ; quamque sic explico; ANNO SECULARE BENEDICTE PIE ZESES. Hujusmodi Inscriptio, sicut & alia imaginis indumenta a priscis Christi fidelibus hoc in orbiculo enigmaticè expressa fuère, ad Religionis mysterium, seu arcanum gentibus occultandum, sive, ut inter ipsos pro quadam mutua tessera inserviret, ut ex ipsius Inscriptionis declaratione ostendam.

Primos igitur Sæculares Ludos, exactis Regibus, post conditam Urbem annis 245. a Valerio Publicola institutos fuisse, scribit Censorinus de Die Natali cap.8. Illos autem, qui ante reparatám humani generis salutem, celebrati fuère, brevitatis gratiâ omitto, sed eos tantummodo pro meæ intentionis fundamine hoc loco enarrandos duco, qui post Christum natum fuerunt habiti.

Prima igitur Ludorum Sæcularium solemnitas (quæ sexta ab eorum institutione fuit) anno a Christi ortu 47. Tiberio Claudio Cæsare IV. & Vitellio III. Coss. celebrata est. Meam hîc mentem esse declaro, hac in annorum supputatione Pagium sequi in sua Critica Baroniana, de quo infrà.

Secunda anno 88. Domitiano Augusto, & Publio Cornelio Coss. licèt nondum centum effluxissent anni.

Tertia anno 204. sub Septimio Severo, & M. Antonino.

Quarta anno 247. cùm Imperatores, Consulesque ambo essent Philippi: de quibus celebris est, ut optimè noscis, inter Eruditos quæstio: Utrum isti Principes ambo Christiani fuerint, necne; &, si tales, Utrum Christianam Religionem ante, an post Ludorum Sæcularium celebrationem amplexi fuerint. Quæstionem hanc, a nonnullis jam agitatam, fas mihi sit juxta Scriptorum seriem hic referre, ac quæ Ipse de ea sentiam exponere.

Primo loco sese offerunt Vita, & Passio S. Pontii Martyris, Auctore Valerio ejus contubernali, quæ castigatiores ab eruditissimo Baluzio in suo lib. 2. Miscellaneorum editæ sunt. In hujus Martyris Passione, quæ accidit anno Christi 257. sub num. 10. hæc leguntur: *Nunc autem qualiter primus omnium Imperatores Christianos fecerit, aut quomodo cum Diabolo certaverit, victor existens, vel palmam Martyrii sumpserit, non tacebo. Temporibus Philippi Imperatoris, qui cum filio Philippo Romanum regebat Imperium, fuit his Philippis amicus B. Pontius Christianissimus, & omnium divinarum literarum doctissimus. Cùmque gratia individua in eis esset, tertio Imperii eorum anno, a conditione Romæ, cùm Diis suis sacrifican-*

candum pergere vellent, dicunt B. Pontio: *Eamus, & repropitiemus nobis Deos magnos, qui nos in istius millesimi anni circulum natalis Romæ perduxerunt. Quos B. Pontius diversis excusationibus declinare nitebatur. Imperatores verò velut amicum ad sacrificandum cogebant. B. autem Pontius, cognoscens a Domino datam sibi occasionem, ajebat: O piissimi Imperatores, cùm sitis a Deo Principes ordinati hominum, cur non ei, qui vobis hunc honorem præstitit, cervices flectitis, & ipsi soli sacrificium laudis offertis?* Et num. 12. *Cùmque his & aliis multis, pro salute eorum, disputaret verbis, Dei voluntate Imperatores crediderunt, & cum deprecabantur, ut Mysterium hujus salutis* SUPERVENIENTE DIE *eis pleniùs aperiret, & qualiter ignem perpetuum evadere, & immortalitate cum Sanctis sine fine perfrui possent. Et quidem* EX ILLA DIE, *& deinceps, sacrificia Idolorum declinantes, spectacula tantùm, pro conclusione millesimi anni, quo Natalem Urbis celebrabant, fieri imperaverunt.* Et num. 13. *Tunc Beatissimus Pontius ad Episcopum Urbis Romæ, nomine Fabianum, qui Ecclesiæ Dei præerat, convolavit, & omnia ei ex ordine pandit. Tunc Sanctus Papa Fabianus, cadens cum eo in orationem, dixit: Domine Jesu Christe, gratias ago nomini tuo, qui per famulum tuum Pontium Imperatores Populi Romani ad tuam notitiam perducere dignatus es.* ALIA VERO DIE *cùm simul ad Principes venissent, & Sacramenta eis divina demonstrassent, baptismi gratiam consecuti sunt.*

Quòd ambo isti Imperatores Christiani fuerint, itidem habetur in Passione Sancti Domnini Martyris, relatâ a Bonino Mombritio tom. 1. ubi legitur sic: *Reformatà pace S. Ecclesiæ per gloriosissimum Principem Constantinum, qui inter Augustos primus, post Philippum Christianus effectus est.*

Harum post passionum Scriptores supervenit Eusebius Cæsareæ Episcopus, vulgò *Pamphili*, qui floruit principio quarti sæculi; ac inter alias, quas sui temporis exaravit historias, hanc de istis Imperatoribus scripsit. Hi 70. circiter annis Eusebium præcessêre, sicque tempore, quo Eusebius scribebat, multi probabiliter aderant testes adhuc viventes, qui de eorumdem Imperatorum gestis, de visu, & de auditu deponere poterant; atque ideo Eusebium veritatem scripsisse, absque ullo dubio, autumandum est. Ipse autem lib. 6. cap. 34. historiæ meminit: *Philippum unà cum filio uti Christianum famam fuisse in postrema Paschæ Vigilia precationum in Ecclesia participem simul cum reliquo populo fieri voluisse.* Ac in Chronico ad annum Domini 246. scribit: *Philippus, Philippum filium suum consortem Regni fecit: primusque omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit.* Et ad annum 252. addit: *Decius cùm Philippum Patrem, & Filium interfecisset, ob odium eorum, in Christianos persecutionem movet, qua Laurentius Diaconus Romæ Martyrium duxit.*

Ex hac Eusebiana assertione, credibile est, multos, post Philippi unà cum filio conversionem, Christianæ religioni nomen dedisse, atque inde exortam Decii persecutionem, ut infrà patebit.

Post Eusebium S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Origene, Orosius lib. 7. hist. cap. 20. Vincentius Lirinensis adversùs hæreses cap. 23. Cassiodorus in Chro-

Chronico, qui in fine quarti, & in principio quinti sæculi floruêre, idem testantur.

In fine sexti, seu principio septimi vixit auctor Chronici Alexandrini, qui eadem affirmat.

In septimo verò sæculo sua exaravit Chronica B. Isidorus Archiepiscopus Hispalensis, qui sic fatur: *Philippus regnat annis septem. Iste primus inter Imperatores credit Christo. Hujus etiam primo anno millesimus annus Romanæ Urbis docetur expletus.*

Octavo autem sæculo eadem scripsit Paulus Warnefridus Diaconus Aquilejensis.

Sæculo nono floruerunt Freculphus Episcopus Lexoviensis, qui in Chronicis tom. 2. lib. 3. cap. 5. & Haymon Episcopus Halberstadensis hist. lib. 6. cap. 11. necnon Ado Archiepiscopus Viennensis in 6. ætate, eadem affirmant.

Sequentis decimi Sæculi in principio floruit Regino, qui itidem in suis Chronicis eadem scripsit.

In undecimo sæculo habemus Chronica Hermanni Contracti, ubi ad annum 247. legitur: *Millesimus annus a Christiano Imperatore* (scilicet Philippo) *variis ludis celebratus est.* Idem colligitur ex Metello Tegerseensi.

Duodecimo sæculo floruerunt Otto Frisingensis, ac Joannes Zonaras, qui cum antecedentibus Auctoribus concordes sunt, utpote etiam Chronicon Altersense, sive Heingartense apud Henricum Canisium in suis Antiquis Lectionibus.

Sæculo verò decimotertio est Conradus Uspergensis, ac præter istum, aliud insigne est testimonium non Latini, sed Arabis Scriptoris latinitate donati ab Eduardo Pocockio. Arabs iste Auctor nomine Gregorius Abul-Pharagi scripsit historiam Orientalem a mundi exordio usque ad sua tempora, nempe ad annum 1284. ut elicitur ex præfatione Pocockii, ac pag. 367. necnon ex Indice annorum Hejræ in fine operis. Gregorius igitur pag. 80. Latinè redditus sic loquitur: *Philippus Cæsar annos septem imperavit. Benè Christianis fecit, & ad credentium consortium admitti consideravit; dixit autem ipsi Episcopus: Non licet tibi Ecclesiam ingredi, donec a vetitis abstinueris, & una uxore ex iis, quæ tibi propinquitate conjunctæ non sunt, contentus fueris. Solebat autem tempore precum accedens extra Ecclesiam stare cum illis, qui Religioni initiabantur, nec adhuc de ea loquerentur.* At paulò inferiùs: *Decius Cæsar annum unum imperavit, & præ odio suo in Philippum, qui Christianis benefecerat, illis inimicus extitit, graviterque ipsos afflixit, adeò ut Fidem abnegarent ex credentibus multi, donec ipso interfecto, pœnitentiam agerent.*

Quisnam fuerit Gregorius iste, ab ipso Pocockio in eadem præfatione demonstratur, nempe: patriâ Malatiensis, Religione Christianus, professione medicus, a suis, Rex Doctorum, Corona excellentium, dubiorum in Theologia occultorum ἐπιλύτης, idest interpres, unicum ævi decus, & sæculi Phœnix, Doctorque Orientis appellatus.

Sequenti sæculo scripsit Nicephorus Callistus, qui lib. 5. cap. 25. suæ historiæ idem affirmavit. Eadem itidem scripsit Gobelinus Persona in Cosmodromio ætate sextâ capite undecimo apud Meibomium.

Decimo sexto sæculo M. Antonius Sa-

Sabellicus in Enneade 7. lib. 7. idem retulit. Ac in ejusdem sæculi fine Ecclesiasticæ historiæ parens Baronius, ad annos 246. & 249. in præcitatorum Scriptorum sententiam ivit.

Currenti autem sæculo Eruditorum feraci, Severinus Binius in notis ad Fabiani vitam, idem testatur. Nostrisque temporibus eruditissimus Petrus Daniel Huetius quæstionem hanc copioso calamo perpendit, in suis Origenianis lib. 1. cap. 3. num. 12. quem audire loquentem, Amice, ne graveris, rogo. Sic igitur Huetius fatur: *Atque utinam vel duæ illæ superessent epistolæ, quas ad Philippum Imperatorem, ejusque uxorem Severam Augustam scripsit. Hinc certò conjici posset, verène Christo adhæserint, quemadmodum ab Auctoribus Christianis proditum est: an a Christianis partibus fuerint alieni, quod persuadet Ethnicorum Auctorum de nova, ab iis suscepta, Religione silentium, & multorum præterea tum Christianorum, tum Ethnicorum consensus, a quibus primus inter Imperatores Christum professos Constantinus celebratur. Ego quidem magnorum virorum sententiis, meum quoque judicium, quando me res id admonet, interponam. Si publicè Christianorum fidem professus fuisset Philippus, verisimile utique non est, tacituros id fuisse Ethnicos Scriptores, futuramque rei hujus, sicut fuit, obscuram famam, & incertam. Nec multò verisimilius est, si Christianus non fuisset, id proditurum Eusebium, temporibus illis proximum, cùm utramque eum ad Philippum, & Severam ab Origene scriptam epistolam vidisse constet, quam non paucis post Eusebium annis vidisse quoque Vincentium Lirinensem solerter deprehendit Baronius. Sic igitur sentio, Christi sacris a Fabiano Papa initiatum fuisse Philippum, sed occultè, idque clam Ethnicos habuisse, ne quid inde res suæ detrimenti caperent, quas pristinæ Religionis ejuratæ fama forsitan conturbasset. Hinc ab Ethnicis Scriptoribus tacitum illud est, a Christianis celebratum. Quòd autem ex Eusebio objici potest, publicè eum in Ecclesiam ab Episcopo (is fuit Babylas) admissum, precationum participem fuisse factum, postque crimina confessus in pœnitentium ordinem redactus; id sanè animadvertendum est ex incerta auditione Eusebium retulisse. Antiochiæ præterea contigisse fertur illud, ubi florebant res Christianorum, quibus tum præerat Episcopus Babylas; in extremis videlicet Romanæ ditionis oris, procul a Romanorum conspectu, quos præ cæteris ejusmodi facinus poterat commovere. Huc accedit, in medio Christianorum cœtu, conscio cum paucis Episcopo, Imperatorem facilè delitescere potuisse, mutatâ veste, & Imperatoriis insignibus detractis. Sub ipsa porro Imperii sui initia Christi doctrinam amplexum fuisse Philippum, ex eo liquet, quòd in cœtum Christianorum jam creatus Imperator, recipi postulaverit, Antiochiæ, quò, non nisi post arreptum recèns imperium, sese usquam contulit. Quæcumque autem adversùs hanc sententiam argumenta profert Baronius, ut postremis Imperii annis Christo nomen Philippum dedisse probet, ex iis quæ diximus facilè refelluntur. Cadunt itidem pronuntiatæ in eam rem a Scaligero κύριαι δόξαι, sic enim effata ejus appello, quibus Philippum ab Ecclesia segregat, veterumque Christianorum auctoritatem proculcat, uno hoc nixus argumento, quòd injuriam Christo faciunt, qui hominem nequam, & Domini sui interfectorem Christianum ausi sint dicere. Ac si nulli*

inter

inter Christianos scelesti reperiantur; *ac si nequissimi non fuerint Imperatores quidam Christiani. Præterea nondum Christianum fuisse Philippum docuimus, cùm flagitia hæc admisit. Nec mihi magis Petri Halloxii probatur conjectura; cùm Origenem ex eo jam tempore, quo Arabiam petiverat, Philippo Imperatori, utpote Arabi, & Bostris nato, fuisse cognitum suspicatur. A puero siquidem, relicto patrio solo, in militiam profectus creditur Philippus. Et ut nondum patria excessisset, quonam argumento probari potest, hominem obscuro loco natum, & fortunæ tenuis in notitiam Origenis venisse, viri magnis de rebus ad hæc loca missi, & gravissimis negotiis districti? Quid est hariolari, si hoc non est? Minimè autem omnium audiendus vir eruditus, qui in annotationibus ad Nicephorum Fabiano Papæ tribuit, quod uno consensu Leontius Antiochenus, Chrysostomus, & ex Leontio Chronici Alexandrini auctor Babylæ tribuerunt. Non jam disputo verum ne sit, quod conjectat Baronius, Philippum Augustum cum Philippo Augustali Ægypti Præfecto confundi: hìc certè locum, uti fatetur ipse, habere id neutiquam potest; non idcircò tantùm, quòd duas illas Origenis epistolas viderat Eusebius, sed multò magis, quòd, imperante Severo, Martyrio consumptus sit, Philippus ille Augustalis Præfectus: ab Eusebio autem memoratum Philippi Augusti facinus, ipso jam Imperium adepto, editum sit. Extat hinc etiam, meritò ne scripserit Pomponius Lætus, Philippum, ut scelera tegeret, cultum Christiani nominis simulasse.*

Hactenus Scriptores omnes de ambobus Philippis Christianis tractantes, quos reperi, tuis sub oculis posui. Superest modò illos etiam, qui in contrariam iverunt sententiam, exponere, ut auditis altercantibus partibus certius, firmiusque proferatur judicium.

Primâ igitur fronte, seu primus Antagonista se offert Pomponius Lætus, qui sub Pio II. floruit, ac Platinæ synchronus, & in conjuratione contra Paulum II. socius connumeratus, paganæ Religionis admirator, & Christianæ contemptor fuit, ut asserit Martinus Hankius de Romanarum rerum Scriptoribus. Edidit Lætus Epitomen Vitæ Cæsarum, ac de Philippo scripsit, quòd esset PUNICA FRAUDE DETERIOR, *qui ut scelera tegeret cultum Christiani nominis simulabat*. De hoc Læto scribit etiam Volaterranus, *quòd domunculam in Quirinali sibi paraverat, ibique natalem Vrbis, ac Romulum colebat, quod erat initium abolendæ fidei*. De hoc eodem plura apud Vossium de Historicis Latinis. Hæc enarrare duxi, ut patens sit, quisnam fuerit Antesignanus iste. Nam ab impuro hoc fonte, sequentes Scriptores impuram hausisse aquam, minimè ambigendum est; quoniam Joannes Baptista Egnatius Venetus, qui in principio præteriti sæculi vixit, de eodem Imperatore sic ait: *Sunt qui a Christiana pietate non abhorruisse Philippum tradant, quorum testimonio hominis perfidia fidem abroget*. Hos sequutus est Josephus Scaliger, qui in animadversionibus ad laudati Eusebii Chronicum, & annum Mundi 2260. ita scribit: (*Primusque omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit*) *Næ illi magnam injuriam Sacrosancto Christi cultui faciunt, qui primi hunc latronem Araba Domini sui Imperatoris innocentissimi, & Reipublicæ maximè necessarii interfectorem, idolorum cultorem, &*

ex

ex cujus vita nihil tale colligi potest, Christianum ausi sunt dicere, & epistolas Origenis ad eum, & Severam ejus uxorem commenti sunt, ut mimo fides haberetur. Eusebius auctores habuit, quos sequeretur lib. 6. cap. 36. Historiæ Ecclesiasticæ: φέρεται δὲ αὐτοῦ (Ὠριγένους) καὶ πρὸς αὐτὸν βασιλέα Φίλιππον ἐπιστολή, καὶ ἄλλη πρὸς τὴν τούτου γαμετὴν Σευήραν. *Scilicet; Extat etiam ejus epistola ad Imperatorem ipsum, & altera ad conjugem illius Severam: Totidem verbis idem prodit Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Vide præterea alia a veteribus Christianis conficta, de satisfactione, ab hoc Philippo in Ecclesia facta, apud eundem Eusebium ibidem. (Christianus fuit) Christianus, cujus fraude paulò ante Gordianum occisum scribebat? Quæ verba omisit Orosius; quum reliqua exscriberet, quia non videretur ei convenire Christiano esse, cujus fraude Dominus interfectus esset.*

Scaligerum imitatus est Sethus Calvisius in Chronicis ad annum Christi 246. ubi sic: *Refertur ab Eusebio, Cassiodoro, & aliis, qui tamen hoc ex Eusebio descripserunt, Philippum operam dedisse Christianæ Religioni, & baptizatum esse. Sed Eusebius hæc hausit, ut ipse dicit, ex epistolis Origenis ad Philippum, & ejus conjugem Severam, quæ epistolæ tamen fictæ sunt. Ideò de Religione Philippi nihil certi pronunciari potest. Res gestæ etiam Philippi non respondent, nec aliquid contulit Ecclesiæ, nec habuit Religionis successorem, ut Constantinus.*

Suprà narratis Scriptoribus accedit eruditissimus Spanhemius, qui in dissert. 9. De præstantia, & usu Numismatum, sic fatur: *Ex superioribus autem Philippi Nummis cum solennibus Gentilium sacris, satis liquere videtur fabulis annumerandum, quod de hoc Imperatore, ut Christiano, Eusebius, aliique dein tradidere, inter quos etiam Abul-Pharagius. Quamquam videam, virum rara eruditione, ac inter præcipua hodie literatæ Galliæ ornamenta Danielem Huetium, eamdem de Philippo Christiano sententiam in Origenianis tueri; cum nempe circa ipsa Imperii initia, Christi doctrinam, sub Papa Fabiano amplexum, idque occultè, & clam Ethnicos, & qua de re consulere poterit eum Lector, ante quam huic, vel alteri sententiæ accedat.*

Tandem post tot Scriptorum, inter se variantium, sententias supervênit eruditissimus Pagius, qui in sua Critica Historico-Chronologica ad annum Christi 247. fusiùs super hac quæstione disserit, & præcipuè: sacrum ne susceperint Baptismum ante, an postquàm Ludi Sæculares celebrati fuêre. Hæc ejus opinio est: M. Julio Philippo II. & M. Julio Philippo Cæsare Coss. eodem anno 247. Philippum seniorem filium suum, Philippum Augustum nuncupasse, qui decimum ætatis annum agebat, cùm biennio post obierit ætatis annor. 12. Deinde ostendit, Zosimum a Baronio perperam fuisse reprehensum, quòd Ludorum Sæcularium, ab utroque Philippo editorum, non meminerit; nam putat, Zosimum de Ludis Sæcularibus centenariis Urbi respondentibus, hoc anno celebratis, non disseruisse, sed de illis tantùm fuisse locutum, qui juxta Augusti ordinationem exhibiti fuêre, quibus Romani credebant, Urbem, juxta vetus oraculum, bellis, & morbis esse liberandam. Quare non mirum, si de Ludis Circensibus, hoc an-

no exhibitis nullam Zosimus mentionem fecerit; cùm illos hanc vim non habere, illosve irregulares esse crediderit. Scribit ulteriùs Pagius, se in Prolegomenis ad dissert. Hypaticam id demonstrare, nempe Philippum nondum fuisse Christianum, quando millesimum Urbis annum celebravit, Ludosque ab eo editos, alterius classis, sive ordinis fuisse, quàm illos, de quibus locutus est Zosimus, quosque Honorius celebravit. Zosimum in ea fuisse opinione ait, ut existimârit, Rempublicam Romanam nullum detrimentum passam fuisse, quamdiu Ludi Sæculares, secundùm traditum a Numine ritum, idest post 110 annos ederentur: quamobrem ipsum Sibyllæ oraculum integrum recitat, cujus hoc initium.

Ast ubi mortalis longissima venerit ætas,
Vitæ centenis denis redeuntibus annis,
Sis Romane memor, nec te ulla oblivia fallant:
Sis memor, ut facias Diis immortalibus illo
Rem sacram in campo &c.

Finis verò:

Itala sic tellus omnis, tellusque Latina
Æternùm tua sceptra colet, tua jussa capesset.

Quare cùm Ludi a Philippo exhibiti Vrbis centenariis responderint, seu iis, quos Claudius Imperator octingentesimo Vrbis anno ediderat, non verò antiquæ institutionis ab Augusto, Domitiano, & Severo observatæ: de illis nullam mentionem fecit Zosimus: sive quòd hanc vim eos non habere putaret: sive quia præter morem factos, ac irregulares crederet.

Addit idem Pagius in eadem Critica num. 4. in opinionis suæ confirmationem, argumentum desumptum ex verbis Eusebii in Chronico, ubi: *Ob quam solennitatem innumerabiles bestiæ, in Circo magno interfectæ, Ludique in Campo Martio Theatrales tribus diebus, ac noctibus, populo pervigilante, celebrati.* Ex quibus verbis deducit, bestias immolatas, Ludosque Theatrales, Diis consecratos, fuisse editos. Exinde concludit, Philipporum conversionem Sæculares ludos fuisse subsecutam, minimè verò præcessisse; Baroniumque ab Orosio deceptum fuisse, scribente: *Ludis magnificis augustissimus omnium præteritorum hic natalis annus a Christiano Imperatore celebratus est. Nec dubium est, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam, & honorem, ad Christum, & ad Ecclesiam reportarit, quando vel ascensum fuisse ab eo Capitolium, immolatasque ex more hostias nullus auctor ostendit.*

Audisti, Amice, horum inter se variantium Scriptorum opiniones, quibus conjunctim, & separatim respondere conabor.

Primum igitur argumentum pro narratorum veritate, quòd ambo Philippi Christiani fuerint, ex suprà narratis Martyrum actis desumimus, scilicet Sanctorum Pontii, & Damiani, quæ Eusebium præcessêre, ac idem testantur. Quare dicendum est, aut Acta ipsa esse falsa, aut sincera, si falsa sunt, illorum corruit historia, sed ista Acta pro genuinis ab eruditis habentur, ergo de falsitate minimè argui possunt. Si autem uti vera approbata sunt, firma remanet narratio, nempe istos Imperatores fuisse Christianos.

Secundum argumentum ipse est Eusebius, qui hanc narrat historiam, cujus

cujus auctoritatem in contrarium scribentes evertere nituntur, ego autem pro viribus sustinere tentabo. Dico igitur, Eusebium scripsisse ex fama publica, ut ipsemet testatur in præcitato cap. 34. lib. 6. ibi: *Fama est.* Tempore ergo Eusebii, qui hæc scripsit, septuaginta circiter ab istorum Principum conversione erant elapsi anni, quare multi testes probabiliter adhuc superstites erant, qui de veritate deponere poterant. Insuper famam publicam ad credendum justam esse causam Jurisprudentes asserunt. Quare autumo, Eusebium minimè allucinatum fuisse si hæc scripserit, utpote etiam Hieronymum, Orosium, Lirinensem, & Cassiodorum, qui proximiores Eusebio fuêre, quique non solùm ex eodem desumpserunt Eusebio, verùm etiam ex ipsis Origenis Epistolis, quæ illorum ævo extabant, ut testatur D. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Origene, sic scribens: *Quodque ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis Christianus fuit, & ad matrem ejus literas fecit, quæ usque hodie extant.* Idemque etiam Vincentium Lirinensem affirmare, solerter deprehendit Baronius ad annum 246. num. 8. ut nuper diximus.

Tertium magni momenti argumentum est, omnium Scriptorum, ex omni ferè natione, concordia, qui in omni sæculo idem testantur. At huic meæ assertioni statim objici audio: Omnes quos citavi auctores ejusdem fontis, nempe Eusebii, bibisse aquam; Cui responsioni subjungo: In præteritis sæculis, illæ duæ Origenis extabant Epistolæ, ut superiùs enarravi, quasque undecimo etiam sæculo extitisse colligo ex citato Metello in suis Quirinaliis ode 2. ubi Octaciliam Philippi Senioris uxorem meminit fuisse Christianam. Sicque Poeta cecinit:

Verticem Regina Deo superbum
Fronte matura reverenda flexit
Principis cedente domo Philippi
Sub juga Christi.

Quare si asseruit Octaciliam fuisse Christianam, id ex Origenis epistolis desumpsisse probabiliter credendum est; utpote etiam easdem Epistolas in aliqua adhuc delitescere Bibliotheca, vel scrinio, quæ fortasse aliquando in lucem emittentur. Quomodo ergò tantis hisce viris, qui diversis in sæculis in literis floruêre, fides abroganda, & recentioribus tribuenda est, qui per tot sæcula a Philippis distant, nullâque probabili ratione suffulti, nisi propriæ, inanisque voluntatis, contrarium affirmant? Sed infrà alia adducam.

Quartum: admittatur, quod Octacilia fuerit Christiana, ut multi de Numismatibus scribentes autumant, sequentes Tristanum, qui conjecturam suam in præmemorato Metello fundavit. Ex hoc sequitur, ambos Philippos fuisse Christianos, nam crebris suasionibus ad Fidem Christianam amplectendam maritum potuit allicere, filiumque in eadem instruere. Quare facinus de perpetrata cæde Gordiani, conversionem Philippi præcessisse dicendum est.

Quintum: in contrarium scribentes nullam allegant probabilem conjecturam, ut nuper dixi, sed inanibus sophismatibus innituntur, ut infrà ad Scaligeri responsionem demonstrabo.

Sextum: validum illud est argumentum a laudato Baronio ad annum

249. num. 3. & 4. allegatum, de legibus ab hoc Principe promulgatis, quæ Christianam pietatem spirant. Nam Exoletos (turpissimorum, ac flagitiosorum hominum genus) sustulit, Poetisque Juvenum animos suâ arte corrumpentibus antiqua privilegia ademit.

Septimum argumentum ex ipsismet qui contrariam tuentur sententiam, desumo, scilicet ambos Imperatores post eorum mortem inter Divos adscriptos fuisse, cui opinioni respondeo: Honorem hunc, ex Senatûs, Populique decreto, non autem de illorum mandato iisdem fuisse sancitum. Quare ex hoc actu deducitur, ipsos tamquam bonos, piosque Principes, ac de Republica optimè meritos tali se reddidisse dignos honore.

Octavum pariter elicio argumentum ex objectione ab aliquibus factâ, de Ethnicorum Scriptorum in re tam patenti silentio, fortasse ductâ conjecturâ ex eo, quod ipsi præsumerent, ambos hos Imperatores Deorum fuisse Cultores, quoniam Sacra, ritusque proprios permittebant. Ego autem ex hoc ipso silentio depromo, eosdem Principes Christianam amplexatos fuisse Religionem. Eò quia nullus ex hisce Ethnicis Scriptoribus meminit, illos sacrificandi causâ, occasione Anni millesimi juxta veterum morem, Capitolium ascendisse, ut advertit Orosius. Poterant enim occultè Christianam Religionem professi esse; nam rerum, & temporum conditio non sinebat, ut palam Religionem hanc demonstrarent, quia eorum Imperium nondum satis firmum, Senatûsque, Populique Romani, atque exercitûs inconstantia, & lævitas in mutandis Principibus satis erat nota, quemadmodum ex præcedentibus Imperatorum cædibus se prodiderat: Christianam occultando Religionem, & propriæ vitæ, & Imperiò consultum fuerat, sicque etiam Ecclesiæ rebus erat utilior.

Nonum desumo argumentum ex mota a Decio, in Imperio successore, in Christianos persecutione, in eorundem Principum odium, quia Christianis faverant, ut pluribus demonstrat exemplis laudatus Baronius ad annum 253. Et præsertim elicitur ex Chronico Alexandrino, sive Paschali, nuper recuso a Du Cange ad annum Christi 253. & ex laudato Auctore Arabo Abul-Pharagi.

Decimum denique pro meæ intentionis fundamine minimè spernendum, adduco argumentum, Nummum videlicet ab Apamensibus Syriæ, cusum, quod refert eruditissimus vir Octavius Falconerius in sua Dissertatione de Nummo Apamensi Deucalionei Diluvii typum exhibente. Nummus iste in una facie Philippi Senioris caput laureâ coronâ redimitum ostendit, cum græca Epigraphe ΑΥΤ. Κ. ΙΟΥΛ ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΑΥΓ. *Imperator Cæs. Jul. Philippus Aug.* In altera opposita facie visitur quædam veluti quadrata arca, intra quam duæ sunt effigies pectore tenus, virilis una, altera muliebris: in arcæ summitate, ac angulo insidet avis veluti Columba. In facie arcæ sunt literæ ΝΩΕ, scilicet Noe. Subtus arcam apparent aquæ: extra arcam, eædem figuræ stantes, & super caput Viri Columba, quæ pedibus Olivæ ramum stringit, ac volatu ad arcam tendit in gyrum, ac subtus hæc legitur græca In-

Inscriptio ΕΠΙ Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Β. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΝΩΝ. Sub M. Aur. Alexandro iterum Pontifex Apamensium. Censeo propterea, Nummum hunc non in signum universalis, seu Deucalionei Diluvii, ut opinatus est Falconerius, sed a Christianis in signum lætitiæ, quod ipse Philippus Christianæ Religioni addictus esset, sculptum fuisse, ut ex præcitatis Auctoribus deduco. Arca enim Noe salutem ex Baptismatis aquâ denotat, ut in primo Emblem. num. 3. D. Petri auctoritate, demonstravi. Quòd Apamenses Cives eo tempore Christianam suscepissent Religionem, facilè adducor ad credendum, propter vicinitatem Apamensis Civitatis cum Antiochenâ. Et cùm B. Petrus in hac divinum Evangelium per septem annos seminasset, pro certo habendum est, etiam Verbum Dei in proximis promulgasse Urbibus.

Huc usque conjunctim respondi, modò separatim etiam respondendum est. Satis ergo puto, si Scaligeri objecta tantùm diluam, cùm ipsius, in contrariam tuentes sententiam, prolixior, atque acrior censura sit. Primo igitur loco præfatus Scaliger opinatur, Christianum cultum magnâ afficere injuriâ, qui latronem Arabem, proprii Domini proditorem, ac interfectorem, idolorumque cultorem, Christianum fuisse narrant. Huic objectioni facilè responderi posse existimo, ex Gentium Doctore, qui ait, *Deum velle omnes homines salvos fieri, incomprehensibiliaque esse judicia ejus*. Nos quidem ignoramus, cur ipse scrutator cordium Deus, Philippum talia facinora perpetrare permiserit, ac cur postea illum ad poenitentiam vocaverit, Christianam in ejus cor instillando Fidem. Plura possent adduci exempla, tam e veteri, quàm e nova lege; Principum etiam Fidelium, quos Dei benignitas ex peccato ad justitiam perduxit; at duo tantummodò in memoriam revoco. Primum est David, qui ut Bethsabee amplexibus frueretur, Uriam ejus virum necari jussit. Secundum, Theodosius Imperator, qui ad ulciscendam Thessalonicæ Præfecti militum mortem, populum ejusdem Civitatis, tam sontes, quàm insontes, usque ad septem millia interfici mandavit. Nihilominus postea ambo isti poenitentiâ ducti, probi, sanctique Principes, omnium consensu, fuere. Mortales omnes propriæ passiones, & affectus immoderati dominantur, qui si languescere, divinæ gratiæ ope incipiant, eâdem divinâ gratiâ operante subintrat bonorum omnium auctor, & altrix.

Objicit secundo loco præcitatus Scaliger, duas Origenis Epistolas ad Philippum, & Severam ejus uxorem commentitias esse. Scaligerum igitur quæso, undenam talem auctoritatem, ac certitudinem hauserit, ut has Epistolas possit commenti, ac falsitatis arguere, dum eas se vidisse testatur D. Hieronymus, & ex S. Vincentio Lirinensi conjicimus, etiam suo ævo illas extitisse. Quomodo ergo sunt commentitiæ? Item, quânam audaciâ Scaliger tale profert judicium, si eas non legit, neque vidit? Vult enim inauditum, ac non visum, atque prætensum reum condemnare. Sit ne hoc æquitati, & rationi consonum, æqui, probique Viri dijudicent. Modò ad Pagii opinionem respondeo.

Philipporum conversionem Sæculares

lares Ludos subsecutam fuisse judicat Pagius. At ego eo ipso anno, quo Sæculares Ludi celebrabantur, accidisse affirmo; nam in suprà narratis Actis Sancti Pontii legitur, Imperatores S. Pontium ad sacrificandum idolis, occasione anni millesimi, inducere tentasse; sed ejusdem Pontii hortatu ipsos in Christum credidisse, eumdemque B. Pontium precatos fuisse, ut salutis mysterium *superveniente die*, ipse eis aperiret. Post hæc in iisdem Actis habetur, quòd *ex illo die, & deinceps* Idolorum sacrificia declinare cœperunt, ac spectacula tantùm iidem Imperatores pro conclusione millesimi celebrari mandarunt. Postea subjungitur: *Alia verò die Baptismi gratiam consecuti sunt*. Tria igitur tempora hìc noto. Primum congressûs, sive primæ collocutionis Philipporum cum Beato Pontio: secundum eorumdem secundæ collocutionis, quando eis mysteria Fidei a Pontio aperta fuêre, ut deduco ex verbis, *superveniente die*: Tertium verò tempus est, quando iidem sacrâ Baptismatis undâ fuerunt abluti, quod colligo ex verbis, *alia verò die*. Quæ postrema verba notanda sunt, cùm tempus propinquum denotent; pauci enim dies post duo colloquia intercessêre, quibus elapsis, sacrum susceperunt Baptismum. Sicque eodem anno, quo Ludi celebrabantur, Christiani effecti sunt. Quærendum igitur hìc est: an solummodò spectacula, absque sacrificiis fieri consueverint. Quòd spectacula unà cum sacrificiis celebrarentur, clarè nobis demonstrat Tertullianus De spectaculis num. 7. *Sed Circensium*, ait, *paulò pompatior suggestus, quibus propriè hoc nomen pompa præcedens, quorum sit in semetipsa, probat de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de Curribus, de Thensis, de Armamaxis, de Sedibus, de Coronis, de Exuviis. Quanta præterea sacra, quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant, quot Collegia, quot Sacerdotia, quot officia moveantur, sciunt homines illius Urbis, in qua Dæmoniorum conventus consedit*. Id etiam indicat S. Cyprianus, sive alius auctor in opere De spectaculis, ubi: *Quod spectaculum sine Idolo? Quis Ludus sine sacrificio? quod certamen non consecratum mortuo?* Nihilominus cùm ii Imperatores hujusmodi interdixerint sacrificia, & spectacula tantùm celebrari mandaverint, exinde contrarium ab illo Pagii deducitur argumentum, ex ipsiusmet Eusebii in Chronico desumptis verbis ab eodem Pagio relatis, scilicet: *Ob quam solennitatem innumerabiles bestiæ in Circo magno interfectæ, Ludique in Campo Martio Theatrales tribus diebus, ac noctibus populo pervigilante celebrati*. Concedo igitur, innumerabiles interfectas fuisse bestias, nego tamen fuisse immolatas; nam bestias illas, quæ fuerunt occisæ, recenset Capitolinus in Gordiano cap. 33.: *Fuerunt*, inquit, *sub Gordiano Romæ Elephanti 32. quorum ipse duodecim miserat, Alexander decem; Alces decem, Tigres decem, Leones mansueti sexaginta, Leopardi mansueti triginta, Belbi (idest Hyænæ) decem, Gladiatorum fiscalium paria mille: Hippopotamus, & Rhinoceros unus, Archoleontes decem, Camelopardali decem, Onagri viginti, Equi feri quadraginta, & cætera hujusmodi animalia innumera, & diversa, quæ omnia Philippus Ludis sæcularibus vel dedit, vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas, & præterea efferas para-*

parabat ad triumphum Persicum, sed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit sæcularibus Ludis, & Muneribus, atque Circensibus, quum millesimum ab Vrbe condita annum in Consulatu suo, & filii sui celebravit.

Suprà enarratæ ergo bestiæ non quidem ex iis sunt, quas cæca Gentilitas immolare consueverat; quæ enim immolabantur, erant Oves, Sues, Capræ, Boves, Gallinæ, Anseres. Pauperes verò non habentes vivum animal quod immolarent, bovis simulacrum e farina fingebant. In sæcularibus Ludis peculiaris victima erat Porca, ut ostendit Franciscus Angeloni in sua historia Augusta antiquis Numismatibus illustrata, ac italico descripta idiomate (quam emendatiorem, ac auctam, denuò edidit nostro sæculo, rerum antiquarum eruditissimus Joannes Petrus Bellori) ad num. 14. Numismatum Septimii Severi, ubi visitur ejusdem Imperatoris Numisma, cujus in medio stat Ara pro sacrificio, ad cujus latus est Dea Tellus, in terra sedens; ex altero verò latere cernitur Victimarius, qui ad sacrificandum Porcam ducit, quoniam in Sæcularibus Ludis Dii pro fertilitate, & abundantia deprecabantur. Circa aram Imperator velato capite, pateram manu tenens, in sacrificii actu stat; prope ipsum est Tibicina, ad cujus latus duæ aliæ visuntur figuræ, quæ Bacchum, & Herculem repræsentant. In Numismatis peripheria hæc leguntur: CONS. IV. LUD. SAEC. FEC. S. C. scilicet, Consulatûs IV. Ludos Sæculares fecit, Senatûs Consulto. Plura apud ipsum Angeloni de hoc Numismate videri possunt. Aliud non absimile, & pulcherrimum, ac rarissimum se vidisse in celebri Museo Cardinalis de Maximis, narravit mihi idem Bellorius, quod postea transivit in Museum Reginæ Suecorum: cujus exemplar ipse Bellorius, majori, & quadrata formâ delineatum apposuit, in secunda pagina fragmentorum veteris Romæ, ubi non in peripheria, sed in ipsa ara insculpta leguntur hæc verba: LUD. SAEC. FEC. scilicet Ludos Sæculares fecit.

Similem item Nummum refert eruditissimus Spanhemius in sua Dissertatione 9. qui non Porcam, sed Aprum esse censet. Insuper addo, quod hi Ludi poterant celebrari etiam absque sacrificiis, ut existimat idem Spanhemius loco citato, qui asserit, ab Honorio eosdem Ludos celebratos fuisse, sed, sacris Sæcularibus omissis; solo Circensium, aut Theatralium Ludorum apparatu. Scio, laudatum Pagium in suis Prolegomenis in Dissertat. Hypatica num. 11. scribere, hosce Ludos ab eodem Honorio minimè fuisse celebratos, sed hæc quæstio ab historia dependet, quam aliis examinandam relinquo. Iidem etiam Ludi poterant, ut diximus, absque sacrificiis celebrari, eò magis, quòd Imperatorum mandatum accessit; nam in præcitatis Actis narratur, ut suprà retulimus, quod *ex illa die*, quâ Imperatores Christianorum sacris accessere, sacrificia declinare coeperunt, & spectacula *tantùm* pro conclusione millesimi anni celebrata fuere: vox *tantùm* notanda est. Dato etiam, quòd sacrificia fuerint celebrata, non per hoc evincitur, ipsos Imperatores saltem Christianæ legis instructos haud fuisse. Similem fermè quæstionem tractat Baronius ad annum Christi 253. num. 93.

num. 93. & seqq. & in Martyrologio ad diem 22. Augusti litterâ B. ubi ostendit, Constantinum, licèt Christianis semper favisset, tamen de consulendis Haruspicibus dedisse rescriptum, atque sub eo a Gentilibus aliquando vexatos fuisse Christianos, & ob eam causam plurima eidem Imperatori mala accidisse. Unico namque, eodemque tempore suam ubique Christiana Religio puritatem consecuta non fuit, sed temporis progressu. Imperatores enim Christiani sensim omnem Gentilitatem abolerunt, ut clarè deducitur ex toto titulo de Paganis in Codice Theodosiano. Unde mirum non est, si ambo Philippi, recenter in Christiana Fide instructi, quique eam nondum forsitan amplexi fuerant, Sæculares celebrari Ludos, atque etiam fortassis sacrificia fieri, absque eorum interventu, permiserint.

Ex hactenus enarratis clarè probatum puto, ambos Imperatores, eodem anno, quo præfati Ludi celebrati fuerunt, Christianæ militiæ nomen dedisse, quod pro meæ opinionis basi erat demonstrandum.

Non obstat, quod in Passione Sancti Pontii narretur, tertio Imperii anno Philippum ad sacrificandum pergere voluisse, quia respondeo; id illum fecisse ob populi Romani metum, aliasque rationes, quas suprà num. 8. indicavi, ac de Constantino nuper dixi. Neque obstat aliud simile argumentum, nempe, post nonnullas disputationes, Dei voluntate, Imperatores credidisse. Cui objectioni etiam subjungo, Philippum, dum Antiochiæ, sive Apameæ mansit, sacris Christianæ Fidei Mysteriis instrui voluisse, sed eam minimè fuisse amplexum, ut deducitur ex supracitato auctore Arabo Abul-Pharagi; cùm verò Romam pervenisset, S. Pontii suasionibus sacrum suscepisse Baptisma. Nam eo tempore jam pravam introductam fuisse consuetudinem, existimo, quâ multi Fideles usque ad provectiorem ætatem sacrum suscipere Baptismum differebant; ut docet Baronius ad annum 377. num. 14. & Lorinus in Commentario Act. Apostolorum cap. 2. vers. 38. Idque comprobant variis antiquorum Patrum auctoritatibus. Non abs re ergò erit asserere, Philippum Imperatorem hanc pravam amplexatum fuisse consuetudinem, Baptismi susceptionem usque ad suum Romam adventum differendi. Si igitur hisce meis conjecturis locus est, ex iis etiam Scriptorum concordia resultat, nempe Philippo, dum Antiochiæ manebat, S. Babylam ejusdem Civitatis Episcopum, Ecclesiæ ingressum, ob detestandam Gordiani cædem, seu, ut narrat præcitatus Abul-Pharagi, quod nolebat abstinere a vetitis, & unicâ uxore esse contentus, interdixisse. Romæ verò Philippo degenti, ac Baptismate nondum suscepto, nihilominus sacris Christianorum Mysteriis interesse desideranti, Ecclesiæ ingressum, ob easdem causas, a Fabiano Papa similiter interdictum fuisse.

Hisce suppositis deduco, Fideles tunc Romæ viventes gnaros, quòd Imperatores jam secretò Christianam Religionem professi fuerant, ob maximam lætitiam, quam ex hujusmodi Imperatorum conversione accepêre, Redemptori Domino Nostro JESU CHRISTO, de singulari hoc beneficio debitas grates rependere voluisse,

se, in cujus rei argumentum, ac tesseram, in orbiculo vitreo scripserunt A SECULARE BENEDICTE PIE Z, videlicet: ANNO SECULARE BENEDICTE PIE ZESES, scilicet JESUS dignatus es, naviculæ Ecclesiæ pacis portum demonstrare, litera enim Z initialis est nominis ZESES; ut ex tribus orbiculis vitreis, ab Aringhio lib. 4. cap. 37. pag. 265. allatis, colligo; in quorum uno legitur: PIE ZESES; in altero ZESES cum tuis; in tertio: Lucifer vivas cum tuis feliciter ZESES; in hoc enim orbiculo visuntur vir ac mulier, inter quos stat Juvenis togatus, qui manibus coronam capitibus eorum imponit, & super Juvenis caput legitur CHRISTUS. Et in eod. libro cap. 47. pag. 403. in alio orbiculo similiter legitur PIE ZESES.

Insuper noto epitheton *Benedicte*, a priscis Fidelibus usurpari solitum, ut clarè ostendit Holstenius in notis ad passionem SS. Perpetuæ & Felicitatis pag. 7. vers. 2. ubi observat, vocem *Benedictus* e græcâ voce εὐφημισμὸς, quæ affectum, aut venerationem, erga personam cujus fit mentio, denotat, derivari. *Notior* (subdit) *hodie linguæ Italicæ vulgari, quàm communi Latinæ derivatum in Africanam latinitatem fortè e Syriaco, aut Hebræo sermone, quo prisci Tyrii, & Pœni Carthaginis Coloni, aut non multùm diverso utebantur. Syrorum enim, ac Hebræorum est Benedicti adjunctum ad Dei præsertim mentionem apponere, ut habes Marci 13. 61. & sæpiùs in aliis scripturis: sed & ad compellationem bonorum hominum, Benedicti vos a Domino, Psal. 123. 15. & alibi non rarò. Tertullianus ipso principio libri ad Martyres designatos: Benedicti Martyres. Mox: in primis ergò Benedicti nolite contristare Spiritum Sanctum, & cap. 2. quo vos Benedicti de carcere in custodiam, si fortè translatos existimatis. Ibid. Sic nunc Benedicti, carcer etiam Christianis molestus: Et mox cap. 3. Et de cultu fœminarum lib. 2. fœminas Christianas Benedictas appellat; Et lib. Præscript. sub Episcopatu Eleutherii Benedicti: & lib. de Exhort. Cast. Benedicti Patriarchæ. Ita Lucianus Confessor apud Cyprianum Epist. 22. Cùm Benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore esset. Et Clerus Romanus apud eumdem ep. 3. Didicimus Benedictum Papam Cyprianum secessisse.* Idem observavit etiam Lupus in Tertullianum de Præscriptionibus cap. 30. pag. 483. in verbo apud Ecclesiam Romanensem; ubi probat, apud primitivos Christianos titulum Benedicti eminentem fuisse.

Hasce meas in præfatos orbiculos observationes, qualescumque sint, Tibi admodum perspicacis judicii, & eruditionis subjicio. Ac Te in mutuæ necessitudinis signum accipere, meque amare etiam, atque etiam rogo; ac semper benè valere, Amice charissime, opto. (*)

(*) Eodem Anno data est hæc Epistola.

JOANNIS CIAMPINI ROMANI

AD REVERENDISSIMUM PATREM

ERASMUM GATTOLA

CAJETANUM

Caſſinenſem Monachum, Decanum, Vicarium Generalem, & a Bibliotheca,

DE VOCIS CORRECTIONE

In Sermone VII. S. Leonis Magni de Nativitate Domini

ΓΡΑΜΜΑΤΙΟΥ ΔΩΡΗΜΑΤΙΟΝ

SIVE

LITERULÆ MUNUSCULUM.



INnotuit jampridem tuus erga bonas Artes, iiſque addictos amor, ac de eiſdem benemerendi voluntas, quam ſemper prætuliſti, ac præferre non ceſſas, alios ad ſtudia invitando, alios alliciendo, alios humaniſſimis, doctiſque reſponſionibus erudiendo, nullis denique parcendo ſive laboribus, ſive impenſis, quibus literariæ Reipublicæ pro virili prodeſſe poſſis. Noveram & Ipſe, quæ de Te in hac laude, non a tui tantùm Nobiliſſimi Ordinis Sociis, ſed & ab aliis vulgò ferebantur. Certius tamen, & ampliſſimum hujus rei teſtimonium magna cum animi delectatione cœpi, cùm non ita pridem Majo menſe ad inviſendum celeberrimum Archicoenobium, in quo vivis, me contuli. Spectavi proculdubio admirabundus loci ſanctitatem, Dei Domûs decorem in Templo, ac ut ita dicam inclytam virtutum omnium coloniam, quæ tot egregios Urbibus Epiſcopos, tot bonos Vaticano Cardinales, tot Sanctiſſimos Eccleſiæ Pontifices, tot Sanctorum Myriadas Cœlo dedit. Miratus ſum Cœnobii ſtructuram, & magnificentiam, tum conditoribus Regibus, tum habitatoribus Monachis planè dignam. Vidi libentiſsimè Cæſarum, Regum, Principum opulentiſsima donaria, in quibus licuit agnoſcere, & Chriſtianam eorum pietatem, & Benedicti Parentis veſtri gloriam. Jucundiſsima quin etiam mihi pariter accidit ſingularis Monachorum omnium humanitas, qua me venientem excepêre, & omnibus religioſæ hoſpitalitatis officiis liberaliſsimè præſtitis abeuntem dimisêre. Verùm, ut ingenuè fatear, quod ad rem præſentem maximè facit, eximiam cœpi voluptatem, cùm tot vetuſtiſsimorum Codicum ſcrinia in Bibliotheca, cujus ipſe cuſtodiæ præes, aſpi-

aſpicerem; majoremque proculdubio, cùm Te ſummâ facilitate Codices ipſos, tot, tamque diverſis characteribus exaratos, expeditiſsimè legentem audirem. Profectò ex hac ſingulari eruditione factum puto, ut toties a me in rebus dubiis interrogatus, eâ facilitate reſponderis, quam expectare tantummodo poſſumus ab homine in his ſtudiis diu, noctuque verſato. Neque verò ita Codicibus manu exaratis addictus es; ut vulgatos per typos negligas. Quin imo, & his comparandis, quantùm religioſa diſciplina permittit, non modicam pecuniæ ſummam impendiſti, quos Romæ diligenter emptos in tuum nobile Muſeum tranſtuliſti; in his quietem, in his delicias tuas, Sapientum more, reponens. Hinc factum eſt, ut nullum tibi acceptius grati animi monumentum a me tibi offerri poſſe crediderim, quàm literarium aliquod opuſculum; & hoc præſertim, quod a Te quodammodo profectum, jure quodam videtur Tibi reddendum.

Cùm jam nonnullas meas lucubrationes cum epigraphe, *De Sacris Ædificiis a Conſtantino Magno conſtructis*, typis commiſiſſem, ejuſque occaſione toto Terrarum Orbe celeberrimam Vaticanam Baſilicam deſcripſiſſem, illud inter plura notandum venit, quod priſci Fideles flexis genibus venerabundi per gradus ad eandem aſcendere conſueverint. Qua de re cum R.P. Joſepho Maria Thomaſio Presbytero Congregationis Clericorum Regularium communi Amico, veterumque Sacrorum Rituum noſtri ævi eximio perſcrutatore, cùm fortè collocutionem haberem, dixit mihi, ſe in Sermone VII. Sancti Leonis Magni de Nativitate Domini vocem ARÆ animadvertiſſe, quam per errorem ibi poſitam eſſe autumabat. Quamobrem meæ curæ, meæque indagationi illius dubii ſolutionem relinquebat. Libentiſſimè Amici inſtantiis obſequi propoſui; propterea primò ad impreſſos perquirendos Codices me converti. Hos ſi Tibi omnes recitavero, gravem me futurum minimè puto, cùm Tu literas ames. Antiquiſſima igitur Sermonum Sancti Leonis impreſſio facta eſt Coloniæ anno 1551. in folio, quæ in eadem Civitate, eâdemque formâ anno 1569. prodiit; deinde ejuſdem Sancti Leonis Sermones in lucem fuerunt emiſſi Venetiis anno 1553. qui eâdem formâ, in eadem Civitate anno 1573. iterum prodière. Deinde anno 1566. Lovanii iidem Sermones editi fuerunt in quarto; & poſtea Antverpiæ anno 1583. recuſi ſimiliter in quarto. Anno verò 1633. omnia Sancti Leonis Opera ex Lugdunenſibus typis in lucem emiſſa ſunt, quæ unà cum Sancto Maximo, ac quinque aliis Patribus anno 1652. ibidem fuerunt pariter recuſa. Demum Pariſiis anno 1675. ab Eruditiſſimo Viro Paſchaſio Queſnellio Presbytero Congregationis Oratorii, appendicibus, diſſertationibus, obſervationibuſque illuſtrata, e prælo exierunt. Omnes has editiones, quæ ad meas pervenêre manus, accuratâ legi attentione, omneſque in ſe vocem ARÆ continere comperi. Quare ad indagandos manuſcriptos Codices ſtatim animum addixi; propterea Vaticanam adivi Bibliothecam, in qua, cùm manuſcriptis abundet Codicibus, propter neceſſitudinem, quæ tunc temporis cum clariſſimo Emma-

nuele a Schelstrat Primo ejusdem Bibliothecæ intercedebat Cùstode, utique sperabam aliquid me esse repertorum; at spes me fefellit mea; quoniam nihil adinveni. Ex hoc non perterritus animo, imò audacior factus, ad alias, tam in Urbe, quam extra eam invisendas, ac ope Amicorum revolvendas Bibliothecas, me converti. Inclytas Barberinam, & Otthobonam, necnon Angelicam adivi Bibliothecas, & licèt in eis manuscriptos Codices, in quibus S. Leonis erant Sermones, invenissem, nihilominus ob antiquitatem venerandi minimè erant, in eisque nihil, nisi ARÆ vocem, observavi. Postea Mediolanum Reverendiss. P. Eustachio a Sancto Ubaldo Ordinis Sancti Augustini Discalceatorum, ac Sanctissimæ Inquisitionis in illis partibus Consultori, deque Republica literaria optimè merito, literas dedi, ut in Ambrosiana indagaret Bibliotheca, an aliquis adesset manuscriptus Codex, qui S. Leonis Sermones contineret, & præfatam ARÆ vocem in eis animadverteret. Respondit Amicus, se diligenter perquisivisse Codices, atque in eis ARÆ vocem legisse. Mox Tibi etiam dedi literas, ac responsum accepi, Te in Codice signato numero 126. præfatum reperiisse Sermonem, ac in eo vocem ARCÆ expressam esse; quare Amanuensis errorem putabas, qui loco AREÆ, ARCÆ scripsisset, commutando literam E in C, Codicemque illum unum supra nonaginta Sancti Leonis continere Sermones, cujus Codicis initium est: *Incipiunt Sermones Sancti Leonis Papæ. In primis de jejunio mensis decimi. Si fideliter dilectissimi, atque sapienter creationis nostræ intelligimus exordium &c.* ac finit: *Si quis ergo spreta perfidiæ caligine ejus se præceptis, ac jussibus, & nisibus obtemperare voluerit, Cæli, Paradisique januas securus intrabit. Amen.* Codicem istum literis Longobardicis jam a sexcentis, & ultra annis exaratum esse, quoniam Desiderii Abbatis Montis Casini, qui postea Romanus Pontifex nomine Victoris III. extitit, jussu scriptus fuit, ut in cap. 63. lib. 3. Chronici Casinensis legitur, & ut ipsiusmet Codicis ostendunt characteres, qui similes aliorum Codicum de mandato ejusdem Desiderii Abbatis exaratorum characteribus sunt. Præfatis mihi communicatis notitiis, tuam erga me humanitatem abundè testari voluisti, cùm aliorum sexdecim Sermonum sub nomine ejusdem Sancti Leonis, in aliis Codicibus manuscriptis repertorum initia, & fines miseris. At novem ex illis a Te indicatis jam sub alterius Sancti nomine esse impressos novi; reliquorum verò ignoro Auctores. Ex his duos apud Quesnellianam adinveni impressionem, sed integri minimè sunt, cum partes Sermonum sint; unus videlicet, qui incipit: *Honorabilem &c.* est pars Sermonis 1. de Anniversario die Assumptionis suæ: alter est Sermo 48. de Quadragesima. Ex transmissis itaque quinque supersunt, quos, factâ collatione cum Sancti Leonis nitido, apertoque stylo, minimè concordare inveni. Putavi etiam in hoc Amicorum uti judicio, qui in eandem meam iverunt sententiam.

Indagationibus istis minimè acquiescendum esse duxi, sed iterum Vaticanam Bibliothecam adire, novamque adhibere diligentiam æquum putavi;

tavi; rogavi propterea eruditum Virum Laurentium Zaccagna ejusdem Bibliothecæ secundum Præfectum, ut mihi copiam faceret, Indices perquirendi; ille petitioni meæ perhumaniter indulsit. Nec inutilis fuit nova perquisitio. Unum itaque invenimus Codicem signatum numero 1276. ante ducentos annos scriptum, in cujus pagina 39. a tergo legitur vox ARCE absque diphthongo; in altero verò Codice signato numero 1277. pag. 78. columna secunda a tergo, a sex circiter sæculis exarato, patentibus literis quæsitam AREÆ vocem legi, quæ dubii quæstionem solvit. De hac a me adhibita diligentiâ Te certum reddere duxi, ut scias, in hac voce σφάλμα irrepsisse, & quomodo illa legenda sit, animadvertas. Nam una literula, Amanuensis incuriâ omissa, totum immutat sensum, ut clarissimè ex infradicendis apparebit.

Ara igitur locus est ille, in quo Sacra Deo offeruntur; Area verò illa est planities, quæ in scalarum summitate, quandoque etiam in medio, ac in aliis partibus, cùm scalæ multos habent gradus, interponitur, ad hoc, ut ascendentes per illas, propter ascensûs difficultatem, ac laborem, ibi aliquantulum pausare valeant. Hæc vox ARÆ legitur in Sermone 7. Sancti Leonis Papæ de Nativitate Domini cap.4. Sermonis particula sic se habet: *De talibus institutis etiam illa generatur impietas, ut Sol inchoatione diurnæ lucis exurgens, a quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur: quod nonnulli etiam Christiani adeò se religiosè facere putant, ut priusquam ad B. Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo vivo, & vero est dedicata, perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum ARÆ superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se Solem reflectant, & curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu, multùm tabescimus, & dolemus. Quia etsi quidam fortè Creatorem potiùs pulchri luminis, quàm ipsum lumen, quod est creatura, venerantur; abstinendum tamen est ab ipsa hujusmodi specie officii, quam cùm in nostris invenit, qui Deorum cultum reliquit, nonne hanc secum partem opinionis vetustæ, tamquam probabilem retentabit, quam Christianis, & impiis viderit esse communem? Abjiciatur ergo a consuetudine Fidelium damnanda perversitas, nec honor uni Deo debitus eorum ritibus, qui creaturis deserviunt, misceatur.*

Hîc jure Te obstupescentem mihi videor intueri, tam patentem errorem ab Eruditis Viris, qui Sancti Leonis Opera pluries edidere, minimè observatum fuisse. Ne dedigneris propterea brevem moram tuis interponere studiis, ac ea, quæ post suprà relatas indagationes eruditionis gratiâ exaravi, amico legere animo.

Primo igitur loco ad Vaticanæ Basilicæ scalam me converto, quam prægrandem fuisse reperi, cujus triginta quinque marmorei gradus ad Basilicæ superiorem Aream præbebant ascensum, quique in quinque ordines distributi erant, ita ut quilibet ordo septem constaret gradibus; nam Architecti in graduum distributione imparem numerum observant; natura enim semper, cùm ascendimus, ad sinistrum pedem primò movendum nos inclinat, & in eodem gradum plerumque sistimus; unde si gradus pares sint, dexter

pes

pes in ultimo ſiſtit gradu, ſiniſter verò remanet ſuſpenſus, quaſi ipſe velit aſcenſum terminare. Quare aſcendens quamdam patitur moleſtiam, quia cùm naturaliter ſiniſtro pede velit quietem invenire, illâ nequaquam fruitur.

Hujus ſcalæ delineamentum, ut antiquitùs erat, in Tabula XII. mei operis De Sacris Ædificiis a Conſtantino Magno conſtructis pag. 37. expono, ubi diſtinctè quinque graduum ordines, cum intermixtis areolis cernuntur: quare ſinguli ordines ex ſeptem conſtabant gradibus. Arearum verò, quæ in ſcalis interponuntur, finis eſt, ut quiſque in aſcendendo defatigatus pauliſper quietem deambulando, ſive conſiſtendo inveniat. In ſcalæ verò ſummitate maxima Area eſt, cùm ibi majorem quietem aſcendens, antequam ædificium ingrediatur, invenire debeat. In hiſce Sancti Petri ſcalis maxima erat Area, quam ſuggeſtum *Areæ* ſuperioris Sanctus Leo appellat, ad differentiam aliarum inferiorum.

Per hujus ſcalæ gradus priſci Fideles orationis voto, ſive gratiâ indifferenter habebant aſcenſum, flexis ſcilicet genibus, ut ex Gregorii IV. ac Hadriani I. apud Bibliothecarium Vitis deducitur.

Oſtenſo igitur, quid vox *Area* ſit, quidque in ſenſu Sancti Leonis ſignificet, operæ pretium poſcit, ut ejuſdem Pontificis ad Fideles objurgationem examini ſubjiciam.

Nonnulli antiqui Fideles antequam Vaticanam ingrederentur Baſilicam, poſt ſcalarum aſcenſum, ſcilicet in ipſa ſcalarum maxima Area, Natalis Domini die ſe ſiſtebant, naſcentemque Solem adorabant, ducto argumento a Manichæis, qui hujuſmodi profanum obſervabant ritum. Quare Fideles ipſi propriorum rituum ignari, naſcentem Chriſtum cum Oriente Sole confundebant, adorando creaturam pro Creatore. Strictiùs hæc exponam. Gentiles ferè omnes, & præſertim Orientales, Solem Deorum principem eſſe crediderunt. Docet id admirandæ lectionis, atque eruditionis Vir Gaſpar Barthius in ſuis Adverſariorum Commentariis lib. 41. cap. 27. Idem oſtendit Vir multijugæ eruditionis, & variæ lectionis Gaſpar Joannis Voſſii in ſuo Tractatu de Idololatria plurimis in locis; idem Kircherus in ſuo Oedipo Ægyptiaco. Cùm igitur Manichæorum Hæreſis in Meſopotamia, Orientali plagâ, ſuam habuerit originem, ut ſcribit Conſtantiæ, ſive Salaminæ in Cypro Epiſcopus Sanctus Epiphanius adversùs Hæreſes, Hæreſi 46. ſive 66. mirum non eſt, ipſos Manichæos Solem adoraſſe; quod innuit magnum illud Eccleſiæ lumen Sanctus Auguſtinus *lib. de Hæreſ. Hæreſ.* 46. de eiſdem Manichæis ſic ſcribens: *Orationes faciunt ad Solem per diem, quaquaverſum circumit: ad Lunam per noctem, ſi apparet ad Aquiloniam partem, qua Sol cùm occiderit ad Orientem revertitur.* Quare ad illam Coeli plagam, ubi videbant illâ horâ ſpectari Solem, ibi ſe ad illum adorandum convertebant. Summo igitur mane Sol Oriens Vaticanæ Baſilicæ faciem reſpicit, illamque multas illuſtrat horas; ergo ſi Manichæi, dum in Vaticanis ſcalis ſtabant, Solem adorare volebant, in hujuſmodi actu ipſi Vaticanæ Baſilicæ vertebant dorſum; & licèt hujuſmodi profanus ritus omni die, omnique horâ a Manichæis obſervatus fuerit, nihi-

nihilominus ipse dies xxv. Decembris Nativitati Domini sacer apud Manichæos honorabilis erat propter Solis Ortum, ut ex laudato Sancto Leone apertissimè deducitur in Serm. 2. de Nativitate Domini, cap. 6. ubi sic: *Habentes ergo tantæ spei fiduciam, dilectissimi, in fide, qua fundati estis, stabiles permanete, ne idem ille tentator, cujus jam a vobis dominationem Christus exclusit, aliquibus vos iterum seducat insidiis, & hæc ipsa præsentis diei gaudia suæ fallaciæ arte corrumpat, illudens simplicioribus animis de quorundam persuasione pestifera, quibus hæc dies solennitatis nostræ, non tam de Nativitate Christi, quàm de novi, ut dicunt, Solis ortu honorabilis videatur. Quorum corda vastis tenebris obvoluta, & ab omni incremento veræ lucis aliena sunt: trahuntur enim adhuc stultissimis Gentilitatis erroribus, & quia supra id, quod carnali intuentur aspectu, nequeunt aciem mentis erigere, ministra mundi luminaria divino honore venerantur. Absit ab animis Christianis impia superstitio, prodigiosumque mendacium. Ultra omnem modum distant a sempiterno temporalia, ab incorporeo corporea, a dominatore subjecta: quia etsi mirandam habent pulchritudinem, adorandam tamen non habent Deitatem. Illa ergo virtus, illa sapientia, illa est colenda majestas, quæ universitatem mundi creavit ex nihilo, & in quas voluit formas, atque mensuras, terrenam, cælestemque substantiam omnipotenti ratione produxit. Sol, Luna, & sydera, sint commoda utentibus, sint speciosa cernentibus; sed ita, ut de illis gratiæ referantur Authori, & adoretur Deus, qui condidit, non creatura, quæ servit. Laudate igitur Deum, Dilectissimi, in omnibus operibus ejus, atque judiciis. Sit in vobis indubitata credulitas virgineæ integritatis, & partus. Reformationis humanæ sacrum, divinumque mysterium, sancto, atque sincero honorate servitio.*

De hoc pravæ adorationis usu Fideles denuò increpat idem Sanctus Leo in superiùs allegato Serm. 7. de eadem Nativitate, cap. 4. quod hîc repetere non incongruum fore puto. Sic igitur iste Sanctus loquitur: *De talibus institutis etiam illa generatur impietas, ut Sol inchoatione diurnæ lucis exurgens, a quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur: quod nonnulli etiam Christiani adeò se religiosè facere putant, ut priusquam ad B. Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo vivo & vero est dedicata, perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum AREÆ superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se Solem reflectant, & curvatis cervicibus, in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu, multùm tabescimus, & dolemus. Quia etsi quidam fortè Creatorem potiùs pulchri luminis, quàm ipsum lumen, quod est creatura, venerantur; abstinendum tamen est ab ipsa hujusmodi specie officii, quam cùm in nostris invenit, qui Deorum cultum reliquit, nonne hanc secum partem opinionis vetustæ, tamquam probabilem retentabit, quam Christianis, & impiis viderit esse communem?*

Veritas hæc, quæ ex allatis eruitur Sermonibus, magis illucescet, si ejusdem Sancti Leonis trutinentur tempora quoad populi concursum ad Vaticanam Basilicam. Consuevêre enim antiqui Romani Pontifices usque ad Gregorii VII. tempora, nempe usque ad finem circiter undecimi sæculi, Divina officia, quæ in festivitate Natalis Do-

Dominici celebrabantur, tribus distinctis locis, distinctisque horis celebrare, idque apertissimè eruitur ex antiquis libris Missarum Romanæ Ecclesiæ, scilicet Antiphonario S. Gregorii Papæ a laudato Josepho Maria Thomasio nuper in lucem emisso, ubi pag. 15. sic in antiquis Libris legitur: *VII. Kalendas Januarii. Nativitas Domini Nostri Jesu Christi. In media nocte Nativitatis Domini. Ad Sanctam Mariam. Antiphona ad introitum. Dominus dixit ad me &c.* & pag. 16. *Item mane prima. Ad Sanctam Anastasiam. Antiphona ad introitum. Lux fulgebit hodie super nos &c.* pag. verò 17. *In die Natalis Domini ad Missam, Satio ad Sanctum Petrum. Antiphona ad introitum. Puer natus est nobis &c.* Et in Codice ab Albino ex Caroli (scilicet Magni) Imperatoris præcepto emendato pag. 1. post Antiphonarium, sic legitur: *Incipiunt Tituli lectionum sequentis Libri. I. In Vigilia Domini. II. ad Sanctam Mariam. III. ad Sanctam Mariam. IV. ad Sanctum Petrum.* In Capitulis verò Evangeliorum de Anni circulo pag. 141. *In Natale Domini. Ad Sanctam Mariam Majorem &c. Item ad Sanctam Anastasiam &c. Item ad Sanctum Petrum &c.* Huc usque relata, ex Petro Mallio, qui floruit duodecimo sæculo, apertiùs intelliguntur, ubi: *In prima Missa ejusdem noctis ad Præsepe. Mane ad Sanctam Anastasiam. In Missa verò diei antiquitus, scilicet usque ad tempus Gregorii VII. fuit Statio ad Sanctum Petrum, unde adhuc Canonici pro Presbyterio noctis* 8. *sol. Sed nunc celebratur Missa diei apud Sanctam Mariam Majorem, quia via brevis est, dies parvi sunt.* Mallius impressus est, sed mutilus, hæc allata sunt in principio manuscripti. Quare concludo, Sancti Leonis ævo Stationem in die Nativitatis Domini in Vaticana fuisse Basilica, sicque ibidem fuisse populi concursum, ibique S. Leonem suprà relatas fecisse Homilias. Non intendebat Sapientissimus ille Pontifex orationem versâ facie ad Orientem prohibere; apprimè enim sciebat priscorum Patrum dicta, sed volebat pravum Manichæorum abolere ritum. Et hæc pro voce AREÆ satis sint dicta.

Silentio tamen prætereundam minimè puto Casalii sententiam De Veteribus Sacris Christianorum Ritibus cap. 3. opinantis, ritum hunc vertendi se ad Orientem, a Fidelibus fuisse observatum in atrio S. Petri; proptereaque ad avertendam omnem Idololatriæ suspicionem anno 1300. a Jotto Florentino excellenti Pictore, jussu Cardin. Stephaneschi Bonifacii VIII. Summi Pontificis ex Fratre Nepotis, Musivi operis navem fuisse constructam, in qua S. Petrus cum aliis Apostolis, ac Christus Dominus noster in littore maris, Petrum ad se vocans, conspiciuntur; quæ pictura cùm in interiori porticûs parte esset, non fuit ibi locata ad tollendum ritum istum convertendi se ad Orientem, sed ob peculiarem devotionem, vel aliam causam; quoniam hujusmodi ritus observabatur extra porticum in scalarum summitate, antequam porticum ipsam Fideles ingrederentur.

Accipe igitur, quæ huc usque dixi, in mutui amoris tesseram, tibique præcino, qui sicut ætate, ac studiis flores, ita etiam eâdem ætate maturus, tuorum studiorum uberrimos colliges fructus. Vale. (*)

(*) Data Anno Dom. MDCXCIII.

INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
IN HIS OPUSCULIS CONTENTARUM;

Ubi Numerus Paginam, Litera Columnam designat.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

FINIS.

